COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS IX

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMIV

25297

v.9
1904

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 645).

—

367. Duo facta attenderat C. Darwin: 1º quidem, plasticitatem viventium, supra declaratam, qua varietates producuntur, et qua per hæreditatem et accumulationem, ut ajunt, caracterum, ope selectionis artificiosæ, fixe transmittuntur et augescunt; 2º vero, attenta disproportione inter numerum continuo genitorum, et numerum superstitum, legeque Malthusiana (1) ad totum regnum vegetale et animale applicata, vidit agnoscendas esse causas destructionis viventium efficacissimas, quarum præcipuam esse invenit continuum inter viventia bellum. Igitur certamen existere, quo unumquodque vivens, et cibum et coïtum quærens, adversus causas physicas et præprimis adversus alia viventia, communi secum indigentia et cupidine impulsa, continuo dimicat, ut vitam servet, asseruit, illudque certamen vocavit *struggle for live*.

His positis factis, statuit sequentia principia: in prædicto certamine necessario vincit et superstes est, qui invenitur aptior (non solum robustior, sed quovis titulo aptior), unde lex quam vocant *de la survivance du plus apte*. Quod igitur efficit homo selectione artificiosa, hoc natura efficit dicta lege, seu agnoscenda est *selectio naturalis* (sub qua et selectio sexualis continetur, cum aptiores rursus ad opus generationis aptiores quærant), qua naturali selectione fit ut progenitores aptiores modificationes seu varietates suas, ad certamen aptiores maximeque utiles, ad posteros continuo hæreditate transmittant, dum variationes inutiles facile cum individuis ineptioribus in certamine pereunt atque disparent. Sed et alia lex est attendenda, quæ dicitur *loi de divergence des caractères*.

Nititur autem huic facto: cum plurima individua ejusdem

(1) La population croît en proportion géométrique, tandis que les moyens de subsistance croissent seulement en proportion arithmétique.

speciei seu quæ iisdem rebus indigent et iisdem anhelant, intra idem spatium restrictum continentur, difficulter vitam servabunt; et contra, facile, quæ diversa appetunt diversisque egent. Quo igitur major variatio contingit selectione naturali, eo facilius multiplicabuntur individua magis modificata, cæteris potius abeuntibus, ita ut sit continua in posteris inclinatio ad magis a typo primitivo divergendum. En lex « de divergence », cujus effectus est, hinc quidem productio majorum, continuo invalescentium, varietatum, ad stirpes, imo et species usque, tractu nempe longissimi temporis, et variarum causarum influxu, per mille et mille generationes, post millia sæculorum; inde vero destructio stirpium et specierum intermediarum. Simili ergo modo, ac selectio artificiosa, agit selectio naturalis, nisi quod natura potentior est, et species producere valet, eo præprimis quod tempus incommensurabile pro se habet.

368. En proprie systema darwinisticum, seu selectionis naturalis. Quod quidem sagaciter conceptum esse et logice cohærere videtur; ita ut, quod selectione artificiosa in viventibus domesticis obtentum demonstratur, id in fera natura obtineri posse selectione naturali, modo explicata, ostendatur. Ast, manet tota quæstio extensionis hujus selectionis ad species, an nempe efficax sit ad species novas efformandas: cui, ut vidimus, et ipsi evolutionismi sectatores, non eodem modo respondent.

Ita inter hos Yves Delage (1): « La sélection naturelle est un principe admirable et parfaitement juste. Tout le monde est d'accord aujourd'hui sur ce point. Mais, où l'on n'est pas d'accord, c'est sur la limite de sa puissance, et sur la question de savoir si elle peut engendrer des formes spécifiques nouvelles. Il semble bien démontré aujourd'hui qu'elle ne le peut pas. » Deinde argumenta affert quibus hanc inefficaciam probet, et concludit efficacem esse selectionem solummodo ad hoc ut variationes tollat radicaliter malas et speciem contineat intra caracterem suum normalem, adeoque nedum sit instrumentum evolutionis specierum, harum potius fixitatis pignus esse dicit (2). Ipse proin, sicut et cæteri

(1) *La structure du protoplasme*, p. 371 et sqq.
(2) *Op. cit.*, p. 391. — Ulterius adhuc progressus est Carl Vogt, qui

evolutionistæ, qui selectionem naturalem ad evolutionem specierum non esse efficacem autumant, alias causas assignant hujusmodi evolutionis (1). Quibus omnibus non insistimus, brevitatis causa, neque vero necesse est: quidquid enim sit de istis causis, cum nulla hucusque assignari possit sufficiens ad producendam novam speciem, et assignatæ omnes simul ad hoc efficaces esse haud evidenter constet, potius inquirendum est an hujusmodi causas, additis forte aliis ignotis, in præteritis sæculis aliisque adjunctis, hunc effectum habuisse saltem probabiliter, aut adminus habere potuisse demonstretur; aliis verbis, an sint quædam indicia seu argumenta quibus ortus communis specierum probabilis aut saltem possibilis appareat, quæcumque sint de facto causæ evolutionis hujusmodi. Adeoque nunc universim evolutionismi indicia et argumenta breviter crisi subjiciemus, sive a darwinistis, sive ab aliis evolutionismi sectatoribus prolata, necnon argumenta quæ adversus ortum communem specierum militare videntur.

369. Et *primo* quidem, universa morphologia, aiunt evolutionistæ, communem specierum originem demonstrat: tanta enim est tamque universalis similitudo caracterum morphologicorum, v. g. inter animalia vertebrata, ut omnia a typo communi descendere appareat; pariter organa et membra, apud diversas species sibi respondentia, anatomice comparata inveniuntur ita similiter efformata, quamquam apud diversa diversis usibus aptata, ut eumdem communem typum referant. Neque aliter quam communi ortu explicari potest similitudo morphologica: ad unitatem enim ideæ Creatoris (unité de plan) appellare, nihil aliud est quam explicationem refugere, et rem non explicatam in medio relinquere.

Ad hæc merito reponitur, dictam similitudinem *posse* quidem significare generatim communem originem similium, quod nemo negat: etenim et illi, qui fixitatem specierum propugnant, similitudinem morphologicam ut unum ex ele-

---

contendit selectione naturali non caracteres divergentes, sed caracteres communes invalescere, ita ut quæ antiquitus duæ species fuerint, in unam reductæ sint.

(1) V. Yves Delage, *op. cit.*, p. 813-826.

mentis, quibus species dignoscantur, agnoscunt, cum et constanter similia ex similibus generari videamus; simul tamen affirmant similitudinem morphologicam non esse criterium unicum neque imo præcipuum unde origo communis et distinctio specifica discernatur.

Atvero, a posse ad esse non valet conclusio. Quod autem etiam *specierum* ortum communem, et *necessario* quidem importet similitudo morphologica, id longius a vero abest: quod enim varii et ordinati gradus perfectionum in rebus, adeoque et varii gradus similitudinis inter eas, non necessario communem earum ortum importent, sed unitatem ideæ Auctoris earumdem quoque significare possint, quis sanæ mentis negabit? quemadmodum res artificio confectas quoties inter se similitudinem habere videmus, non ortas ex communi typo sed ab eodem artifice aut secundum aliquam saltem communem artificis ideam confectas concludimus. Profecto, Deum immediate producere species nequaquam repugnat; quo dato, etiamsi non concesso, oportet sane agnoscere similitudines rerum optime explicari ex unitate ideæ, qua innumeras varietates ad unum, summa ordinis pulchritudine, Creator reduxerit.

370. Neque enimvero hæc unitas concipienda esset, quasi ex mero libitu et arbitrio Creatoris orta, ut videntur evolutionistæ insinuare, sed tamquam in ipsa rerum natura fundata; neque adeo dicendum esset mere idealem seu pure intellectualem esse nexum inter entia corporalia et speciatim inter viventia, sed et quamdam parentelam, ut ajunt, realem esse, quamvis non necessario sit communis descensus ab aliquo typo seu aliquibus typis primævis.

Nam considerandum est, in omnibus rebus corporalibus necessario aliquid esse commune, nempe materiam primam, et proin quidquid corporale est communem quoque energiam materialem, quamquam diversis modis in diversis rebus, vel in potentia seu latentem, vel in actu seu apparentem et agentem, sibi inditam habere (1). Unde statim legitime

(1) Jam vidimus, agendo de discrimine inter vivens et non vivens, modum et directionem virium materialium plane diversa in vivente et non vivente. Pariter, hujusmodi diversitas est in planta et in animali. « La chlorophylle... qui donne aux feuilles leur couleur verte, peut être

deduces ortum communem omnium rerum corporalium hoc sensu, quod ex potentia materiæ educi possint omnes formæ rerum mere corporalium. Sed profecto esset latius os, inde deducere quamvis formam educi e potentia materiæ quovis modo dispositæ et quavis operante causa, ita ut, posita materia primitus sub aliqua forma quacumque, necessaria evolutione, eaque continua, ex isto primo corpore omnia corporalia, sive non viventia, sive viventia oriantur, aut et oriri possint. In ipsis rebus inorganicis, ut explicavit præcedens parergon, necesse est ponere plures formas elementares e potentia materiæ, puta sub forma etheris creatæ, fuisse a Deo immediate primitus eductas, ut mundus inorganicus sese evolvere potuerit: si enim una tantum fuisset, cum unum non agat nisi unum, evolutio fuisset impossibilis. Pariter, in mundo organico vidimus vitam nonnisi Deo auctore immediato apparere potuisse, ubi rursum, si unum tantum fuisset vivens, nulla, absque nova actione immediata Dei, possibilis evolutio specierum.

371. Oportet ergo plures species viventes ponere primitus a Deo productas (1), quod et Darwin initio intellexisse

---

très vraisemblablement considérée comme un produit exclusif de la plante..... Par suite de la présence de la chlorophylle, qui joue un rôle si important chez les plantes, le mode de nutrition présente un contraste frappant chez ces dernières et chez les animaux..... La plante qui, à l'aide de la chlorophylle, crée de toutes pièces, sous l'influence de la lumière, principalement aux dépens de l'acide carbonique, et probablement dans les grains de chlorophylle, des composés organiques *(assimilation)*, exhale de l'oxygène, que l'animal absorbe à son tour par les organes respiratoires pour subvenir aux besoins sans cesse renaissants de la nutrition. Aussi, nutrition et respiration sont-elles dans les deux règnes liées l'une à l'autre, mais en sens inverse. La vie de l'animal est basée sur le dédoublement de combinaisons complexes, et n'est en somme qu'un phénomène d'oxydation, [hæc corrige addendo quæ supra de principio vitali dicta sunt, ubi de origine vitæ] par lequel les forces latentes sont transformées en forces vives (mouvement, chaleur, lumière); l'activité vitale de la plante repose, en ce qui concerne l'assimilation, au contraire, sur des phénomènes de synthèse, et n'est autre chose qu'un phénomène de réduction, qui a pour résultat de transformer la chaleur, la lumière, les forces vives en forces latentes. » Ita Claus, *Éléments de Zoologie*, p. 14.

(1) Idem advertit Piat, *La personne humaine*, cit. a Guibert, *Les Origines*, 2e édit., p. 159, note 2.

videtur, ut diximus; vel alium interventum immediatum Creatoris in evolutione ipsa agnoscere. Possibilitatem autem hujusmodi evolutionis viventium ex pluribus quibusdam typis primævis, sine nova interventione Dei, sive intra idem regnum, sive etiam cum transitu a regno vegetali ad animale, hic ulterius non examinamus, cum ex tota retro disputatione id declarandum sit. Sufficit nunc notasse vel requiri plures saltem primævos typos, vel aliam interventionem Dei in ipsa evolutione; et similitudinem morphologicam adduci non debere ad demonstrandam eamdem possibilitatem; sed, in quæstione facti, prædictam similitudinem significare posse quadamtenus ortum communem, quin tamen necessario seu determinate eum significet, cum et alia via explicari possit similitudo morphologica. Agitur hic de facto, an probabiliter saltem hæc evolutio facta fuerit, et asserimus similitudinem morphologicam esse signum æquivocum tantum evolutionis, adeoque concludimus nihil demonstrari, ne probabiliter quidem, hoc solo argumento seu indicio ex morphologia desumpto. Iis solis argumentum est, idque probabile tantum, qui a priori actionem Dei in constitutione specierum excludunt. Cæterum evolutionistæ plures, materialismo addicti, multo magis solliciti videntur de eliminando Creatore, quam de scientia naturæ stabilienda (1); quamquam, ut vidimus, evolutionismus intra debitos limites restrictus non repugnat fidei doctrinæ.

Præterea, contra est quod si ex solis factis certis nunc notis, quibus constat similia ex determinatis similibus generari, nequaquam vero ex similibus quibusvis remotiori similitudine, inductione arguamus, saltem probabiliter oppositum theseos evolutionismi verum esse inveniemus, nempe similitudinem morphologicam non significare ortum communem nisi intra certos limites, scilicet specierum, sicut plasticitas

---

(1) Ita Darwinio exprobrat Tyndall : operæ pretium non esse minuere numerum typorum creatorum, cum anthropomorphismus (ut ait, designare volens doctrinam creationis divinæ) tam bene in creatione aliquorum quam in plurium inveniatur. Et juste notat Yves Delage, *op. cit.*, p. 185. in nota; « Je suis absolument convaincu qu'on est ou n'est pas transformiste, non *pour des raisons* tirées de l'histoire naturelle, mais *en raison* de ses opinions philosophiques. »

viventis intra eosdem limites continetur, non se extendens ultra stirpes producendas.

Cæterum, similitudo inter diversas species magis apparentiæ tenus, quam vera et intima est, siquidem discrimen ad ultimas fibrillas et particulas pertingit, quod præcise ratione formæ specificæ diversæ sana philosophia naturalis apte explicat.

372. *Secundo,* arguunt transformistæ ex dimorphismo et polymorphismo in certis speciebus. Videlicet, apud quædam animalia, præcipue insecta aliaque hujusmodi inferiora, masculi a femellis morphologice tam longe ab invicem distant, ut nisi constaret de copulatione communique origine, ad diversas species pertinere crederentur. Idem dimorphismus quoque contingit in eodem sexu, ita ut duæ sint formæ, valde distantes, sive masculorum sive femellarum, seu polymorphismus in eadem specie; imo et alius polymorphismus est apud quædam, præsertim in societate viventia, ita quod, præter utrumque sexum, est alia categoria neutralium; sic apud formicas præter utrumque sexum duæ quidem sunt categoriæ femellarum per atrophiam jam infœcundarum seu neutralium, nempe operarias et milites; apud termitas, præter utrumque sexum sunt tum masculi tum femellæ per atrophiam organorum sexualium steriles effecti.

Ex quibus, aiunt, videre est quanta sit efficacia adaptationis; quæ evidentior apparet, si causas dimorphismi inspicias, v. g. apud animalia parasita, in quibus dimorphismus maxime invaluit: etenim apud hæc, cum non egeant ad sese nutriendum femellæ locomotione, organa locomotiva tabescunt, enormiter excrescunt ovaria, corpus fit informe, etc.; dum masculi, qui et in generatione partes activas agere et alterum sexum inquirere debent, conservant organa locomotionis, segmentationem et formam agilitatemque corporis, etc., et staturam solent habere longe minorem femellis, aliquando respectu harum apparentes quasi pumiliones seu nani. Præterea, advertendum est, polymorphismum intime cohærere cum modo productionis et evolutionis germinis, ita ut quidam scientiarum naturæ cultores — sit venia hujusmodi confusioni nominum et notionum, nimis frequenti — polymorphismum dicant esse formam peculiarem metageneseos seu generationis alternantis, scilicet volentes signi-

ficare ex metagenesi sequi polymorphismum, quamvis non semper (1). Modus quoque evolutionis germinis, ut in heterogonia, dimorphismum producere potest.

---

(1) Necesse videtur quasdam hic exponere notiones, quæ et postea usui erunt, circa diversos modos reproductionis viventium, necnon evolutionis germinis, in utroque regno, tum vegetali tum animali.

Et modi quidem reproductionis sunt præcipue sequentes: 1° reproductio *asexualis* seu *monogena*, quæ rursum duplex est: 1/ per simplicem *scissionem* seu *divisionem*, apud infima animalia, protozoa et quædam metazoa inferiora, frequentissima, utpote qui modus est multiplicationis cellulæ; 2/ per gemmas seu cellulas germinativas (*gemmation, bourgeonnement, reproduction par spores*), frequentissima apud vegetalia, in regno animali apud sola protozoa unicellularia occurrit. 2° Reproductio *sexualis* seu *digena*, ubi duo elementa concurrunt, cellula-ovum seu *ovum* simpliciter, continens quasi materiem, e qua novum exurget individuum, et *cellula spermatica*, quod est elementum fœcundans ovum. Organa, in quibus nascuntur ista elementa vocantur organa genitalia, quæ inveniuntur apud animalia metazoa et alia superiora, et similiter apud multa vegetalia, ubi præterea frequenter plures modi reproductionis simul inveniuntur. Organa genitalia apud viventia sexuata superiora solent apud distincta individua esse distincta, masculinum aut femineum; apud inferiora vero in eodem individuo, *hermaphrodito* seu androgyno, unita inveniuntur, ita ut ista individua seipsa fœcundent; aut in gradu paulo superiori organizationis invicem fœcundent, quod quidem generatim contingit, cum enim maturitas utriusque elementi non coincidat eodem tempore, etiam apud illa, ubi incomplete separantur ovaria et testiculi, copula necessaria intelligitur duorum. Cæterum organa genitalia maximam diversitatem et progressivam complicationem apud diversa viventia exhibent.

Præterea apud quædam, præcipue insecta et crustacea, ovum maturescit et sese evolvit, absque eo quod fuerit fœcundatum, ad modum nempe cellulæ germinativæ: quod quidem phenomenon ad reproductionem sexualem refertur, sed ob indolem propriam *parthenogenesis* dicitur. Quandoque dubium esse potest an de ovo sponte se evolvente, anvero de cellula germinativa agatur. Sic deducimur ad modum evolutionis germinis considerandum.

Evolutio hæc seu explicatio et crescentia *(le développement)*. alia est *directa*, quando neo-natum formam adultam fere refert, ut solum crescere et invalescere debeat; alia *indirecta*, quando neo-natum est simplex *larva*, ut aiunt, quæ per varia stadia et mutationes seu per *metamorphosim* ad formam adultam perducitur.

In utroque modo evolutionis, diversæ phases in eodem individuo, ad perfectum deducendo, succedere solent; sed etiam contingit apud quædam inferiora ut partim in eodem individuo, partim apud nova ex eo orta istæ phases evolutivæ sibi succedant, ita ut cyclus vitæ hujusmodi viventium decurrat per duas aut plures generationes, ubi generata et

Itaque, si tantam, ajunt, distantiam morphologicam in eadem specie videmus, eamque tum conditionibus externis productam, quibus organismus sese adaptat, tum modo productionis et evolutionis germinis causatam, quidni ulterius merito extenderemus plasticitatem viventis, ita ut similibus causis, adjecta efficacia lentæ per immensa tempora, per mille generationes successivas evolutionis, novæ species oriantur, etiam valde distantes ab invicem, et a communi stipite? Igitur hoc argumentum complet illud ex morphologica similitudine supra deductum. Cum enim inter omnia viventia aliqua major minorve similitudo, et ex adverso dissimilitudo sub alio respectu existat, ex utraque parte ortus communis probatur: ex similitudine inter diversas species quasi directe; ex dissimilitudine inter categorias ejusdem speciei, quasi indirecte, seu mediate, cum hæc immediate et directe plasticitatem et miram adaptationis facultatem in vivente demonstret, qua facile sese evolvat vivens ad producenda valde dissimilia a se, quamquam sub alio respectu similia.

---

forma et organizatione, modo quoque nutritionis et reproductionis differunt. Quæ *metagenesis* seu *generatio alternans* vocatur. « Elle consiste essentiellement en ce que les animaux sexués engendrent des descendants *(nourrices)*, qui toute leur vie restent différents de leurs parents, mais peuvent donner naissance agamogénitiquement à une génération qui reproduit la forme et l'organisation de l'animal sexué, ou qui se multiplie encore asexuellement et dont les descendants seuls reviendront au type primitif. Dans ce dernier cas, on appelle *grand' nourrice* la première génération, qui se reproduit asexuellement, et *nourrice* celle qui en est issue, c'est-à-dire la seconde. » Ita Claus, *op. cit.*, p. 158. Evolutio autem hujusmodi successive genitorum potest esse vel directa vel per metanorphosim. Pariter nutrix ab individuo sexuato parum differre potest, vel contra, longe ab eo morphologice distare. Unde vides quomodo dimorphismus aut et polymorphismus metagenesim non infrequenter sequatur.

Tandem, fit ut neo-natum, ex sexuali generatione ortum et sexuatum, pro diversis adjunctis biologicis modo ita diverso evolvatur, ut ejus formæ adultæ una ab altera tam longe distent, quod ad diversas species pertinere viderentur, et quæ utræque sexuali generatione diversa rursum reproducuntur, sæpe alternante uno modo generationis cum altero. Quod phenomenon nomine *heterogoniæ* designarunt. Specialis quoque forma heterogoniæ occurrit, quam *pedogenesim* vocarunt, si nempe incipiat heterogonia a generatione quidem sexuali sed, ovariis vix efformatis, in ipsa larva, quæ agat tamquam nutrix, seu a precoci parthenogenesi.

373. Quid jam de hoc argumento judicandum? Imprimis, si res contineatur intra limites factorum, de quibus observatione et experimento certis constat, quod maxime decere videtur viros scientiarum naturæ cultores, dimorphismus et polymorphismus probant per se plasticitatem, miram adaptationis facultatem, transformationem viventium *intra eamdem speciem,* ut patet et ipsi evolutionismi sectatores fatentur; præterea confirmant eadem phenomena quod supra ostensum est, nempe morphologiam se solam non sufficere ut determinentur et distinguantur species, cum tanta sit distantia nonnumquam inter formas intra eamdem speciem. Deinde, inspecta etiam simul polymorphismi origine, qui nempe frequenter sequatur metagenesim, et dato nunc (quod infra est examinandum) masculos et femellas in casu descendere a similibus primitus hermaphroditis, rursum dicimus evolutionem quidem esse, intra vero eamdem speciem, ipso videlicet progenitore illo hermaphrodito ad eamdem speciem pertinente. Adeoque, novis istis observationibus et experimentis factis, major forte extensio certæ speciei erit agnoscenda, quam olim e factis obviis et solis tum notis dabatur. Eaque æqualiter valent, sive majores illi hermaphroditi supersint, sive disparuerint et olim extitisse censeantur.

374. Quidquid præter hæc hoc solo præsenti argumento probare nituntur, ad meras conjecturas et hypotheses remittendum est, et certe ne probabiliter quidem inferri potest ex solo polymorphismo origo communis specierum.

Ubi et hoc notari meretur, cum varii sint et ordinati gradus perfectionis in viventibus, tum plantis, tum animalibus, ab infimis paulatim et serie quasi non interrupta ascendendo ad superiora, cumque adeo similitudo major minorve simul et dissimilitudo per varios gradus necessario inter viventia reperiri debeat, nihil mirum esse in modo quoque productionis et evolutionis germinis eadem contingere, ita ut modus ille sit minus determinatus, aut et multiplex apud inferiora, sicut minor est fixitas et major plasticitas, dum apud superiora generatio et evolutio fiunt modo magis determinato, et tum ab intrinseco organa magis distincta et perfectiora, tum ab extrinseco conditiones magis fixas et peculiares requirunt. Quantum discrimen hac in re inter vegetale, quod et semine, et simul gemma, et simul

solo quandoque abscisso ramo propagatur, in sinu matris communis, nempe terræ, sub influxu causarum externarum communium lucis, caloris, aeris, et inter animal perfectius, quod sola generatione sexuali a determinatis parentibus oritur, in utero intima conjunctione cum matre nutritur, in determinatis omnino adjunctis.

Itaque, sicut similitudo morphologica inter species diversas, et dissimilitudo intra eamdem speciem, non probat determinate ortum ex communi typo, ita nec similitudo ac dissimilitudo eadem in productione et evolutione germinis.

375. Dicet aliquis, non solum sunt prædictæ similitudo et dissimilitudo in productione et evolutione germinis, sed est processus a modo imperfectiori ad perfectiorem, qui demonstrat communem ortum. Nam, ut declarant naturalistæ, primo cellulæ germinativæ fiunt dissimiles, deinde diversificantur in cellulas-ova et cellulas spermaticas, estque prima divisio operæ (1e division du travail) quam natura operatur; et acervus quidem hujusmodi cellularum in parietibus cellulariis corporis forma est primitiva sexus, qui deinde acervus induit formam glandis (ovarii — testiculi) munitæ canale excretorio, ita ut unitum maneat utriusque sexus organum, aut, apud perfectiora viventia, separata sint organa genitalia in eodem tamen individuo, et tandem ultima quadam operæ divisione ab hermaphrodito transitus fiat ad separationem sexuum in diversis individuis.

Ad hæc merito reponitur, esse quidem illam gradationem ascendentem in modo productionis et evolutionis germinis, inde vero concludere unum modum ex alio ortum habere et hæreditate transmitti, sive selectione naturali sive alio modo id effici dicas, ita ut modus perfectior fixus in posteris evadat et tandem ortum det individuis morphologice tam distantibus ut nova species constituatur, id, inquam, concludere, rursum petitio principii est, similis ut supra: varii sunt gradus perfectionum in viventibus, ergo ex communi stipite hæc viventia oriuntur. Neque modo gratis asseritur hæc evolutio organorum sexualium ac modorum reproductionis et evolutionis germinis, atque consequenter specierum (1), sed quæ-

(1) Hæc quidem assertio, sicut generatim totum evolutionismi systema magnopere favet expositioni scientificæ, scilicet collationi diversorum

dam facta stant in oppositum. Ita, apud vegetalia multa, et animalia quædam inferiora, multiplex est modus reproductionis in iisdem individuis juxtapositus, ita ut simul sola abscissione partis et gemmatione et sexuali generatione reproductio fiat; quod quidem cum natura et gradu inferiore perfectionis horum viventium plane convenire vidimus. Quænam vero ibi est selectio, quis progressus et ortus unius modi ab alio, qui hæreditate transeat, fixus efficiatur et augescat? ubi totum, scilicet multiplex generationis modus immutatus, transit ad posteros.

Præterea, in generatione alternante, nedum transeat modus perfectior, videmus cyclum uniformem et constantem, quo individuo sexuato succedit una vel et bina generatio asexualis, a qua rursum regressus fit ad priorem typum sexuatum. Tandem, apud societates polymorphicas quorumdam insectorum, ut formicarum, apum, termitarum, videmus quædam contingere formaliter opposita legi fundamentali hæreditatis: quomodo enim cum hac lege concilias ex eadem femella generatione sexuali generari et sexuata, et sterilia per atrophiam (eamque non lenta evolutione sed extemplo productam) organorum sive masculini sive fœminei sexus? Hanc difficultatem puerili explicatione declinat Darwin, dicens hoc phenomenon primum casu contigisse, sed matres, utilitate neutralium perspecta, hanc neutralia pariendi facultatem ad posteros transmisisse!

Instant nihilominus evolutionistæ: sunt enim, aiunt, apud multa viventia, positiva vestigia organorum sexualium quæ, cum jam nulli usui sint, explicari nequeunt nisi ex eo quod ista viventia, orta sint ex communi olim stipite hermaphrodito. Sed hoc pertinet ad aliud argumentum seu indicium generale evolutionis, ex organis rudimentariis desumptum, de quo statim infra agendum, postquam dixerimus de indicio quod ex mimetismo desumunt, quodque heic, utpote ad morphologiam propius spectans, annectitur.

(Continuabitur).

---

inter se, unitati inter varia inveniendæ, nexui rerum; inde factum videtur ut multi, quasi inconscie abrepti, hoc systema amplexi sint, quin argumenta pro et contra satis enucleaverint, et quasi, excluso evolutionismo, non possit esse systema scientificum; quod quidem materialistæ contendunt, dicentes interventum Creatoris esse antiscientificum.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii

—

I

Explica Luc. I, 76-79.

II

Demonstra angelos evectos fuisse ad ordinem supernaturalem.

III

Quid in jure nostro habetur circa rescissionem venditionis in casu læsionis, et quomodo hæ legis dispositiones foro conscientiæ applicantur?

IV

Quandonam venditor vitia rei venditæ manifestare tenetur?

V

Quid dicendum de obligatione venditoris bona fide mercis venditæ vitia ignorantis?

VI

Les traitements des succursalistes et des vicaires sont-ils concordataires et pourquoi?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Explica Sap. X, 10-14.*

R. *Argumentum:* Inde a c. X, 1 usque ad libri finem auctor ex historia demonstrat *utilitatem sapientiæ,* quippe quæ non tantum patriarchas ad beatum finem perduxerit, sed integrum quoque populum direxerit, ab idololatria custodierit, in terram promissam introduxerit. *In præsenti loco* X, 10-14 *quomodo sapientia justos reddat beatos ostenditur exemplo Jacobi* contra Esau et Laban defensi (10-12) *et Josephi* e carcere ad dignitates elevati (13-14).

V. 10. *Hæc* (sapientia v. 9) *profugum iræ fratris justum*, Jacob sc., qui Esau fratris sui iram declinabat (Gen. XXVII, 42 ss.), *deduxit per vias rectas* i. e. tutas in Mesopotamiam et inde rursus in Chananæam, secundum promissionem Dei (Gen. XXVIII, 15): « Ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc »;

et ostendit illi regnum Dei i. e. regimen Dei, modum regnandi seu regendi Dei; nempe erat scala quam vidit Jacob in somno (Gen. XXVIII, 12-15) symbolum Dei regnantis, et omnia per angelos euntes et redeuntes regentis; *et dedit illi scientiam sanctorum* (gr. γνῶσιν ἁγίων) i. e. dedit illi in ipsa visione scientiam rerum sanctarum, nempe (Gen. XXVIII, 12-15) angelorum ministerii, divinæ de se curæ ac providentiæ, benedictionis omnium gentium in semine suo; *honestavit illum,* εὐπόρησεν = eum opibus instruxit, locupletavit (1), *in*

(1) εὐπορεω ordinarie verbum intransitivum sumitur hîc in sensu activo.

laboribus quibus apud Laban desudavit (Gen. XXIX et XXX), *et complevit* gr. ἐπλήθυνε sc. complevit multiplicando *labores illius* i. e. laborum ejus fructus, cùm per virgas decorticatas et viridas fœtus ovium maculati velleris multiplicavit (Gen. XXX, 37 ss.).

V. 11. *In fraude circumvenientium illum affuit illi:* Astitit ei (1) quando ex avaritia (πλεονεξία) Laban conabatur (2) ipsum circumvenire mutando mercedem Jacobi (Gen. XXXI, 7), eumque persequendo fugientem (Gen. XXXI, 23), *et honestum fecit eum* ἐπλούτισεν αὐτόν i. e. eum ditavit.

V. 12. *Custodivit illum ab inimicis et a seductoribus* (insidiantibus) *tutavit illum:* minando Laban (Gen. XXXI, 24 ss.) et divertendo iram et conatum Esau (Gen. XXXII); *et certamen forte dedit illi ut vinceret:* dedit ei victoriam in acri certamine, quando nempe (Gen. XXXII, 24 ss.) cum viro quem Oseas (XII, 3) angelum vocat tota nocte colluctatus, eum tandem superavit, unde et nomen Israel, id est, dominans seu prævalens Deo, promeruit, *et sciret, quoniam omnium fortior est sapientia;* ut ex illo certamine tanquam e symbolo intelligeret se per sapientiam (εὐσέβεια = sapientia relate ad Deum, pietas, religio) victoriam de omnibus hostibus, adeoque etiam de fratre Esau reportaturum.

V. 13. *Hæc* (sapientia) *venditum justum non dereliquit,* sc. Josephum Ismaelitis venditum a fratribus invidia ac odio in eum flagrantibus (Gen. XXXVII) non dereliquit, *sed a peccatoribus liberavit eum:* gr. ἐξ ἁμαρτίας: e peccato, ad quod ab hera, uxore Putiphar, sollicitabatur (Gen. XXXIX, 7 ss.); sapientia enim munitus Joseph respondit: « quomodo possum hoc malum facere et

---

(1) Astitit ei quatenus juxta Gen XXXI, 7 « non dimisit eum (Laban) Deus ut noceret » ei.

(2) Plur. « circumvenientium » forsan explicatur ex Gen. XXXI, 23: Qui (Laban) assumptis fratribus suis, persecutus est eum etc.

peccare in Deum meum » (v. 9). *Descenditque cum illo in foveam* i. e. in carcerem (1) in quem eum tradidit Putiphar, nimiùm credulus verbis uxoris, Joseph falso accusantis (Gen. XXXIX, 19 ss.). Sapientia autem cum Joseph descendit in carcerem, quatenus « Dominus erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat » (v. 23): dedit enim ei gratiam in conspectu principis carceris, ubi per sapientiam somnia captivorum revelabat. — Quidam Auctores *in foveam*, gr. εἰς λάκκον, intelligunt « veterem cisternam » in quam Joseph immissus est a fratribus (Gen. XXXVII, 24). Verùm non ità apparet quomodo sapientia cum eo in puteum descenderit, nec præterea ibi *in vinculis* (v. 14) fuerit sicuti in carcere ægyptiaco (Gen. XXXIX, 20). Cæterùm, Septuaginta λάκκος intelligunt quandoque de carcere, ità Gen. XL, 15, (*Vulg.:* in lacum); Exod. XII, 29 (*Vulg.:* in carcere).

V. 14. *Et in vinculis* carceris ægyptiaci *non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni*, i. e. potestatem regalem qualis ei collata fuit Gen. XL, 40 ss.; *et potentiam adversus eos qui eum deprimebant* sc. adversus fratres qui eum pessime tractaverant (Gen. XXXVII) ejusque potentiam experti sunt (Gen. XLII ss.) necnon adversus Putiphar; *et mendaces ostendit qui maculaverunt illum,* i. e. qui conati sunt eum maculare calumniis, uti uxor Putiphar. Mendaces eos ostendit quatenus sapientia qua Joseph somnia interpretatus erat, et potestas ipsi concessa satis ostendebat falsò eum fuisse accusatum; *et dedit illi claritatem æternam*, nempe gloriam longam in Ægypto (Gen. XLI, 40 ss.) et, apud omnes generationes, famam prudentiæ ac virtutis nunquam interituram (2).

A. C.

---

(1) Cfr. Beelen, in h. loc.

(2) Cfr. Migne *Cursus Script. Sacræ completus*, T. XVII (Parisiis 1864) p. 500 s.

II

Q. *Expone utrum et quare Deus* ab æterno *et* æqualiter *diligat omnia creata.*

R. I. Deus *ab æterno* diligit omnia creata.

Ratio est quia amor est operatio quæ essentialiter perficitur quin importet tamquam terminum aliquid *actu existens* extra amantem: amor nempe consequitur bonum *intellectum* seu *cognitum;* licet amor tendat ad bonum extra amantem, tamen in illud tendit *mediante cognitione quæ est in amante:* inde non repugnat aliquid amari quin actu existat.

Atqui Deus ab æterno cognoscit omnia, proinde etiam ab æterno vult ut talia et talia actu existant *in tempore,* secundum ordinem suæ sapientiæ: ergo *ab æterno vult* Deus illorum *bonum*, ergo *ab æterno amat* illa (1).

Nota. 1. Contra hanc thesim objiciat quis forsitan: Antea (in *Collat. Brug.* T. VIII, p. 612) assertum est Deum non amare actu mere possibilia; atqui creaturæ, antequam actu existunt, sunt mere possibilia; ergo Deus actu non amat creaturas nondum actu existentes.

Respondeo *negando minorem.* Et re quidem vera illa quorum existentia fuit a Deo decreta jam non sunt *mere possibilia,* sed licet nondum actu sint existentia, tamen infallibilem ordinem dicunt ad existentiam. Porro eo ipso quod Deus velit illa existere in quacumque temporis differentia, ipsis vult bonum, consequenter illa *actu amat.* E contrario *mere possibilia* sunt ea quæ quidem producibilia sunt sed quæ tamen nunquam producentur: ipsis ergo Deus nullum bonum vult, consequenter illa actu non amat (2).

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XX, a. 2 ad 2 et in III, D. XXXII, Q. I, a. 3 ubi ad 5 dicitur: « Deus *volebat ab æterno* creaturas esse, sed non eas *esse ab æterno* sed secundum ordinem suæ sapientiæ. »

(2) Quando dicitur: quod actu amatur a divina voluntate aliquid recipit ab illa et proinde aliquid est, hoc intelligatur sic: quod actu

2. Nec putandum est Deum aliter amare creaturas quando actu fiunt existentes, et aliter antequam actu existunt: hoc imprimis repugnat *immutabilitati* divinæ; deinde proxima ratio asserti est quia Deus ab æterno vult talia et talia *esse in tali vel tali temporis differentia:* inde ab æterno perfectus et completus est amor Dei erga creaturas.

3. Nec dici potest: Deus ab æterno amat creaturas *in seipso*, non ab æterno *in seipsis*. Hoc assertum provenit ex defectu intellectionis alicujus distinctionis quæ optime adhibetur ad explicandam *scientiam* Dei. Etenim ad exponendum modum quo Deus cognoscit omnia a se distincta dicitur: Deus « alia a se videt non in ipsis, sed in seipso, inquantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso » (1). Hoc ad docendum essentiam Dei esse *medium objectivum* in quo Deus cognoscit omnes res, et ipsas res non *immediate* in seipsis cognosci a Deo. Dicitur autem: Deus cognoscit res *prout sunt* in seipsis, ut inculcetur Deum habere de rebus cognitionem veram et propriam. Sed alia est natura *scientiæ*, alia *amoris*. Amor utique supponit cognitionem rei amandæ, sed amor non fertur in cognitionem rei, sed *in ipsam rem* prouti hæc cognoscitur. Inde non habetur medium objectivum amoris sicut habetur medium objectivum scientiæ: Deus amat immediate res prouti cognoscuntur, et quia a Deo res cognoscuntur prouti sunt in propriis naturis, etiam Deus amat res prouti sunt in propriis naturis: sic autem *ab æterno* amat eas Deus.

amatur a divina voluntate aliquid *recipit in quacumque temporis differentia:* eo ipso quod Deus velit aliquod bonum esse extra se, hoc amat sive velit hoc *ab æterno esse*, sive velit hoc *in tempore esse*.

(1) S. Thomas, I, Q. XIV, a. 5; cf. Ills ac Rev. Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.* T. IV, p. 439; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 177; Buonpensiere, *Commentaria in I, P. Summæ theologicæ*, Romæ, 1902, p. 563, n. 841; Remer, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, p. 385.

II. Deus omnia creata diligit *æqualiter* quantum ad *intensitatem* actus amoris; *non æqualiter* quantum ad *objectum* actus.

Ratio primi est quia *unico actu* Deus omnia amat, et consequenter non magis intense vult unum bonum quam aliud.

Ratio secundi est quia, quum amare sit velle bonum alicui, eo magis aliquid amatur quo majus bonum ipsi optatur vel datur. Et secundum hanc rationem, si naturalia dona considerantur Deus magis angelos amat quam homines, si supernaturalia, magis B. M. V. quam angelos (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Explica notionem contractus.*

R. **Contractus** sub jure nostro (a. 1101 *cod. civ.*) *definitione descriptiva* definitur: *conventio qua unus vel plures erga unum aut plures se obligant ad aliquid dandum, aut faciendum vel omittendum; definitione* autem *essentiali* seu quidditativa definiri potest: *Conventio in effectum juridicum* seu *juris stricti.*

Explicatio. In hac definitione vox *conventio* ponitur quasi genus, cui verbis *in effectum juridicum* additur differentia specifica. Est igitur contractus

I. **Conventio** i. e. duarum vel plurium voluntatum in idem objectum consensus mutuus, simultaneus et externus. Est itaque conventio:

1/ *consensus* duarum vel plurium voluntatum: contractus sc. duas saltem personas contrahentes supponit, cùm nemo secum contrahere possit, vel jus alteri nescienti aut non acceptanti conferre; sed possunt esse plures, uti patet. Supponuntur personæ quæ jure sint habiles seu ad pasciscendum capaces.

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XX, a. 3; Ills ac Revs Waffelaert, op. c. T. VI, p. 343

2/ consensus *mutuus in idem objectum;* secus enim non est *conventio.* Unde ad conventionem efficiendam omnino requiritur ut concurrant ex una parte *pollicitatio*, i. e. actus voluntatis quo quis ad aliquid erga alterum se obstringere declarat; ex alia parte *acceptatio* seu alterius vicissim facta voluntatis declaratio, qua id, quod pollicetur, a se acceptari significat. Requiritur ergo ut utriusque partis consensus circa idem objectum in unum coalescat seu moraliter uniatur, quæ unio existere nequit nisi ex una parte volitio seu consensus unius alteri manifestetur ex intentione volentis seu alteri *intimetur* (1), et ex alia parte ut hujusmodi consensus ab altero acceptetur (2).

3/ consensus *simultaneus*, nempe volitio unius saltem virtualiter perseverare debet, quando alterius consensus seu acceptatio accedit, ità ut utraque pars contrahens eodem temporis momento de eadem re consentiat, secùs enim duorum *consensus* non habetur. Ità ad contractum venditionis v. g. non sufficit quod venditor heri statuto pretio vendere voluerit et promiserit, et emptor hodie tantum, ubi venditor (legitime, uti supponimus) consilium jam mutavit, acceptaverit: consensus non fuit simultaneus: uterque enim neque heri neque hodie in idem placitum consensit.

4/ consensus *externus*. Talem enim consensum præcedentia aperte supponunt et lex tùm naturalis tùm civilis ut communi societatis humanæ bono ac paci consulatur, requirit. Ut autem consensus externus sit, necesse est ut tùm pollicitatio, tùm acceptatio aliquo externo signo haud ambiguo alteri manifestetur. Non requiritur quidem per se ut consensus verbis sit ex-

---

(1) Non ergo sufficit consensum unius alteri materialiter quasi innotescere. Cfr. Carrière, *De Contractibus*, Lovanii 1846, T. I, n. 31 — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis 1885, T. I, p. 278.

(2) Quæstionem specialem « utrum acceptatio sit necessaria ad remissionem debiti », solvunt Carrière, *o. c.*, n. 33; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. c.*

pressus, sed quodcumque signum externum aptum ad internum consensum significandum sufficit. « Le consentement, aiunt Aubry et Rau (1), n'est, en général, soumis, pour sa manifestation, à aucune formalité extrinsèque. Il peut être donné d'une manière expresse, par écrit, par paroles, ou par signes. Il peut même résulter tacitement de faits ou d'actes qui le supposent ou l'indiquent d'une manière non équivoque. Mais le seul silence de la personne à laquelle une offre a été faite, ne saurait, en principe, être considéré comme emportant acceptation de sa part... Le principe que la manifestation du consentement n'est soumise à aucune condition de forme, reçoit exception à l'égard des contrats solennels.

D'un autre côté, il est certaines conventions qui exigent, pour leur perfection, une déclaration de volonté expresse, c'est-à-dire, plus formelle que pour les conventions en général ».

II. **In effectum juridicum** seu juris stricti. Non omnis enim conventio, puta duorum simul ambulare statuentium est contractus, sed *consensus in effectum juris stricti*. Contractus nempe semper confert jus in re vel jus ad rem : nimirum habetur in alterutra vel in utraque parte contrahente sive dominii translatio, sive obligationis justitiæ commutativæ productio aut exstinctio, sive etiam utrumque simul. Effectus igitur contractus sub jure nostro est semper aliqua collatio vel commutatio juris, sive realis sive personalis. In jure enim nostro, secus ac in jure romano, ex solo contractu, v. g. venditione vel donatione rei in individuo determinatæ, absque ejusdem rei traditione, transfertur dominium ac exsurgit jus reale; adeoque contractus non semper producit obligationem (uti innuere videtur definitio art. 1001 *cod. civ.* suprà tradita), sed est vel translativus

(1) *Cours de Droit civil français*, Paris, (4e éd.) § 343. — Vide art. *cod. civ.* 1250, 1°; 1275; 1907; 2017.

proprietatis, vel productivus aut etiam exstinctivus obligationis (1).

Adnotationes. 1/ Auctores quidam nomen *contractus* pressius adhibent pro pacto in quo *mutua* oritur obligatio justitiæ strictæ; nomen vero *pactum* adhibent in latiore sensu a nobis definito (2).

2/ Item juristæ quandoque vocant « *convention* » quod nos contractum latiori sensu diximus; complectitur autem conventio apud ipsos *contractum* proprie dictum *(contrat)*, i. e. conventionem quæ pro objecto habet translationem juris vel formationem obligationis, et *distractum (distrat)* qui pro objecto habet modificationem vel exstinctionem obligationis, ut in art. *cod. civ.* 1285 et 1287 (3).

3/ Perperam in jure nostro civili termini *contractus* et *obligatio* non sat diligenter ubique distinguuntur, ità ut nonnunquam de uno edicatur quod in alterum cadit (4). Contractus est causa quædam (5) obligationis, seu fons ex quo obligatio dimanat. Obligatio autem est effectus contractus. Attamen obligatio contractu non tantum suscipi, sed etiam exstingui potest e. g. in contractu permutationis, transactionis etc. Præterea, ut vidimus, effectus immediatus contractus sub jure nostro non semper continetur obligatione, sed quandoque translatione dominii.

4/ *Causam* contractus vocant *juristæ* non rationem mere impellentem ad contractum seu ejus finem remotiorem et extrinsecum, sed ipsum finem proximum seu intrinsecum translati dominii vel susceptæ obligationis; causa proin in contractu oneroso erit alterius præstatio vel promissio, in contractu gratuito ipse animus benefaciendi (6).

A. C.

---

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, p. 239.
(2) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. c.*
(3) *Ibid.*
(4) Cfr. Marrès, *De Justitia*, tom. II, Ruræmundæ 1888, p. 6.
(5) Nam alii sunt fontes obligationis præter contractum.
(6) Cfr. Vermeersch, *Quæst. de Just.*, Brugis 1901 p. 358 s.

IV

Q. *Expone differentiam quæ sub jure nostro viget inter actum inexistentem et actum nullum.*

R. **Prænota.** Omissa quæstione de proprietate vel improprietate verborum « non existens, nullus » (1); omissis pariter controversiis quæ de nominibus sæpe-sæpius potius quam de re ipsa, occasione præsentis distinctionis tam inter jurisperitos quam inter theologos viguerunt (2); *hanc distinctionem omnino retinendam esse censemus.* Etenim fuit a conditoribus juris nostri civilis clare proposita (3); est præterea in ipso codice civili (art. 1117, 1131, 1304, 1599, 1601) fundata; demùm a pluribus jurisperitis, non antiquis tantum sed et hodiernis (4), necnon a pluribus theologis (5) usurpata fuit.

Tradita utriusque actus seu contractus (6) *notione, differentias* præcipuas inter utrumque vigentes exponemus.

I. **Notio.** 1/ **Actus inexistens** (7) *est ille qui caret elemento essentiali ad ipsam ejus naturam, adeoque ad*

---

(1) Cfr. v. g. Van Gestel, *De just. et lege civili*, Groningæ 1896, p. 175 ss. Vermeersch, *Quæstiones de justitia*, Brugis 1901, p. 399 s. — Marres, *De Justitia*, T. II, Ruræmundæ 1888, p. 19.

(2) Cfr. Carrière, *De Contractibus*, Lovanii 1846, T. I, n. 119 ss. — Ills ac Revs Waffelaert, *De l'oblig. en conse. des lois civiles*, Tournai 1884, p. 46 s.

(3) Elle a été « nettement affirmée au Conseil d'Etat, au Tribunal et au Corps législatif ». Mabille, *Programme du Cours de droit civil*, Louvain (autographie) Livre III, p. 18.

(4) Ità Larombière, Demolombe, Marcadé, Laurent (tom. XV, n. 451, 458, et alii quos ipse affert, Aubry et Rau etc., etc. V. G. Thiry, *Cours de droit civil*, Liège, 1893, T. III, p. 119 ss. — Mabille, *o. c.*, T. II, p. 13 ss

(5) Inter quos præ cæteris nominandi sunt Marres (*o. c.*, p. 17 ss.), Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.* et *Tract. de just.*, Brugis 1885, T. I, n. 351.

(6) Dicitur « *actus* seu *contractus* » quia non loquimur tantum de contractu stricte dicto, sed etiam de testamento et donatione.

(7) *Acte* (ou *contrat, convention*) *inexistant, nul de plein droit* ou *radicalement nul, niet bestaande akt* etc., etc. Toutefois, la loi, la jurisprudence et la doctrine ne distinguent pas toujours nettement les deux classes d'actes.

ejus existentiam requisito sive ex jure naturali et positivo, sive ex jure positivo tantùm. Actus enim, cui deficit elementum essentiale requisitum, meritò in jure non existere reputatur adeoque recte *inexistens* nuncupatur. — Actus autem potest esse inexistens

a/ quia caret elemento essentiali requisito *ex jure naturali simul ac positivo.* Jus quidem naturæ ad essentiam actus seu contractus tria elementa requirit: consensum contrahentium, materiam seu objectum circa quod versatur et causam licitam (1). Quodsi vel unum e tribus elementis deficiat, contractus jure naturæ erit inexistens. Jus autem nostrum positivum civile juri naturali congruit, ità ut contractus hujusmodi juridice ut inexistens habeatur: ità si consensus absolute deficiat (v. g. contractus initus cum amente), si deficiat objectum seu materia (venditio rei quæ non existit), si absit causa vel causa sit illicita (contractus de corrumpendo judice).

Nam art. 1108 cod. civ. tria prædicta elementa tanquam *essentialia* in contractu seu conventione requirit, neque eodem loco habenda est habilitas contrahendi, uti manifeste ex art. 1125 et 1304 elucet (2). Fieri tamen potest contractum jure naturali inexistentem (v. g. propter errorem circa substantiam contractus), jure civili esse nullum solummodo seu annullabilem, quia in quibusdam casibus lex civilis consensum ità vitiatum existere immeritò arbitratur.

b/ Quidam actus sunt inexistentes eo quod carent conditione seu formalitate ex *solo jure positivo* requisita ad hoc ut sit seu ad ejus existentiam (et non tantum ad probationem): quales actus seu contractus (solemnes) apud nos sunt donatio (art. 931), contractus sponsorum circa bona (art. 1394), et constitutio hypothecæ (art. 76 legis 16 dec. 1851). Ità donatio inter vivos (3) mere verbalis, defectu actus authentici, ut inexistens haberetur.

---

(1) V. q. præc. Cfr. art. *c. civ.*, 1108, 1131, 1133, etc.

(2) Cf. Thiry, *l. c.* — Mabille, *l. c.*

(3) Evidenter non agitur hic de donatione mere manuali rei mobilis.

Supposons, par exemple, qu'un dépôt s'élève à 1960 francs au 31 décembre 1903, et que les intérêts de l'année 1903 soient de 50 francs; la capitalisation de ces intérêts élèvera donc le solde à 2010 francs au 1er janvier 1904; si le titulaire, dans le cours du 1er semestre de 1904, *c'est-à-dire avant le 1er juillet*, retire 10 francs ou plus, le calcul de l'intérêt pour 1904 se fera à 3 %, à moins, bien entendu, qu'une opération ultérieure ne vienne élever le solde du livret au delà de la limite de 2000 francs.

b Du prix de toute acquisition de fonds publics en vue de laquelle une demande d'achat aura été introduite au moment même d'un versement sur livret.

On sait que le titulaire d'un livret d'épargne peut demander en tout temps la conversion d'une partie de son dépôt en inscriptions sur le carnet de rentes belges attaché au livret.

L'alinéa *b* de l'Arrêté signifie que tout versement sur livret, effectué en vue d'acquisition de rentes belges, ne sera pas considéré comme pouvant amener l'application du taux de 2 %.

Exemple: Une personne possède un livret de 1500 francs, elle verse 1000 francs, mais *en même temps* elle introduit une

demande d'achat de rentes belges pour un prix effectif (1) de 500 francs. Dans ces conditions, le taux d'intérêt sera calculé à 3 %; il serait calculé à 2 % si l'intéressé n'avait demandé la conversion en carnet de rentes que pour un prix effectif de 400 francs, parce que dans ce cas, le solde du livret se serait élevé à 2100 francs après l'opération d'achat de fonds publics.

c/ De toute somme qui aura été inscrite au crédit d'un titulaire par suite d'une réalisation de fonds publics, pourvu qu'un remboursement, suffisant pour réduire à 2000 francs le solde du livret, ait été demandé en même temps que la réalisation.

Lorsqu'un titulaire de carnet de rentes veut réaliser tout ou partie de la valeur de ce carnet, il introduit une demande de réalisation; la Caisse d'Épargne inscrit le produit de la vente sur le *livret d'épargne*.

L'alinéa *c* de l'Arrêté signifie que toute somme inscrite sur le livret du chef de la réalisation de valeurs inscrites sur le carnet de rentes y attaché, ne sera pas prise en considération comme pouvant amener l'application du taux de 2 p. c., à condition toutefois que l'intéressé ait introduit *en même temps* que la demande de réalisation, une demande de remboursement d'une somme suffisante pour que le solde du livret ne dépasse pas 2000 francs après retrait de la somme demandée; il va de soi que le remboursement en question doit être effectué dans le délai fixé à l'autorisation donnée par la Caisse ensuite de la demande introduite. (2)

Ainsi, par exemple, un déposant possède un livret de 1500 fr. et un carnet de rentes; il demande la réalisation de rentes belges pour une valeur effective de 1000 francs; s'il introduit *en même temps* une demande de remboursement de 500 francs ou plus sur son livret d'épargne, l'intérêt sera calculé à 3 p. c.

S'il n'introduisait qu'une demande de retrait de 400 francs,

---

(1) Ne pas confondre *prix effectif* avec *prix nominal*.

(2) Les demandes de réalisation et de remboursement doivent être introduites assez tôt pour qu'il puisse y être donné suite avant la fin de l'exercice en cours.

le solde du livret, après ce retrait, serait de 2100 francs et dans ce cas, le calcul de l'intérêt se ferait à 2 p. c.

d/ Des arrérages afférents au carnet de rentes annexé au livret, pourvu que ces arrérages soient retirés dans le cours du mois de leur échéance.

Il est tenu à l'administration centrale de la Caisse Générale un compte individuel représentant chaque livret; lorsqu'il existe des inscriptions sur le carnet de rentes, attaché au livret, les arrérages afférents à ce carnet de rentes sont inscrits d'office, dès leur échéance, au compte individuel correspondant.

L'alinéa *d* de l'arrêté signifie que le montant des arrérages, qui est réellement versé au compte individuel, ne peut pas être pris en considération comme pouvant amener l'application du taux de 2 %, pourvu que le titulaire effectue, *dans le mois de l'échéance* des arrérages, un retrait suffisant pour que le solde du compte ne dépasse pas 2000 francs.

Exemple: Un déposant possède en avril 1904 un livret d'épargne de 1980 francs, et des inscriptions sur le carnet de rentes attaché au livret; les arrérages de ce carnet échoient en mai suivant et s'élèvent à 60 francs; le titulaire devra avant le 1er juin, retirer au moins 40 francs, pour bénéficier du taux de 3 %; il ne doit pas attendre pour cela l'inscription des 60 francs d'arrérages à son livret.

Art. 3. — La Caisse peut, lorsque plusieurs livrets sont ouverts sous le même nom, faire connaître au titulaire les numéros des comptes auxquels il ne sera plus alloué d'intérêt après la quinzaine en cours.

Il peut arriver que certains déposants, en vue d'éluder l'application du taux de 2 %, se fassent ouvrir plusieurs livrets dans des bureaux différents. L'art. 3 de l'Arrêté autorise la Caisse à se prémunir contre les tentatives de ce genre, en lui donnant le pouvoir de ne plus allouer d'intérêts que *sur un seul compte ouvert* au nom du déposant.

Ce n'est d'ailleurs que dans des cas exceptionnels que la Caisse autorise la création de plusieurs livrets au nom d'une même personne.

Art. 4. (1) Le taux de l'intérêt est uniformément fixé à trois pour cent pour les dépôts effectués par les sociétés mutualistes reconnues et par les sociétés coopératives de crédit agricole affiliées à une Caisse Centrale à la condition que ces sociétés n'acceptent pas de dépôts individuels supérieurs à 2.000 francs.

Ne seront donc admises au régime de faveur institué par l'arrêté du 9 juillet 1903, que les Sociétés coopératives de crédit agricole affiliées à une Caisse centrale, qui n'accepteront point de dépôts individuels supérieurs à 2.000 francs. Les autres resteront soumises au droit commun, c'est-à-dire que l'article 1er de l'arrêté du 12 juin 1902 sera applicable à leur dépôt global à la Caisse d'Épargne.

Par dépôt individuel, il faut entendre la somme confiée à la Caisse rurale par une individualité quelconque, que ce soit une personne isolée ou une collectivité. Peu importe, pour la Caisse d'Epargne, l'utilisation que compte donner la Caisse rurale aux capitaux d'épargne qu'elle recueille : qu'elle les utilise en prêts, qu'elle les emploie à l'acquisition de fonds publics, qu'elle les dépose à une Caisse centrale ou à la Caisse d'Epargne, l'arrêté du 9 juillet 1903 sera en toutes éventualités appliqué au compte global de la Caisse rurale ouvert à la Caisse d'Epargne. C'est donc à tort que certaines sociétés paraissent croire qu'elles pourront échapper à la disposition nouvelle, en tenant une comptabilité double, l'une pour les dépôts qu'elles reçoivent en vue d'être versés à la Caisse d'Epargne, l'autre pour les dépôts destinés à être utilisés en prêts (2).

Comme sanction de cette mesure, la Caisse générale d'Épargne et de Retraite demandera périodiquement aux sociétés de crédit agricole agréées par une Caisse centrale, la liste des dépôts individuels qui leur seront confiés avec l'indication du solde de chacun d'eux.

Art. 5. — Les dispositions qui précèdent seront mises en vigueur à partir du 1er janvier 1903.

---

(1) Modifié par l'arrêté du Conseil général du 9 Juillet 1903.

(2) Circulaire du Directeur général de la Caisse d'Epargne et de Retraite (Novembre 1903).

Note additionnelle. Il avait été décidé (1) que la disposition nouvelle de l'art. 4 serait mise en vigueur à partir du 1er janvier 1904. Toutefois, nous lisons dans une circulaire, adressée par le Conseil d'administration de la *société centrale de crédit du Boerenbond de Louvain* aux Sociétés affiliées :

« Depuis quelque temps notre société centrale de crédit est en négociations avec la Caisse générale d'épargne et de retraite pour en arriver à une entente, et conserver les bonnes relations qui ont toujours existé entre la Caisse générale d'épargne et les sociétés rurales d'épargne et de crédit. Nous avons tout lieu d'espérer que ces négociations aboutiront.

Nous avons eu une entrevue avec M. Lepreux, directeur général de la Caisse d'épargne et de retraite. Nous sommes heureux de pouvoir vous annoncer que quelques mois de délai nous seront accordés avant que la Caisse d'épargne applique la diminution d'intérêt annoncée pour le 1er janvier prochain, quant aux Caisses rurales qui acceptent des dépôts supérieurs à 2000 fr. et les versent à la Caisse générale d'épargne.

Vous ne devez donc plus vous inquiéter de cette date du 1er Janvier 1904, et vous pouvez provisoirement continuer à agir comme vous l'avez toujours fait : accepter des dépôts supérieurs à 2000 fr., et les verser soit à notre Société centrale de crédit, soit à la poste, soit chez le receveur des contributions.

Nos négociations continuent et nous vous tiendrons au courant des décisions qui interviennent ».

D'autre part, nous empruntons au compte-rendu (2) de la Séance du 8 décembre, tenue par la *Caisse cen-*

(1) *Circulaire* du Directeur général de la Caisse générale d'Épargne et de Retraite (août 1903).

(2) *Patrie* du 10 décembre 1903.

trale de crédit agricole de la West-Flandre, la communication suivante :

« L'honorable président de la Caisse centrale a fait part alors à l'assemblée du résultat des nombreuses démarches qu'il avait faites à Bruxelles en vue d'apaiser le conflit entre les Caisses Raiffeisen et la Caisse générale d'Epargne. Les communications du président ont excité au plus haut point l'intérêt et aussi la satisfaction des délégués, car, dit M. l'avocat Standaert, le conflit qu'on craignait n'est qu'un malentendu et en tous les cas les mesures sévères édictées pour le 1r janvier prochain, notamment la réduction de l'intérêt, sont provisoirement rapportées. »

Nous conseillons en conséquence, aux sociétés coopératives de crédit agricole ainsi qu'aux sociétés mutualistes visées par les présentes mesures administratives, d'agir avec prudence, et de ne point prendre à la légère et dans un moment d'affolement, des mesures qu'elles auraient peut-être à regretter dans la suite.

A. C.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

I

Indulgentiæ quas Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X impertitur Christifidelibus, qui retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus, ab eadem Sanctitate sua Benedictis, præscripta pia opera adimpleverint.

MONITA.

Ut quis valeat Indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Pius X impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur:

1° Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enunciatis objectis.

2° Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suæ habitationis retineant, et coram eo devote præscriptas preces recitent.

3° Excluduntur ab apostolicæ benedictionis concessione imagines typis exaratæ, depictæ, itemque cruces, crucifixi, parvæ statuæ et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4° Imagines repræsentare debent Sanctos, qui vel jam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce præhabitis, Indulgentiæ, quæ ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis objectis retinet, et pia opera quæ ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. V. Mariæ aut rosarium ejusve tertiam partem aut divinum officium, vel officium parvum ejusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem psalmos pœnitentiales aut graduales, vel consueverit

catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos, vel ægrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut missæ interesse, eamve peragere, si fuerit Sacerdos: quisquis hæc fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicæ, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SS^mæ Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariæ, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, S. Josephi Sponsi ejusdem B. Mariæ Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Matthiæ, et Omnium Sanctorum; eodemque die devote Deum exoraverit pro hæresum et schismatum extirpatione, catholicæ fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiæ necessitatibus; quolibet dictorum dierum Plenariam Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero, corde saltem contritus, hæc omnia peregerit in aliis festis Domini, et B. V. Mariæ, quolibet dictorum dierum Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Præterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariæ Virginis, vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos pœnitentiales cum litaniis adjectisque precibus, quoties id peregerit centum dierum Indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit, atque juxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitut. quæ incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere pœnitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SS^mum Nomen Jesu, Plenariam Indulgentiam assequetur.

Quisquis præmiserit qualemcumque orationem præparationi Missæ, vel Sanctæ Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. V. Mariæ, toties quinquaginta dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos, aut ægrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in Ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad æris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini*, aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanæ signo, dixerit psalmum *De profundis*, aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Jesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere pœnituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria* in honorem SS^{mæ} Trinitatis, aut in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi quinquies pronunciaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitæ, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

Omnes Indulgentiæ superius expositæ a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum Purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a Prædecessoribus Suis jam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere

Jubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex prædictis objectis, juxta decretum sa: me: Alexandri VII editum die 6 Fe-

bruarii 1657, non transire personam illorum pro quibus benedicta fuerint, vel illorum quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita objecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, juxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis præpositæ editum die 5 Junii 1721.

Præterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa: me: Benedicti XIV editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitæ, non intelligi Privilegio gaudere altaria ubi hujusmodi objecta collocata fuerint, neque pariter Missas quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum hujusmodi Crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis in id provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in præcitata Constitut. *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et præcipit præsentem elenchum indulgentiarum pro majori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque, et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romæ ex Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Præfectus*.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Sogaro, Archiep. Amiden., *Secret.*
Josephus M. Can. Coselli, *Subst.*

II

URBIS ET ORBIS. — DECRETUM

Quo Indulgentiæ recitationi latinæ parvi Officii B. M. V. adnexæ, ad ejusdem vulgarem recitationem privatam extenduntur.

Quamvis S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita in una *Sebenicen.* sub die 13 Septembris 1888, expresse edixerit, non expedire ut extenderentur ad recitationem parvi Officii B. Mariæ Virginis, in quodcumque vulgare idioma translati, Indulgentiæ a RR. PP. adnexæ recitationi ejusdem Officii, uti illud prostat in fine Breviarii Romani; nihilominus instantius ab hac eadem S. Congregatione expostulatum est, ut præfatam Indulgentiarum extensionem concedere dignaretur, hisce potissimum de causis, quod hac nostra ætate latini sermonis quamplurimi sint omnino ignari, ususque in pluribus catholici Orbis regionibus jam inoleverit, hoc Officium recitandi lingua vernacula expressum, et admodum difficile foret fideles ab hoc usu retrahere.

Quare hæc S. C. sequens postulatum denuo examinandum duxit:

« An, non obstante Decreto in una *Sebenicen.*, die 13 Se-
» ptembris 1888, expediat Indulgentias a RR. PP. concessas
» Christifidelibus recitantibus parvum Officium B. Mariæ
» Virginis, uti extat in fine Breviarii Romani, extendere ad
» illos, qui idem Officium recitaverint in aliam linguam
» translatum, prævia recognitione et approbatione Ordinarii
» loci, ubi vulgaris est lingua? »

Et Emi Patres ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1903 responderunt:

Affirmative pro privata tantum recitatione.

SSmus vero Dnus Noster Pius PP. X in Audientia habita die 28 Augusti 1903 ab infrascripto Card. Præfecto sententiam Emorum Patrum approbavit, et Indulgentiarum petitam extensionem benigne concessit.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Præfectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Francisco Sogaro, Arch. Amiden., *Secret.*
Josephus M. Canonicus Coselli, *Substit.*

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 5).

—

376. Itaque *tertio* ad mimetismum provocant evolutionismi sectatores, quatenus exhibet variationes utiles adaptatione acquisitas, ut dicunt. Quomodo autem ex mimetismo demonstrari valeat ortus communis specierum, non intelligimus. Re quidem vera, quod viventia quædam induant colorem et formam rerum circumjacentium, quodque imitentur variis modis alia viventia, probat quidem facultatem miram adaptationis, numquam vero talem qua extemplo nova species producatur, ut agnoscunt omnes; anvero talem, qua per continuas generationes, vi hæreditatis sive selectione naturali sive alio modo, ita a typo primævo recedatur ut tandem ex eo duæ vel et plures species oriantur, ea præcise quæstio est. Jamvero, nullum ad hoc demonstrandum argumentum affertur aut afferri potest ex mimetismo: quod enim animalia quædam imitentur objecta insensibilia, profecto non probat descensum seu ortum communem cum illis; quod imitentur alia animalia ut fere confundantur cum illis, et tamen maneant specie distincta, neque id probat tantam adaptatione variabilitatem, quæ pertingat ad novas species tandem constituendas; imo potius conjicere permittit, cum tam perfecta adaptatio intra speciem eamdem semper maneat, nullam esse quæ ultra pertingere possit. Cæterum et hoc merito hic notatur, quæcumque diximus valere, etiamsi concedatur facultatem mimice imitandi, de qua agitur, esse acquisitam, quod evolutionistæ ut ratum et indubitatum habent; attamen id probatione indigere non sine ratione affirmatur.

Ita, quod maxima sit similitudo externa inter insecta diversæ speciei, et quod ista similitudo uni ex iis sit valde utilis in defensionem, ut nempe confundatur coram hoste cum alio, quod hostis refugit; quod sua forma, colore,

habitu imitetur folium, siccum rugosumque baculum, ita ut occultetur hostibus suis, an hæc omnia sunt acquisita, anvero sunt a natura ab initio indita? Vides semper eamdem petitionem principii: utique evolutionistis omnia utilia sunt acquisita: quod insecta quædam sunt munita aculeo, est acquisitum; quod quædam animalia caudam habeant, quod pedes, quod organa sensuum, hæc omnia sunt acquisita lenta evolutione. Si hoc concedatur, jam vim acquirit argumentum ex mimetismo, saltem ut probabile seu confirmativum, sed superfluum est, quoniam hoc concedendo evolutionismus ampliori demonstratione fere non indiget.

377. Jam, *quarto*, ad aliud argumentum seu indicium accedimus, quod transformistæ promunt ex organis rudimentariis seu organis-testibus, ut aiunt. Videlicet apud multa viventia non infrequenter occurrunt rudimenta quædam organorum, quæ vix aut nullatenus usui esse, imo nonnumquam nociva potius esse deprehenduntur, quæque vestigia esse videntur organorum quæ per atrophiam contabuerunt; suntque adeo testes indubii, aiunt, ortus ex antiquo stipite, cujus organorum vestigia servarunt: neque enim concipi potest Creatorem manca et inutilia aut vestigia organorum effecisse, sed plana et obvia est hujusmodi rudimentorum explicatio in systemate evolutionis. Hoc quidem argumentum valde speciosum et primo intuitu vix solubile apparet. Attamen non adeo invictum esse, si rite introspiciatur, ex dictis constabit.

Et prævie quidem plura sunt animadvertenda: nempe non omnia rudimentaria organa (1) esse ejusdem rationis, nec

(1) Opportunum erit præcipua enumerare: le chien, le porc, le cheval ont des doigts atrophiés et inutiles; le pingouin, l'autruche et le casoar ont des ailes, dont ils ne peuvent se servir pour voler; chez l'apterix, oiseau marcheur, les ailes sont réduites à de simples moignons. L'œil pinéal, placé au sommet de la tête, est atrophié chez les animaux supérieurs, mais il se voit encore chez certains reptiles. Les pythons et les boas ont de chaque côté de l'anus un mamelon surmonté d'un crochet, qui représentent les membres postérieurs atrophiés. Chez les orvets, il y a absence de membres antérieurs, et cependant on observe chez eux des vestiges d'une ceinture scapulaire et de sternum. Les mammifères mâles ont des mammelles peu développées et sans usage. On observe dans le fœtus de ruminants des incisives supérieures, qui ne percent jamais, et dans le fœtus de la baleine des dents, qui ne servent jamais et

omnia per atrophiam necessario esse producta, et facilius inutilia dici quam probari. Sic, quod struthio alis uti nequeat ad volandum, non impedit quin utiles sint alæ in defensionem, aut etiam forte tamquam vela vento a tergo sufflante extensæ ad currendum. Similiter alis utitur « pingouin » tamquam pinnis ad natandum. Neque adeo nobis tam evidens est per atrophiam fuisse reductas alas hujusmodi avium, cum has ad volandum numquam fuisse destinatas non immerito dici possit, a majoribus autem descendere necessario volantibus nulla ratione probatur, sed utrum ita sit quæritur. Cæterum, quod utilitatem attinet organi alicujus rudimentarii, docti plerique nunc, etiam evolutionistæ, caute pronuntiandum esse consentiunt et potius ignorantiam nostram fatendam esse quam inutilitatem hujusmodi asserendam (1). Quod eo meliori jure fit, quod etiam organorum quorumdam, minime obturatorum, v. g. lienis (la rate) usus ægre definitur. Præterea, non solus usus seu functio organi, præcipue rudimentarii, hujus præsentiam explicare debet, sed, etiamsi omnis functio activa desit, nondum extemplo ut plane inutile et superfluum haberi debet.

Neque enim artifex, hujus nomine dignus, arte sua merum et putum utile prosequitur, sed et speciosum ac pulchrum; adeoque merito creditur summus universi artifex, quædam propter symetriam, propter ordinatam inter diversa creata gradationem perfectionum, propter varietatem in unitate

---

disparaissent complètement. Chez l'homme on signale l'atrophie des muscles moteurs du pavillon auditif, des restes de la membrane nictitante si bien développée sur l'œil des oiseaux, le système pileux, certaines dispositions du système osseux, le corps pituitaire qui est atrophié dans le cerveau de l'homme adulte.

(1) Variis organis rudimentariis aliquem usum invenerunt, quo vel complete vel incomplete saltem explicantur. Sic Darwin ipse advertit nos nescire utrum organum rudimentarium vel inutile in adulto non habuerit functionem magni momenti in embryone: par exemple, le corps pituitaire, qui est atrophié dans le cerveau de l'homme adulte, innervait le pharynx de l'enfant dans les premiers mois. Dicit Claus de organis rudimentariis, quæ notavimus apud « orvets »: « destinés peut-être à servir au besoin de la respiration et à protéger le cœur. Et de dentibus apud fœtum ruminantium et balænæ: il semble bien plus vraisemblable d'attribuer à ces organes un rôle dans le développement des mâchoires, que de les considérer comme complètement inutiles. » Etc.

constituisse, cum et animalia perfectiora sensu omnium perfectissimo, scilicet visu, fruuntur, et specie delectantur, ita quidem ut mares soleant robore et pulchritudine formæ, coloris, habitu universo præstare, quo femellis placeant, quibuscum tamen similitudinem et symetriam partium eosdem servare decet, etiam earum quæ uni sexui propria sunt quoad usum, alii vero solum ad symetriam servantur.

Qui autem hominem, non cum materialistis eodem censu ac reliqua animalia perfectiora habet, sed, ut re ipsa est, tamquam regem hujus mundi inferioris, propter quem reliqua omnia sunt creata, agnoscit, ille profecto totam vim allatæ a nobis rationis percipiet (1), et minus movebitur objectione quam evolutionistæ promunt, quæ materialismum et exclusionem Creatoris sapit, nempe symetriam et unitatem ideæ Creatoris invocare idem esse ac simpliciter factum repetere et nihil explicare; quam quidem objectionem mirum est tam facile a quibusdam etiam catholicis accipi.

378. Sed demus jam organa rudimentaria esse inutilia, et per atrophiam producta, rursum non omnia sunt ejusdem rationis, ita ut universe concludere liceat eadem esse signa seu signaturam, ut ajunt, communis olim stipitis specierum. Et primo quidem, quod per adaptationem medio circumjacenti quædam organa non usu contabuerint, v. g. oculi apud quædam animalia quæ, sive in profundo mari sive sub terra aut in cavernis, in perpetuis tenebris vivunt, quid probat, si atrophia illa et variatio contigerit intra eamdem speciem? Pariter, quod in specie canina, porcina, equina iste recessus contigerit, quo digiti contabuerint, ut in specie equina, inspectis majoribus, qui ab antiquo disparuerunt et quorum ossa in stratis terræ fuerunt inventa, constat, quid inde? cum quod in una specie, idem et in altera modo parallelo contingere potuerit, manendo semper intra eamdem speciem, nam ex præsentia aut absentia illorum digitorum non mutatur species. Imo vero, quid inde, nisi quod, si recessus est, potius evertitur systema saltem darwinisticum seu per selectionem naturalem: nam hic habemus evolutio-

(1) Cum videlicet tanti intersit ut homo agnoscat in muliere adjutorium *vere simile sibi*. Nec sine ratione hoc tantopere inculcat sacra Genesis pagina.

nem, qua transmittuntur et fixæ augescunt apud posteros, non varietates utiles, sed, ut ponitur, inutiles, imo nocivæ, cum sit recessus non progressus; quod quidem de alis omnino mancis apterycis quoque valet.

Idem dic de vestigiis membrorum posteriorum apud serpentem pythonem et boa constrictorem, ut vocant: si enim hæc indicant communem cum alia specie animalium non repentium ortum, relinquenda est evolutio saltem per selectionem naturalem; nisi hic darwinistæ malint exceptionem esse et, cum antiquis Scripturæ interpretibus quibusdam, agnoscere serpentes illos olim pedibus ambulasse, fuisse vero pedibus privatos et ad rependum divina sententia damnatos, eo quod dæmon iis usus sit ad perdendos primos parentes nostros.

Sed loquamur de evolutionismo generatim, considerando ea organa rudimentaria, quæ non videntur, saltem primo intuitu, aliud esse posse quam vestigium relictum organi olim completi et activi. Sit v. g. apteryx cum mero vestigio alarum, quas demus esse inutiles; imo et dato, non concesso, symetriam et ordinatam gradationem infinitamque varietatem ob pulchritudinem universi non esse invocandam, omissa quoque selectione naturali, quæ confutatur potius quam stabiliatur hujusmodi facto, quæritur an alia quadam via evolutio facta habenda sit, ita ut apteryx sit species nova descendens cum alia a quodam stipite communi?

Respondemus, id nequaquam necessario sequi: optime enim conjici potest, eam degradationem contigisse in eadem specie, ita ut eadem species apteryx olim alas habuerit completas et activas seu certo saltem modo utiles, sed variis circumstantiis alæ non usu contabuerint. Nec exempla desunt, quibus hujusmodi factum confirmetur: ita, in insula Maderá, inventa sunt a Wollaston plura coleoptera mancas alas habentia, quod inde contigit quod alas expeditas habentia ventis frequenter abrepta in mari perierint, iis relictis quæ volatui minus apta erant et a quibus hæreditate transmissæ sunt posteris, intra eamdem speciem, ejusmodi alæ imperfectæ, magis magisque per atrophiam mancæ. Ubi hoc diligenter notari meretur: quodsi dicas utilem esse in casu privationem alarum, hanc utilitatem esse omnino per accidens nec a natura intentam; quemadmodum enim quæ ad

teratologiam spectant seu monstruositates sunt accidentia, eaque pathologica, ita hæc degradatio, licet non pathologica proprie, est accidentalis et per accidens utilis. Quo posito, nec selectioni naturali debet aut potest tribui, sed evolutioni cuidam, et intra quidem eamdem speciem, cum intentio naturæ esse non possit ad species producendas per degradationem: evolutionem asserere qua species novæ ex stipite communi oriantur, et hujusmodi species per recessum a debita perfectione oriri, est asserere pugnantia. Manet ergo hæc summi momenti observatio, quod quoties non per progressum sed per retrocessum variatio aliqua contingit, ea numquam ad novam speciem constituendam, ex ipsa rerum natura, pertingere potest.

379. E quibus omnibus concludere licet organa rudimentaria, nedum indicium sint ac argumentum præbeant ortus communis specierum, contra, systema hujusmodi evolutionismi potius evertere: statim enim ac organum novicum aut inutile per atrophiam productum in aliqua specie asseris, jam speciem degenerem affirmas, quod quidem intra eamdem speciem contingere potest, nequaquam vero ita ut per degenerescentiam a stipite primævo nova species oriatur. Et hoc quidem persentiisse videntur tum præprimis darwinistæ, quorum principium fundamentale selectionis naturalis hujusmodi degeneri evolutioni aperte contradicit, tum alii ortus communis specierum propugnatores, cum evolutio quævis a natura intenta ad species novas constituendas non possit concipi tamquam retrocessus: utrique enim jam allaborant ut utilitatem potius organorum rudimentalium probent.

Attamen instari adhuc potest dicendo esse quædam organa rudimentaria, jam inutilia et per atrophiam producta, quæ nihilominus verum progressum apud varias species important, videlicet ea quæ divisionem operæ physiologicæ (division du travail) a natura factam denotant, ut supra de modis generandi agentes n. 375 attigimus. Ut in concreto loquamur, rudimenta mammarum apud masculos in variis speciebus mammiferis evidenter, aiunt, vestigia sunt stipitis olim hermaphroditi, a quo per verum progressum, divisione operæ, ortæ sunt variæ species cum organis sexualibus apud individua separatis, ita ut unus sexus vestigia alterius servaverit.

Ad hanc difficultatem respondemus, primo quidem divisionem operæ physiologicæ tam bene existere posse in hermaphrodito quam in individuis ubi sexus separatur, cum hoc discrimine quod in priore eventu major sit fœcunditas, cum seipsos fœcundare vel invicem se fœcundare possint hermaphroditi, adeoque, cum fœcunditas sit perfectio physica, et cum uterque sexus perfectus in uno divisionem nihilominus operæ perfecte servet, dicendum est hermaphrodismum, cæteris paribus, esse perfectiorem ulteriore divisione sexuum in diversis individuis. Proinde reincidimus in supra dicta. Verum est, quod si ordinem et æquilibrium universi inspicias, ulterior divisio sexuum et minor fœcunditas, præsertim apud animalia superiora opportuna vel et necessaria videri potest; sed, hoc posito, dicimus secundo, quod apud unum sexum rudimenta quoque organorum alterius sexus inveniantur, ut facile puto anatomistæ attenti deprehenderent, hoc nequaquam ortum communem ex stipite hermaphrodito necessario importat, cum optima ratio suppetat id alio modo explicandi, ut supra n. 377. Cæterum, quomodo simplici evolutione naturali, sine interventu Creatoris, ex hermaphrodismo separatio sexuum efficiatur aut effici possit, a nullo evolutionismi sectatore explicatum invenimus: tabescentibus, inquies, non usu organis; sed quis talia adjuncta probabilia vel imo possibilia imaginari valet, quibus fiat ut individua constanter unius sexus organis utantur, dum simul alia alterius sexus?

Igitur habemus argumentum ex rudimentalibus organis desumptum, quod primo intuitu adeo speciosum apparet, ne probabile quidem indicium præbere ortus communis specierum.

380. Huic argumento, ne quidquam omittatur, annecti potest *quintum* argumentum evolutionis specierum, utpote quod via opposita procedit, scilicet a rudimento quasi organi ad completum organum, quodque argumentis quoque morphologico aut embryologico, de quo statim, accenseri posset, hæc enim omnia argumenta ex ipsa rei natura intelliguntur valde inter se connexa. Videlicet, botanistæ agnoscunt varia organa plantæ (les sépales du calice, les pétales de la corolle, les étamines et les pistils) non esse nisi folia transformata; similiter, zoologi animalium cranium

efformatum esse ex unione vertebrarum transmutatarum et magis evolutarum, maxillas crustaceorum tam complicatas esse crura seu pedes modificata. Unde patet, aiunt, istas plantas et ea animalia descendere a stipite, cujus folia, vel cujus articuli, segmenta, vertebræ, quæ majore numero stipes possidebat, pro variis indigentiis, paulatim diversis mutationibus transierunt in ista membra et organa efformanda, quæ nunc videmus.

Ad hoc breviter reponitur, primo quidem quod gratis asseritur gratis negatur: quod enim vertebræ in cauda sint minores, majores vero ad caput ascendendo, et ipsum cranium ita efformatum sit ut unione quarumdam vertebrarum magis evolutarum constare videatur, quo jure asseritur id factum ex spina dorsali alicujus stipitis constante æqualibus majore numero vertebris sine cranio? Similiter, dato e foliis modificatis constare varia organa plantæ, an ideo hæc organa ortum ducunt e stipite, solis foliis instructo? Præterea, secundo, videtur impossibilis ejusmodi ortus: qualia enim finges animalia et plantas, quæ in via ad ejusmodi transformationem, cum vertebris aut foliis paulatim deformatis, cum semi-cranio etc. appareant et vivant?

Hujusmodi miseranda vere nemo excogitare valuisset, nisi præconcepto systemate evolutionis ductus.

381. Jam *sextum* aggredimur argumentum, quod *embryologicum* vocant et magni facere solent evolutionistæ. Breviter exponitur, eique respondetur a T. Pesch (1): « Censent enim, *ait*, evolutionem embryonalem seu ontogeneticam aliter explicari non posse, nisi dicatur esse quædam repetitio immutationum, quibus species perfectiores ex imperfectioribus descendentia ortæ fuerint, quæ evolutio « phylogenetica » dicitur (lex biogenetica). Ergo historia evolutionis ontogeneticæ, inquiunt, est historia phylogeneticæ. Quod comprobari dicunt mirabili quodem ut aiunt parallelismo, qui inter varia evolutionis ontogeneticæ stadia et seriem seu scalam specierum viventium intercedat.

Resp. 1°. Cum quodlibet individuum speciei superioris ex statu embryonis imperfectissimo evolvi debeat, quid mirum, si pro variis evolutionis periodis characteres illi adhæreant

(1) *Instit. philosophiæ naturalis*, n. 607.

universaliores, qui iidem organismis inferioribus conveniunt? quid porro mirum, si inferiora stadia evolutionis ontogeneticæ aliquam cum speciebus organismorum inferioribus similitudinem præ se ferant? Quid etiam explicatu facilius, quam ut rem obiter inspicienti quædam appareant notæ exteriores, in quibus stadia illa cum hisce organismis conveniant? Aliam vero in embryonibus similitudinem illorum organismorum prorsus nullam inveniri, docent, qui istarum rerum sunt peritissimi; qui præterea testantur, non esse similitudinem nisi genericam quamdam, quam modo diximus, præterea inde ab initio diversorum organismorum exordia observari omnino diversa.

Et idipsum plane est, quod docuerant peripatetici, cum dicerent, hominem in stadiis evolutionis embryonalis fuisse quasi brutum quoddam et quasi plantam.

Itaque similitudo, si qua est, embryonum animalium perfectorum et præsertim hominis cum animalibus imperfectis, nihil probat, nisi forte illud S. Thomæ, materiam, priusquam ad formas perfectiores perveniat, per formas imperfectiores debere percurrere.

Resp. 2°. Viventia perfectiora, quamdiu in evolutione ontogenetica versantur, sunt entia ex tota sua natura destinata, ut ab alio vivente ejusdem speciei organismo pendeant nec ullo modo sola esse possint. Ergo omni luce clarius est, evolutionem ontogeneticam non esse eam, cui evolutio aliqua phylogenetica ullo modo congruere possit.

Resp. 3°. Etiamsi evolutio phylogenetica olim facta esset, nulla esset ratio, cur eadem ab omni individuo tota repetenda esse videretur.

Resp. 4°. Series evolutionum cum ontogeneticarum, tum phylogeneticarum ab adversariis proposita arbitrariis commentis referta est.

382. *Septimum* indicium evolutionis specierum ex *geologia et paleontologia* depromitur. Si diversa strata terræ, reliquiasque viventium in eis attente consideramus et invicem conferimus, invenimus constanter et universaliter tum augeri numerum specierum, tum formas perfici, ab antiquissimis temporibus ad præsens usque tempus progrediendo. Quod quidem factum, aiunt, nullo modo explicari potest, nisi continua evo-

lutione et ortu specierum perfectiorum ab imperfectioribus.

Ad hoc respondetur: factum illud, dato nunc de eo certo constare, docet perfectiora post imperfectiora apparuisse, se autem solo docere nequit perfectiora ex imperfectioribus orta esse. Etenim quod post hoc, non ideo ex hoc, nisi aliunde id suadeatur. Sed, præterea, factum istud non est ita constans et universale, ut contendunt: in stratis enim cambricis, in quibus omnium prima petrefacta reperiuntur, jam brachiopodorum et echinodermatum et vermium reliquiæ simul occurrunt; et in siluricis, quæ cambrica proxime sequuntur, jam classes omnes adsunt exceptis amphibiis, avibus, mammalibus. Deinde, species inferiores superioribus locum non cedunt, sed cum his imperfectissimæ quoque existere pergunt; et species nunc extinctæ non sunt ex imperfectioribus.

383. *Octavum* argumentum desumitur ex rationibus *geographicis;* seu ex distributione geographica organismorum, quæ rursum, dicunt, explicari non valet nisi theoria descendentiæ. Videlicet videmus organismos, tum fossiles, tum adhuc viventes, in eadem regione, etsi diverso sub aëre, calore, etc., esse inter se forma similes, ab illis vero in alia regione, a priore omnino divisa obstaculo quodam naturali, puta oceano intransmissibili, esse plane diversos, unde necesse est ponere quædam « centra creationis », ut ajunt, ita ut e speciebus determinatæ regionis determinatæ species ortæ demonstrentur, e centro sese propagante et evolvente specie in alias species similes, e continente in insulas vicinas, etc.; quæ quidem omnia cum principiis evolutionis et speciatim darwinisticis valde concordant.

At, nemo non videt ad summum inde deduci posse argumentum negativum, non repugnantiæ, sed positive nihil probari, cum reponi possit dictæ distributionis optimam rationem reddi, eo quod organismi illis in locis producti dicantur, quæ eorum naturæ sunt congrua, et longe quidem ante propositam descendentiæ theoriam de centris creationis inter doctos agebatur. Cæterum plures hac in re difficultates se experiri ipsi transformistæ fatentur, et plura obscura atque vaga manent.

384. In præcedentibus theorias ortus seu descendentiæ communis specierum viventium distincte exposuimus, deinde argumenta seu indicia quibus ortus hujusmodi communis

reapse contigisse ostendatur percurrimus (1), crisi horum argumentorum facta. Hacque via processimus (2), ut a studio partium omnino alieni justum judicium ferremus; invenimus autem nullam ex rationibus allatis solide probabilem, imo hic illic quasdam rationes pro parte opposita notavimus.

Manet nunc, descendentiæ theoriis præ oculis rursum habitis, breviter inquirere, adhibendo tum considerationem factorum, tum principia philosophica, an hujusmodi theoriæ, sive darwinistica, sive aliæ, in se, tamquam systemata, omni fundamento destitutæ aut et falsæ demonstrentur, necne. Quo præstito, concludendum erit et indicandum quo tandem modo ortus specierum nobis videatur, probabiliter saltem, explicandus.

(Continuabitur).

---

(1) Unum omisimus ex *atavismo* petitum, quasi individua altioris speciei aliquas proprietates referant speciei inferioris (v. g. homines microcephali cranium simiæ habere videntur); quemadmodum in aliquo individuo nonnumquam apparent proprietates, quæ in proavis ejus aderant. Unde concludunt species superiores ex inferioribus ortas esse. Hanc rationem præterivimus, utpote nimis inanem et a peritis explosam, qui hujusmodi formationes seu deformationes recidivas, et speciatim microcephalismum, ut mere pathologicas habent.

(2) Vid. supra n. 356. Cæterum merito notatur quæstionem evolutionis non esse resolvendam *a priori*, quasi ageretur de proprietate necessaria materiæ.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii

—

I

Explica Luc. II, 29-35.

II

Exposita notione *loci* explica qua ratione angelus possit esse in loco.

III

Quænam sunt generales obligationes tum heri erga domesticos suos et operarios, tum domestici et operarii erga herum suum?

IV

Quid est contractus ludi, et quænam conditiones tum ad justitiam, tum ad honestatem ludi requiruntur?

V

An licitum est ex negotiis aleatoriis sibi brevi tempore ingens lucrum quærere?

VI

An et qualis requiritur crux in altari in quo Missa celebratur?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. Explica psalmum *LXXXVII (Vulg. LXXXVI) Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

R. **Prænota.** 1/ *Inscriptio: Filiis Core psalmus cantici* (Hebr. psalmus, canticum). Undecim (1) psalmi np. 42, 44-49, 84, 85, 87, 88 filiis Core attribuuntur. Plures inde deduxerunt hos psalmos a levitis e stirpe Core (2) oriundis, fuisse concinnatos (3). Verùm hunc titulum hebr. *libne qorah* rectius verti « pro filiis Core » auctoremque ignotum esse autumamus (4). Illi psalmi, sublimes ac lyrici, distincto conscripti fuerint volumine cui titulus: *pro* (levitis choristis) *filiis Core* seu Corachitis, i. e. in usum chori Corachitarum.

2/ *Occasio:* Veteres quidam (5) putaverunt hunc psalmum 87 exaratum ætate Ezechiæ regis, occasione cædis Sennacherib et Assyriorum; ità et communiter hodierni interpretes (6) sentiunt: enumeratio populorum

---

(1) Vel duodecim si Ps. 43 eodem titulo ac Ps. 42 includitur.

(2) De Corachitis, cfr. Van Hoonacker, *Le Sacerdoce lévitique dans la loi et dans l'histoire*, Louvain 1899, p. 23 s., 67 s., 209 s., 443 s.

(3) Hebr. *libne qorah*. Lamed dicunt esse lamed auctoris. Ità Goldwitzer, *Die Psalmen Davids*, Sulzbach, 1827, p. 10 s.

(4) Cfr. A. C. Hervey apud Smith, *Dictionary of the Bible*, London, 1863, T. II, p. 51. — Baethgen, *Die Psalmen*, Göttingen, 1897, p. VI s. — Selbie apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, T. III (1900), p. 12. — Driver, *Introduction to the literature of the Old Testament*, Edinburgh, 1898, p. 381.

(5) Cfr. Migne, *Script. Sacræ cursus completus*, T. XV, Parisiis 1863, p. 1071.

(6) Cfr. Parisot, *Revue biblique*, 1893, p. 378. — Lesètre, *Le livre des Psaumes*, Paris 1883, p. 411.

v. 4 adjunctis regni Ezechiæ aptari posse videtur (v. infrà, p. 79, n. 4).

3/ *Argumentum*. Est psalmus laudis. Auctor *in sensu litterali et historico* encomiis extollit urbem Hierosolymam: est enim civitas Sion a Jehovah fundata, præ reliquis Israëlitarum urbibus ab Eo dilecta, ipsique Dominus ex ethnicis conversis multos annumerabit cives (1); omnesque ejus incolæ felicitate fruuntur.

Sensu spirituali et prophetico laudibus celebratur Hierosolyma mystica, ecclesia sc. christiana tum terrena, tùm cœlestis; est nempe psalmus messianicus (2) et luculentissimum exhibet vaticinium vocationis gentium ad fidem Christi, necnon gloriæ Hierosolymæ christianæ ac felicitatis ejus civium.

Explicatio. v. 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis. Ejus* in hebræo (jesudâtô) est masculini generis pronomen; quare referendum est non ad Sion (v. 2) fœminei generis, sed ad Jehovah. Undę sensus est: *fundamenta* Jehovæ i. e. fundatio ejus (3), civitas a Jehova fundata est super montes sanctos (4). In specie cogitat auctor montem Sion, montem sc. sanctuarii seu templi. Sanctitas enim hujus montis ratio est prædilectionis Dei v. 2.

V. 2. *Diligit Dominus portas Sion* i. e., per synecdochen, urbem Sion *super omnia tabernacula* i. e. magis quam reliqua habitacula (oppida) *Jacob* i. e. Israelitarum.

V. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, hebr. dicenda sunt (5) de te (LXX: περὶ σοῦ), civitas a Deo fundata, dilecta et habitata. Per apostrophen poeta sacer se convertit ad Sion, et Deum prophetico modo *gloriosa* de Sion prædicantem inducit (v. 4-7).

---

(1) Cfr. *Isa.* II, 2 ss, *Zach.* VIII, 20 etc.

(2) Quem sensum mysticum cum exaggeratione quadam inculcare videntur nonnulli auctores antiqui, inter quos Eusebius, qui sensum historicum quasi excludit.

(3) Aquila recte vertit ἡ θεμελίωσις αὐτοῦ.

(4) Est plurale amplificationis juxta Baethgen, *o. c.*, p. 264.

(5) *Medubbar* partic. *masc. sing.* cui plur. *nikbadôt* (adverbialiter sumptum) subordinatur.

V. 4. Ait igitur Deus: *Memor ero* (memorabo) *Rahab* (Ægyptios) *et Babylonis* (Babylonios) *scientium me* i. e. tanquam cognoscentium me. Sensus est: Ægyptios et Assyrios inter cultores meos recensebo; proinde inter cives Hierosolymarum numerabuntur (1). — *Raab* hebraicè significat superbiam et cognomentum est Ægypti a gentis arrogantia (2): ità etiam (hebr.) Ps. LXXXVIII, 11; Is. XXV, 11; XXX, 7; LI, 9.

Ecce alienigenæ (Philistæi) *et Tyrus* (Tyrii) *et populus Æthiopum* (Æthiopes) *hi fuerunt illic* sc. (præter. pro fut.) tanquam cives ad urbem Sion pertinebunt, nempe tanquam proselytæ amplectendo religionem Israëlis. — Idem manet sensus, si cum quibusdam codd. versionis LXX, loco ἐγενήθησαν *(fuerunt)* legas ἐγεννήθησαν: *nati sunt:* hæc lectio in plurali refert quoad sensum textum hebræum in singulari: *hîc* (LXX: οὗτοι: singuli populi enumerati in hoc vers.) *natus est ibi* (3).

Alienigenæ hebr. Philistæi seu Palæstini, nomen proprium quod LXX et Vulg. juxta etimologiam (falasch = emigravit) interpretantur per nomen commune ἀλλόφυλοι = *alienigenæ* (4).

---

(1) Cfr. Van Steenkiste, *in hunc ps.*

(2) Symmachus et S. Hieron. vertunt: superbiæ.

(3) Hebr. *zeh ioullâd scham.*

(4) Quod hîc asseritur, proselytas sc. ex vicinis illis populis religioni judaïcæ nomen esse daturos, recte convenire videtur tempori quod victoriam Ezechiæ de Sennacherib subsecutum est. Ità Perrowne apud Lesêtre, *o. c.* « Babylone est substituée à l'Assyrie, parce qu'on était en grandes relations avec le premier empire, et que l'autre semblait bien détruit à la fin du règne d'Ezéchias. Des ambassadeurs de Babylone viennent vers ce roi, et la prépondérance de ce pays ressort avec évidence des prophéties d'Isaïe XIII, XIV, XXXIX. La mention de la Philistie, de Tyr et de l'Ethiopie est également synchronique avec le règne d'Ezéchias. Comme Isaïe l'avait annoncé, XIV, 29, le roi avait soumis les Philistins IV, Reg. XVIII, 8. C'était une preuve que le Seigneur « avait fondé Sion ». Sous le même règne, il est constant que les relations avec Tyr furent renouvelées, et accompagnées d'une conversion partielle, dont les présents et les tributs sont un témoignage. Dans le même temps les rapports de Juda avec l'Ethiopie apparurent avec un nouvel éclat, Is. XXXVI, 9; Soph., III, 10. Ezéchias d'ailleurs était

V. 5. *Numquid Sion dicet* (hebr. cum vav adversativo: sed de Sion dicet i. e. (impersonaliter) dicent, dicetur: *homo et homo natus est in ea:* (repetitio significat multitudinem, universalitatem) unusquisque in ea est civis Dei (et non tantum aliqui, ut inter ethnicos). Optime vertit Symmachus: περί τε Σιὼν λεχθήθεται καθ' ἕκαστον, ἄνθρωπος οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ. — *Et ipse fundavit eam Altissimus:* idcirco tantus est numerus civium ejus.

V. 6. *Dominus narrabit* i. e. numerabit (1) *in scripturis populorum et principum* (2) h. e. scribendo (3) populos et principes, *horum qui fuerunt in ea* = (numerabit) illos qui nati sunt (4) in Sion. In textu hebræo habetur hic uti in v. 4: « hic natus est ibi », quæ verba ponuntur tanquam a Jehovah prolata.

V. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te,* i. e. ad litteram juxta LXX ὡς εὐφραινομένων πάντων ἡ κατοικία ἐν σοί: habitatio in te est sicut (habitatio) omnium lætantium; seu omnes qui in te (Sion) habitant (nati sunt) lætantur, felices sunt. Utrum hic fuerit sensus textûs originalis, quæstio est valde obscura (5). Probabilis alia interpretatio ea videtur quam (quoad sensum sal-

---

remarquable par son esprit catholique. Non seulement il chercha à réunir Israël à Juda II Par. XXX, mais encore il se mit en rapports avec « les étrangers qui vinrent de la terre d'Israël » et qui étaient distincts de la communauté II, Par. XXX, 25; plus tard, ibid. XXXII, 23, ce sont d'autres nations qui apportent des présents dans le temple ».

(1) Symmachus, S. Hier.; Syrus: ἀριθμήσει.

(2) Verba « *et principum* » deficiunt in textu hebræo, sed inveniuntur apud LXX: huc forsan translata ex v. seq.

(3) Metaphora deducta a pastore qui numerat oves, vel a duce qui conscribit exercitum et numerat milites.

(4) Nam in quibusdam mss. LXX ἐγεννήθησαν loco ἐγενήθησαν; priorem autem lectionem requirit textus hebræus: *zeh toulâd scham.*

(5) In textu hebræo legitur: *vescharim kechollim col-mayânai bâc.* LXX loco *mayânai* (fontes) legerunt *mayôn* (habitatio); loco *vescharim* (canentes) legerunt *vesarîm* (principes) quod verbum ad v. præc. retulerunt, ut suprâ diximus. Textus autem actualis (cum punctis vocalibus) ad litteram significat: et canentes simul ac (kè) saltantes (juxta alios cholelim = tibicines) (subaudi: dicunt): omnes fontes mei in te. Cfr. Bæthgen, *l. c.* — Flament, *Les Psaumes traduits en français*, Paris, 1898, p. 134.

tem) post Aquilam (1) proponit S. Hieronymus (2): Et cantantes simul ac saltantes (supple: dicunt vel dicent): omnes fontes mei in te, sc. omnes fontes gaudii mei sunt in te Sion.

In utraque sententia, licet modo diverso, proponitur epiphonema ad urbem Sion de gaudio ac felicitate civium ejus. Interpretatio LXX et Vulgatæ melius quadrat in psalmi argumentum.

Paraphrasis. 1. Urbs Sion a Jehovah fundata est super montem sanctum templi. 2. Hæc urbs a Deo magis diligitur quam reliquæ urbes Israëlitarum. 3. (Jehovah de Sion loquens dicit:) Gloriosa prædicanda sunt de te, civitas Dei! 4. Inter cultores meos recensebo Ægyptios et Babylonios, pariter Philistæos, Tyrios et Æthiopes: illi omnes sunt filii Sionis spirituales (per conversionem plures homines ex illis populis tanquam indigenæ Sionis inscribentur) 5. Verum de ipsa urbe Sion dicendum *omnes* incolas ejus esse cives Dei, (et nihil mirum): ipse enim Altissimus fundavit eam. 6. In describendo populos (? et principes) Jehovah numerabit illos qui nati sunt in Sion. 7. *LXX et Vulg.:* Omnes qui in te (Sion) habitant, sunt felices. *Hebr.:* (Et cives tui) cantant in choreis: Omnes fontes felicitatis meæ sunt in te, Sion!

A. C.

II

Q. *Solvatur sequens difficultas:* Omnis operatio Dei est æterna; atqui creatio est operatio Dei; ergo creatio est æterna; ergo mundus creatus est ab æterno.

R. Dist. Maj. Omnis operatio Dei *entitative* spectata... *conc.* Omnis operatio Dei *terminative* spectata... *nego;*

---

(1) « καὶ ᾄδοντες ὡς χοροὶ πᾶσαι πηγαί ἐν σοί ».

(2) « Et cantores quasi in choris, omnes fontes mei in te ».

Conc. min.
Contradist. consequens: ergo creatio *entitative* spectata... *conc.* ergo creatio *terminative* spectata... *nego.*

Sub data distinctione nego consequentiam ad ultimum consequens et explico: operatio *entitative* spectata est operatio prouti in se est, nempe est formaliter actus virtutis operativæ; operatio *terminative* spectata est operatio prout hæc actu attingit terminum et consequenter prout est in termino.

Porro in Deo omnis operatio *entitative* spectata est realiter idem ac ipsum esse divinum: in Deo enim agere est ipsum Esse: ergo omnis Dei operatio *entitative* spectata est æterna sicut et quia ipsum esse divinum est æternum.

Omnis operatio habet aliquem terminum, nempe aliquod objectum in quod operans operatione tendit et ad quod operatio terminatur: in operatione *immanente* terminus manet in operante sive ille terminus sit aliquid simpliciter productum, h. e. causatum secundum esse *physicum*, sive sit aliquid causatum tantum secundum esse *intentionale* (1).

In operatione *transeunte* terminus est semper aliquid productum *extra* operantem. Jamvero in Deo omnis operatio est formaliter immanens et qua talis, non solum entitative sed etiam terminative, æterna. Sed datur tamen in Deo operatio quæ, licet sit formaliter immanens, est tamen *eminenter* seu *virtualiter transiens*, cujus proinde terminus est extra Deum: hæc autem operatio considerata prouti actu attingens terminum non est necessario æterna.

Etenim operatio Dei virtualiter transiens est Dei volitio qua vult ut extra se existant res, ut conserventur et regantur. Deus autem non *per naturam* seu *necessario* vult ut res sint extra se, sed *libere*, libertate nempe

(1) Cf. *Collat. Brug.* T. VIII, pp. 258-259.

indifferentiæ. Porro qui libere vult sequitur ordinationem intellectus, proinde effectus seu terminus, cujus existentia dependet a libera volitione, sequitur secundum determinationem intellectus et imperium voluntatis. Sicut autem per intellectum determinatur rei factio et quæcumque alia conditio ita et præscribitur ei tempus (1). Igitur licet Deus *ab æterno velit*, tamen velle potest ut res *sint in tempore*, et in tali vel tali temporis differentia: consequenter licet operatio entitative spectata, nempe *volitio*, sit æterna, tamen effectus extraneus a causa (nempe res quæ existunt per hanc volitionem) non est necessario æternus (2).

Nota. Posito quod creatio sit entitative æterna, non est necessario æterna *terminative;* posito quod aliunde sciamus de facto non fuisse ab æterno res a Deo creatas, quæritur utrum creatio possit *dici* ab æterno, seu utrum *dici* possit simpliciter: Deus ab æterno creavit. Respondendum est *negative*. Nomina enim quæ in suo *principali* significato important *terminum actu existentem* non possunt prædicari nisi terminus actu existat: inde creare, quum significet producere aliquid ex nihilo, de Deo nequit prædicari nisi existat res producta. Inde apparet differentia inter *amare* et *creare:* amare in suo principali significato non importat terminum quatenus actu existentem extra amantem, sed terminum quatenus *cognitum* ab amante. Ideo recte dicitur: Deus amavit res ab æterno; non dici potest: Deus creavit res ab æterno (3).

J. V. D. M.

---

(1) Cf. S. Thomas, *Summa cont. Gent.* L. II, c. 35; *de Potentia*, Q. III, a. 17, ad 4; I, Q. XLVI, a. 1; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.* T. VI, p. 339 et p. 346.

(2) Abstrahimus hic ab ipso facto creationis quæ fuit in tempore, et solvimus tantum difficultatem qua concluditur creationem *necessario* æternam esse.

(3) Cf. S. Thomas, in III. D. XXXII, Q. I, a. 3.

III

Q. *Quid in jure nostro est donatio inter vivos? Breviter explica responsum.*

R. *Donatio inter vivos in jure nostro est contractus solemnis, quo donator gratuito transfert actualiter et irrevocabiliter dominium rei suæ in favorem donatarii acceptantis.* Ita fere C. c. art. 894.

Est contractus: licet donatio in C. c. *actus* vocetur (1), dici debet contractus, nam exigit, ut omnis contractus, mutuum consensum tum donatoris, tum donatarii, neque perficitur absque acceptatione donatarii. Et revera, etiam si nulla donatario imponeretur obligatio (aliquando enim, ut aperte supponit art. 953, imponuntur quædam onera) non inde sequeretur donationem non esse contractum, sed tantum esse contractum unilateralem. Attamen donatarius post acceptationem quovis tempore donationi renuntiare potest, dummodo non facta sit donatio sub quibusdam oneribus et officiis, quibus adimplendis sese specialiter obstrinxit.

Solemnis, neglectis enim formis a lege præscriptis donatio generatim nulla declaratur art. 931; imo inexistens haberetur donatio mere verbalis, aut donatio facta « par un acte sous seing privé » (2). Exinde autem minime concludendum est semper ad donationem necessarium esse actum authenticum coram notario: « l'article 931 dit que tous actes portant donation entre-vifs seront passés devant notaire; ce qui signifie que toutes les fois qu'on fait un acte pour constater une donation, cet acte doit être notarié, et non pas qu'il

---

(1) In prima codicis redactione donatio dicebatur contractus, sed postea alia vox adhibita fuit propter animadversionem primi Consulis falso putantis omnem contractum esse bilateralem.

(2) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert *Tract. de Just.* Brugis 1885, T. I, n. 540.

faut un acte notarié pour toute donation » (1). Actus authenticus non est necessarius v. gr. pro donis manualibus, neque pro renuntiatione gratuita debitis; admittitur etiam valor donationis occultatæ sub specie contractus onerosi, modo observetur forma contractus sub quo donatio occultatur.

Quo donator transfert dominium rei suæ: transfert autem vel dominium plenum seu perfectum, vel tantummodo imperfectum, nempe cedit vel proprietatem *rei suæ* (nequit enim donari res aliena), cum omnibus emolumentis et fructibus, vel tantum sive proprietatem rei, sive ejus fructus.

gratuito: donatio inter vivos natura sua est gratuita. Non est autem necesse ut sit ex toto gratuita. Potest enim fieri donatio sub quodam onere, vi cujus donatarius obligatur ad aliquid dandum aut faciendum in favorem sive donatoris, sive cujusdam tertii, modo tamen onus non æquivaleat ipsi rei donatæ. Item donatio fieri potest in remunerationem accepti beneficii, modo rursus excedat justam retributionem, quæ ratione beneficii exigitur. — Gratuitas igitur, de qua agitur, duo includit: primum ut in donatione quæ est actus liberalitatis, oneribus non compensentur commoda, et præterea ut donator aliud det, quam quod debet, nam secus non esset donatio, sed solutio.

actualiter: necessaria est translatio dominii actualis. Unde donatio, facta sub ea conditione ut proprietas rei datæ non transferatur ad donatarium nisi ipse donator non aliter disposuerit ante mortem, vel sub talibus limitationibus, quæ eumdem effectum haberent, est nulla ex art. 946. Nihil autem impedit quominus exsecutio donationis, aut, aliis verbis, ipsa traditio bonorum differatur usque ad mortem donatoris. Requiritur et sufficit ut donator ab ipso instante donationis conferat donatario aliquod jus, a quo nequeat spoliari mera

(1) Ita Thiry *Cours de Droit civil* — Paris, Liège 1892, T. II, n. 358.

voluntate donantis. Hinc donatio tantum esse potest de bonis, quæ actualiter donator possidet, non vero de bonis futuris (1), nam quoad ista bona impossibilis esset actualis juris translatio, art. 943.

irrevocabiliter, hinc irrita est donatio, quæ pendeat a sola voluntate donatoris, art. 944. Conditionem vero suspensivam vel resolutoriam patitur donatio, modo ad libitum donatoris revocari nequeat (2).

in favorem donatarii acceptantis. Acceptatio requiritur, tum ex jure naturali, nam nemo de jure naturali absque proprio consensu jus acquirere potest in rebus alienis; tum ex jure civili, nam juxta art. 932 donatio non obligat donatorem, nec vim suam exserit nisi post donatarii acceptationem (3).

A. D. C.

IV

Q. *Da notionem substitutionis proprie dictæ in materia donationis vel testamenti.*

R. **Prænotandum**. Substitutio generatim sumpta est dispositio, qua quis ad donationem aut hæreditatem post alterum vocatur.

Duplex distinguitur substitutio: altera, *directa*, quæ in jure Romano etiam dicebatur *vulgaris*, nempe illa qua quis vocatur ad donationem vel hæreditatem consequendam loco alterius, qui aut non possit aut nolit eam suscipere; altera *indirecta* sive *fidei-commissaria*, quæ

---

(1) Per bona futura intelligimus ea bona quæ donator nondum possidet, et in quæ nullum jus habet, nec absolutum, nec conditionatum.

(2) Hic est sensus regulæ juris consuetudinarii: « Donner et retenir ne vaut ».

(3) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert *o. c.*, n 540 et seqq. — Carrière, *De Contractibus*, Parisiis 1844, T. II, n. 487-492, Aubry et Rau, *Cours de Droit civil Français*. Paris 1875, T. VII, p. 7 seqq., Thiry *o. c.*, T. II, n. 269 seqq., Rogron *Les Cinq codes*, Bruxelles 1851, *Code civil*, P. 245 seqq.

sola generatim in jure nostro prohibetur (1). Hæc est substitutio proprié dictá, de qua agimus.

Hoc prænotato, **respondemus:**

Substitutio proprie dicta est actus liberalitatis cum obligatione juridica donatario vel legatario imposita conservandi rem donatam usque ad mortem, eamque tunc tradendi liberaliter tertiæ personæ determinatæ cui etiam favere vult donator.

Cfr. C. c. a. 896, ubi non datur nisi notio incompleta.

Unde ad substitutionem proprie dictam requiritur:

1° ut habeatur *duplex liberalitas*, cujus objectum sint *eadem bona*.

Imprimis oportet ut fiat liberalitas in favorem gravati (2). Hinc non est substitutio, si gravatus debeat rem servare, eamque postea tradere determinatæ personæ, quin ipse ullam ex ea utilitatem, ullum commodum percipiat. Requiritur insuper altera liberalitas in favorem vocati. Si vero bonum sit tradendum tertio non ut liberalitas, sed ut debitum, non habetur substitutio. Hæ duæ liberalitates coexistunt, ideoque vocatus, moriente gravato, bonum non accipit a liberalitate gravati, sed ab auctore illius dispositionis, nempe a gravante. Denique necesse est ut istæ duæ liberalitates pro objecto habeant eadem bona. Non est substitutio prohibita, ubi uni conceditur rei proprietas, et alteri ususfructus; immo neque ubi ususfructus conceditur duobus, qui successive unus post alterum eodem frui possunt, nam in hoc casu non habetur idem objectum duplicis liberalitatis, moriente enim priore donatario, extinguitur ejus ususfructus, et inchoatur novus deinceps alteri profuturus.

2° *ut imponatur donatario vel legatario obligatio juridica conservandi rem donatam, eamque tradendi tertiæ determinatæ personæ.*

---

(1) Quoad substitutiones licitas, cfr. C. c. a. 1048, 1049.

(2) Qui rem accipit cum obligatione eam tradendi tertiæ personæ, dicitur *gravatus;* ille, cui tradenda est, *vocatus* seu *substitutus*

Dicitur *donatario vel legatario*, non vero hæredi necessario, nam ejus reservatio neque ipsi adimi, neque gravari potest, quod si fieret, nec valeret onus impositum, nec applicaretur a. 896.

obligatio juridica, ex qua alteri obveniat jus petendi rem sibi servatam. Hinc si adesset mera deprecatio, votum aut desiderium testatoris, non haberetur substitutio prohibita; in dubio autem num verba præceptum, an vero desiderium contineant, defunctus non substitutionem proprie dictam intendisse censetur, secundum axioma juris: actus intelligendi sunt potius ut valeant quam ut pereant.

conservandi rem donatam, unde illicita non est substitutio de residuo, seu de illa parte quæ hæredi post mortem supersit, quia non obligatus fuit ad eam partem servandam, et libere eam neque consumpsit neque alienavit.

eamque tradendi tertiæ determinatæ personæ, per hoc præsertim constituitur substitutio, nam illa tertia persona substituitur priori donatario. Ad substitutionem tamen sufficit, ut gravato relinquatur electio inter plures personas a donatore determinatas.

3° ut illa dispositio creet *ordinem successivum* inter gravatum et vocatum.

Hic ordo successivus duo complectitur. Primum oportet ut bona, gravato donata, non sint tradenda vocato nisi ad mortem gravati; requiritur insuper ut illa transmissio bonorum sit incerta, seu, ut aiunt, *eventualis*, utpote facienda tantum si vocatus superstes sit gravato.

Licet enim a. 896 diserte non determinet talem ordinem successivum, illum tamen supponit. Nam sub jure veteri hac ratione intelligebatur substitutio, legislator autem (ut aperte constat ex disputationibus habitis tempore redactionis codicis) (1) abrogare voluit substi-

(1) Cfr. Aubry et Rau, *o. c.*, p. 313.

tutionem prout sub veteri jure vigebat. Præterea a generali prohibitione excipiuntur quædam substitutiones a. 1048, 1049, quæ proinde inservire possunt ad dignoscendam naturam substitutionis prohibitæ; sed istæ referuntur ad transmissionem post mortem prioris donatarii faciendam. Quapropter jurisperiti generatim necessitatem hujus ordinis successivi agnoscunt.

Notetur denique sub prohibitione etiam includi substitutiones conditionatas v. g. instituo Paulum hæredem, et si sine liberis moriatur, hæreditatem Petro reddet. Nam lex non distinguit, et aliunde si valerent tales substitutiones, nihil facilius esset quam legem eludere, apponendo conditiones, quæ per leges non reprobarentur, et tamen effectum substitutionis moraliter certum redderent (1).

A. D. C.

V

Q. *Quænam est legum civilium substitutionem prohibentium vis in conscientia a/ pro hærede b/ pro gravato, c/ pro vocato seu substituto.*

R. Distinguenda est substitutio ad causas pias, a substitutione ad causas profanas. 1/ Substitutio ad pias causas in conscientia est exsecutioni mandanda. 2/ Quoad substitutiones ad causas profanas, lex civilis eas prohibens, cum non sit aperte injusta, in conscientia servanda est. Unde a/ hæres cujus interest, potest in conscientia invocare nullitatem substitutionis; b/ gravatus debet, donatore mortuo, petenti hæredi, etiam ante sententiam judicis res donatas restituere; c/ vocatus seu substitutus, si donum receperit, eadem ratione ac gravatus restituere tenetur.

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, p. 562 et seqq. Theol. Mechl. *Tract. de Jure et Justitia* 1896, p. 306, Carrière, *o. c.*, p. 215 et seqq. Thiry, *o. c.*, p. 272 et seqq.

Explicatur.

1/ Habetur primum substitutio ad causas pias, nempe in favorem ecclesiæ, pauperum, divini cultus, etc., ex. gr. Paulus legat domum suam Petro ea conditione, ut ab ipso, quamdiu vivat, servetur, et post mortem tradatur ecclesiæ parochiali.

Quamvis vero lex civilis substitutiones proprie dictas generatim prohibeat, nihilominus quæ fiunt ad causas pias, in foro conscientiæ exsequendæ sunt. Hæc est sententia communissima et certa. Probatur autem ex eo quod causæ piæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque subsunt jurisdictioni; quapropter illa prohibitio fieri debuisset, non a sola civili auctoritate, sed simul etiam ab auctoritate Ecclesiæ, ut vere justa et efficax evaderet. Sed cum Ecclesia substitutionum prohibitionem a legibus civilibus factam non probaverit, illas adhuc ut validas habere dicenda est, etiamsi in foro civili irritæ reputentur (1). Nec dicatur, ut merito notat Santi, silentium Ecclesiæ in casu habendum esse loco tacitæ renuntiationis; nam ut valeat principium, « qui tacet consentire videtur », oportet ut qui tacet cognoscat id quod contra se agitur, ut in ea conditione sit in qua teneatur loqui et *possit efficaciter*, quæ ultima conditio procul dubio in casu nostro non verificatur (2).

Denique animadvertimus cum Ill° ac R^mo Waffelaert: « si alia via æque apta, et a lege civili non prohibita, ad intentionem piam exsequendam donatori vel testatori suppetat, vitanda est substitutio. Quodsi alia via præcludatur, maxima prudentia opus est, ne ab una parte libertatem donatarii, vel legatarii coarctando, ansa præbeatur irritationi piæ donationis, ab altera vero

(1) Hic etiam applicantur quæ in Coll. Brug. t. VII (1902) p. 149 sqq., dicuntur de testamentis ad pias causas formis a lege civili præscriptis destitutis.

Cfr etiam Schmalzgrueber lib. III, tom. II, Tit. XXVI, § V, De substit. et legatis. Santi *Prælect. Jur. Can.*, Edit. III, lib. III, p. 223 et 238. — Hæc docent generatim tum canonistæ, tum theologi.

(2) Santi *l. c.*, p. 224.

parte donatarius vel legatarius, non satis sedulo electi, spem fallant donatoris, et rerum cupiditate abrepti, voluntatem ejus non exsequantur » (1).

2/ De substitutionibus ad causas profanas, aliter omnino est sentiendum, nam lex civilis, cum non sit aperte injusta, quamdiu viget, in conscientia est servanda.

Dicimus « cum non sit aperte injusta »: etenim legislatorem in prohibendis substitutionibus ductum fuisse motivis politicis, satis manifestum est. Novo rerum ordine ex animo impio et democratico nimis, seu ex quadam reactione contra mores antiquos (la mainmorte) exorto, quum familiæ nobiles, quarum splendori ac stabilitati consulebant substitutiones, huic novo rerum ordini non favebant, ideo legislator illis familiis potissimum adversatus hanc legis præscriptionem condidit, quæ proinde non parum saltem sub hoc respectu nocet reipublicæ. Attamen substitutionum prohibitionem propter bonum commune latam esse contendebat ipse legislator, nempe ad removenda varia substitutionum incommoda: ex illis frequentes oriebantur lites inter eos, ad quos devolvebantur bona substituta, et cœtera familiæ membra, quæ eadem proportione spoliabantur; horum bonorum possessores, utpote quasi meri usufructuarii, iis frui satagebant, de fundi deterioratione parum solliciti, etc. (2). Quapropter perpensis variis rationibus, quæ ex utraque parte afferri possent, rem non esse satis apertam arbitramur, ut sub injustitiæ prætextu infirmetur dispositio legis, unde eam in ipso conscientiæ foro valere existimamus (3). Consequenter

a/ *hæres, cujus interest*, nullitatem dispositionis in

---

(1) *De Justitia*, Brugis 1885, T. I, nº 568.

(2) Cfr. Carrière *De Contract.* II, Parisiis 1844, p. 215 et sqq., Marres *De Justitia* I, Ruræmundæ 1889, nº 329.

(3) Cfr. Coll. Brug. T. VIII, (1903) p. 670 sqq., ubi declaratur quamnam vim in conscientia habeat legislatio nostra in universim sumpta circa jus testandi et successiones.

conscientia invocare potest, nam donatore mortuo, a lege ipsi hæredi confertur jus strictum in bona per substitutionem alteri donata.

b/ *gravatus* debet post mortem donatoris petenti hæredi, etiam ante sententiam judicis, res donatas restituere. Etenim lege civili non tantum irritatur liberalitas in favorem substituti, sed et ipsa prior donatio gravato facta.

Dicimus :

post mortem donatoris, nam durante donatoris vita, res donatas absque injustitia retinet. Donator enim, cum dominium bonorum suorum usque ad mortem servet, disponens de re sua, non lædit justitiam commutativam, licet generatim peccet contra obedientiam justæ legi debitam (1).

petenti hæredi; non est obligatio ut moneat hæredem aut ultro restituat, nam unusquisque jus suum cognoscere censetur. Unde quotiescumque res donatæ non repetuntur, retineri possunt ex præsumpta ratihabitione hæredis. Excipiendus tamen est casus, quo res ita dispositæ fuerint, ut hæres substitutionem cognoscere, vel eam, cum revera adsit, probare nequeat.

debet restituere etiam ante sententiam judicis, nam post mortem donatoris ex ipsa lege jus strictum in illa bona competit hæredi, unde ejus petitioni æquiescendum est, quin cogi possit ad subeundos sumptus et incommoda litis, modo de ipsa substitutione nullum dubium adsit.

c/ *vocatus* seu substitutus, qui donum receperit, tenetur ut gravatus mortuo donatore illud petenti hæredi ante sententiam judicis restituere. Nam cum lege civili, ut supra jam notatum est, irritetur duplex liberalitas per substitutionem facta, quæ diximus de gravato, eadem ratione de vocato valent.

A. D. C.

(1) Cfr. Coll. Brug. T. VIII (1903) p. 674 sqq.

VI

Q. *Quænam paramenta altaris, calicis, celebrantis et ministrorum pro celebratione missæ benedicenda sunt? A quo et quanam formulâ benedici debent?*

R. I. **Quænam?** 1/ *Altaris.* — *Rubricæ generales Missalis* (1) describentes omnia altaris paramenta ad missæ celebrationem requisita, de solis tribus mappis seu tobaleis statuunt quod debent esse « ab Episcopo vel ab alio habente facultatem benedictæ » (2). Cetera ergo de præcepto benedici non debent. Verum quidem est alia ornamenta, linteamina et vasa in ritu consecrationis ecclesiæ aut altaris (3) simul cum mappis benedici antequam altari imponantur. Hæc benedictio est accessoria quædam cæremonia complens solemnem altaris consecrationem, ut divino cultui dicetur tota supellex prima vice altari noviter consecrato imponenda. Inde quidem erui potest paramenta in posterum adhibenda posse benedici, non vero sequitur eas de præcepto esse benedicenda, ut patet v. g. de cruce, quæ in Pontificali, locis citatis, expresse nominatur inter altaris ornamenta et nihilominus extra casum consecrationis altaris certo « non est de præcepto benedicenda » (4).

Ratio cur solæ mappæ debeant benedici intelligitur ex magis intima relatione ad sanctissimum Sacramentum. Super illas enim magis immediate quam super altare conficitur et reponitur Corpus Domini; præscribuntur ad majorem cautelam in casu effusionis pretiosissimi Sanguinis, et « ad tegendum involvendumque altare » (5) quod significat ipsum Christum (6).

---

(1) Tit. XX, *de præparatione altaris et ornamentorum ejus.*

(2) Cf. etiam *De defectibus in celebratione missarum occurrentibus,* X, 1.

(3) Cf. *Pontificale Roman.* versus finem *Ecclesiæ dedicationis* et *Altaris consecrationis.*

(4) Decr. S. C. Rit. 12 Jul. 1704, n. 2143, ad 1.

(5) Oratio secunda benedictionis mapparum.

(6) *Pontificale Roman.* in *Ordinatione Subdiaconi:* « altare quidem sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus ».

2/ *Calicis.* — *Ritus servandus in celebratione missæ* recensens omnia calicis paramenta, corporale, parvam pallam, purificatorium, velum et bursam, requirit tantum ut « corporale... simul cum palla benedictum » sit (1). De ceterorum benedictione tacent Rubricæ et S. C. Rit., interrogata « utrum purificatorium debeat benedici », respondit « Negative » (2).

Ratio discriminis est quod dum purificatorium aliaque paramenta remote tantum referuntur ad S. Sacramentum, corporale hodiedum et palla saltem antiquitus Illud immediate tangebant. Per plura enim sæcula, corporale et palla erant unum idemque linteamen majus quod *palla corporalis* (3) aut *opertorium dominici corporis* vocabatur, cujus pars anterior calici et hostiæ supponebatur, posterior vero pars super calicem replicabatur. Ex quo autem palla a corporali separata est, censetur nihilominus eumdem servasse finem et benedici debet simul cum corporali, quod sanctificatur « ad consecrandum super illud corpus et sanguinem Dei et Domini nostri » (4) et « ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Domini » (5), tanquam « corporis et sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium » (6).

3/ *Celebrantis.* — Ex textu rubricarum (7) benedici debent « vestes sacerdotales » seu « paramenta » celebrantis. Hæc autem ex *Ritu celebrandi missam* I, 3 et 4 sunt: amictus, alba, cingulum, manipulum, stola et planeta. Hæc indumenta constituunt specifice habitum sacrum conficientis SS. Sacramentum.

4/ *Ministrorum.* — Difficile probari posset præceptum

---

(1) Tit. I, n. 1. Cf. *De defectibus*, X, 1.

(2) Decr. 7 Sept. 1816, n. 2572, ad 12.

(3) Ita v. g. vocatur in *Pontif. Rom.*, *De Ordinatione Subdiaconi*, ubi distinguitur a mappis quæ vocantur « pallæ altaris », « pallæ quæ sunt in substratorio altaris ».

(4) Oratio prima benedictionis corporalium.

(5) Oratio secunda ejusdem benedictionis.

(6) Oratio tertia ejusdem benedictionis.

(7) *Ritus celebrandi missam*, I, 2, et *De defectibus*, X, 1.

benedicendi indumenta ministrorum missæ, notatim diaconi et subdiaconi. De his enim benedicendis nihil habent Rubricæ Missalis aut S. R. C. decreta; dissentiunt auctores, et desunt argumenta stringentia. Dalmatica et tunicella sunt quidem habitus sacer pro celebratione missæ, sed habitus ministrorum tantum, non ipsius sacrificantis nisi pro Episcopo in pontificalibus celebrante; expresse quidem illa indumenta nominantur in formula « *benedictio specialis cujuslibet indumenti* » (1) Episcopo propria, sed inde inferri nequit ea *debere* benedici, nisi forte pro Episcopo, sed tantum ea benedici *posse*.

Admittendum tamen est cum omnibus auctoribus, convenientissimum esse ut omnia paramenta diaconi et subdiaconi rite benedicantur. Idem dici potest de pluviali imo et superpelliceo.

II. **A quonam?** « Ab Episcopo vel aliis facultatem habentibus » aiunt textus Rubricarum et titulus qui formulis benedictionum præponitur.

Hæc benedicere de jure ordinario pertinet ad Episcopum loci, qui facultatem suam aliis subdelegare nequit absque Sedis Apostolicæ indulto (2) quod concedi solet vi quinquennalium Episcopis Belgii (3) et vi cujus Episcopus Brugensis RR. adm. DD. Decanis impertitus est (4) facultatem benedicendi « quævis paramenta sacerdotalia, vasa sacra, aliaque utensilia, licet ecclesiis aut sacellis sui districtus non destinata (5), in quorum benedictione non intervenit sacra chrismatis unctio. »

Item ea benedicere possunt, pro suis tantum ecclesiis

---

(1) In Pontificali Romano.

(2) Decret. S. R. Cong. 16 Maii 1744 ad 4 et 5, n. 2377.

(3) Quod vide in *Libro Manuali: Præcipuæ facultates*, I, 11.

(4) Decret. prosynod. anni 1898, n. III, apud *Collat. Brug.* III, p. 357.

(5) Antea hæc benedicere poterant « pro ecclesiis et sacellis sui districtus tantum ». *Statuta diœc. Brug.*, p. 66. Cfr. *Coll. Brug.*, T. III, p. 57 sqq.; T. II, p. 324.

et monasteriis, Abbates aliique pontificalium usu gaudentes (1), necnon alii regularium rectores qui S. Sedis privilegium acceperunt (2).

III. **Quanam formula?** — Indumenta sacerdotalia non censentur benedicta solo usu (3) sed adhibendæ sunt formulæ ab Ecclesia præscriptæ, quæ inveniuntur tum in Rituali aut in fine Missalis, tum, quibusdam tamen mutatis, in Pontificali Romano. Formulæ Pontificalis propriæ sunt Episcopis, dum simplices sacerdotes facultate debita gaudentes adhibere debent formulas Ritualis aut Missalis, (4) et quidem semper prout jacent.

Est autem benedictio triplex: prior « sacerdotalium indumentorum in genere » quæ convenit benedicendis amicto, albæ, cingulo, manipulo, stolæ, casulæ, dalmaticæ, tunicellæ, velo humerali, pluviali et superpelliceo, imo et altaris antipendio et calicis velo et bursæ (5). Si unum dumtaxat ex præfatis indumentis sit benedicendum, a sacerdote recitanda est eadem formula servato numero plurali (6), ab Episcopo vero adhibenda est altera Pontificalis formula: « *benedictio specialis cujuslibet indumenti* ». Secunda benedictio est « mapparum sive linteaminum altaris » et tertia « corporalium ». Harum benedictionum formulæ vix non eædem sunt pro Episcopo et sacerdote benedicentibus. Verba benedictionis « corporalium » concipiuntur in singulari nec mentionem faciunt de palla. Sed ex supra explicatis (III, 2) intelligitur quomodo sub voce « corporali » veniat

(1) Dec. S. R. C. 16 Maii 1744, n. 2377 ad 1 et 2.

(2) Dec. S. R. C. idem, ad 3. Cf. 13 Mart. 1632, n. 587; 18 Sept. 1666, n. 1340; 31 Aug. 1867, n. 3157, ad 11.

(3) Decr. S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, ad 7.

(4) Decr. S. R. C. 4 Sept. 1880, n. 3524, ad II, et 2 Dec. 1881, ad I.

(5) Præstat tamen ut antipendium, velum calicis et bursa non benedicantur nisi simul cum aliquo indumento sacerdotali, ut verificentur benedictionis verba: *indumenta, vestes, vestimenta.*

(6) Qua in re errat P. De Herdt, *Sacra liturgiæ praxis*, T. I, n. 168, ad 2 (ed. 10, p. 206). Cf. Decr. S. R. C., 4 Sept. 1880, n. 3524, ad II et III, 2 et 3; 2 Dec. 1881, ad 1.

etiam palla et cur convenientius sit ut pallæ benedicantur simul cum corporalibus. Nihilominus « palla potest benedici separatim a corporali » (1). Sed sive sint unum corporale unaque palla, sive sint plura corporalia cum unica palla aut vice versa, semper « formula recitanda est prout jacet » (2) in singulari.

C. C.

(1) Dec. S. R. C., 4 Sept. 1880, n. 3524 ad III, 1.
(2) Ibid. ad III, 2 et 3.

De officio parochi et confessarii erga Nupturientes.

Tractatio hæc restringitur ad duplex officium a parocho vel confessario, pro opportunitate, præstandum erga fideles qui matrimonium contrahere intendunt: eos nempe examinandi et erudiendi; quod utrumque munus eo majori cum cura est obeundum quo majora damna ex eorum neglectu exsurgere sunt nata, tum respectu sponsorum, tum respectu ipsius societatis, cujus incolumitas ab œconomia matrimoniali tantopere pendet. Non frustraneum igitur duximus quædam hic monita practica proponere eo vel magis quod ad hoc non semel fuimus invitati et circa varia huc spectantia dubia interrogati. Sit ergo

PARAGR. 1ª. **Examen.**

Nupturientes examinandi sunt a *parocho*, ejusve delegato ad hoc specialiter deputando, et ad hunc effectum proprium respective parochum adire debent, ut ab ipso rite interrogentur. Prævie autem facta inquisitione circa nomen, cognomen, ætatem et domicilium, sciscitari debet parochus signanter 1°/ circa existentiam impedimenti sive dirimentis sive impedientis, et 2°/ circa doctrinam et scientiam necessariam.

I/ Quoad Impedimenta:

A/ **Impedientia.**

1°/ Non raro contingit quod deteguntur sponsalia olim contracta cum tertia persona, et vix unquam omittenda est hujusmodi interrogatio (1). Quodsi de

(1) Dicta interrogatio facienda est solerter et formulam usurpando usualem pro varia personarum conditione et instructione adaptata, utrum scilicet alteri matrimonium seriò promiserint, altera parte seriò

sponsalitio contractu constat, validè et absolute, licet clandestine, inito, inquirendum venit utrum sponsalia legitime fuerint dissoluta an vero adhuc subsistant: quo altero casu non potest ad proclamationes procedere parochus, obstante impedimento sponsalium, nisi solubilia reperiantur ad nutum partis interrogatæ. Totum scilicet negotium est ad Episcopum deferendum, qui ipse rem componat vel dispensationem S. Sedis obtinendam procuret; ad quam tamen delationem non est deveniendum nisi prævie adhibito a parocho zeloso conamine ad hoc ut altera pars derelicta juri suo cedat, sive per spontaneam renuntiationem sive per compositionem ipsi offerendam.

Seponitur hic hypothesis publicæ honestatis de qua infrà, sub B/.

2°/ Explorandum insuper, nisi aliunde sit notum, utrum parentes, si dantur, rationabiliter non dissentiant, cum rationabilis dissensus constituat fundamentum prohibitionis Ecclesiæ. Quæ paterni consensus necessitas pariter est attendenda respectu legis civilis, cujus dispositiones referuntur apud *Collat. Brug.*, VI, pp. 188 et seq.

3°/ Passim non est loquendum de impedimento voti, nisi hujus suspicionem inducat specialis conditio sponsæ, v. gr. quæ valde pie vixerit et a mundanis admodum remota. Circa dispensationem simplicis voti castitatis, si contingat obvium haberi, cf. *Collat.*, III, pp. 583 et seq.

B/ **Dirimentia.**

1°/ « Onus proprio parocho injunctum est ut antequam denuntiationes de ineundo matrimonio publice in Ecclesia intra missarum solemnia fiant... explorare stu-

---

repromittente, utrum de ineundis nuptiis cum alia persona convenerint etc., sedulò etiam directa inquisitione in varia signa contractum olim initum comprobantia, qualia v. gr. sunt domus jam locata, dies nuptiarum jam statuta, annulus sponsalitius traditus, solemne sponsalitium convivium et a fortiori proclamationes jam inchoatæ.

deat (sponsos) an ex voluntate, sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur ». Bened. XIV, *Nimiam Licentiam,* § 10.

2° Vix unquam prætereunda est inquisitio circa impedimentum *consanguinitatis* et *affinitatis illicitæ,* signanter si sponsi sunt ex eodem loco oriundi et ex familiis familiaritatis vinculo inter se devinctis; nec ab hoc onere excusatur parochus ob protestationem sponsorum qualecumque consanguinitatis vel affinitatis vinculum diffitentium.

Imo, ubi vel levis subest cognationis vel affinitatis suspicio, non satis est parocho nupturientes interrogare, sed opus est ut ipse accuratius arborem genealogicam scrutetur. Quod potissimum est attendendum pro illis locis quorum incolæ quasi castam inter se efformare videntur et matrimonia inter se inire solent. Cæterum difficultati quæ passim obtinet in scrutanda arbore genealogica occurretur per opportunam interrogationem senioris alicujus membri e familia sponsorum, qui penitiorem genealogiæ notitiam retinuerit.

3°/ Sæpe non sufficienter attenditur impedimentum *cognationis spiritualis*, cui facilius erit locus quotiescumque sponsus viduus vel sponsa vidua matrimonium intendit inire cum sponsa vel sponso cognato vel affine aut aliunde valde familiari. Unde provide monet *Liber Manualis,* ed. 1ª, p. 166: « Si autem petenda sit dispensatio super affinitate in primo gradu æquali lineæ collateralis, nunquam omittenda est specialis inquisitio circa impedimentum aliud, cognationis nempe spiritualis, quod, licet defuncta sit proles de s. fonte suscepta, oratores ligare non cessat ».

Accidit etiam quod cognatio spiritualis detegatur casu quo juvenis in uxorem vult ducere puellam quæ ex fornicario cum ipso commercio prolem suscepit eamque in necessitate baptizavit (1).

---

(1) Ita nuperrime, in parochia diœcesis Brugensis, baptizanda oblata

Adesset etiam impedimentum cognationis spiritualis si sponsus patrini munus expleverit erga prolem illegitimam sponsæ, sed alibi notavimus regulam esse ut non adhibeantur patrini in baptismo illegitimorum.

4°/ Sedulò præ oculis est habendum a parocho examen instituente dirimens impedimentum *publicæ honestatis,* oriens ex sponsalibus olim habitis a sponso vel sponsa cum persona alteri parti in primo gradu consanguinea; quod impedimentum nota subsistere post sponsalia penitus dissoluta, modò aliquando fuerint valida et absoluta. Peculiari attentione est opus ubi juvenis auditur sororem sponsæ vel sorores frequentasse.

5°/ Sollicitus valde sit parochus de impedimento *clandestinitatis*, signanter cum famulis et ancillis, ne, ipso non monito, domicilium vel quasi-domicilium, quod habent tempore quo examinantur, ante nuptias deserant, et sic redeant ad parochum non suum (1). Caveat etiam ne filios-familias citius æquo habeat tanquam momentanee vagos, nulla ratione habita domicilii paterni forsan retenti. Cf. *Collat.*, VIII, pp. 348 et seq.

6°/ Præ cæteris invigilandum est a parocho circa impedimentum *ligaminis*, quotiescumque obvium habet nupturientem vel vagum (2), vel qui in ætate nubili in alia diœcesi notabile tempus transegit vel ex aliena diœcesi ortum ducit. Nimirum pro hisce non sufficiunt communes interrogationes et proclamationes antenup-

---

est proles illegitima ante duos menses nata, et quæ per opportunam interrogationem reperta est domi abluta ab ipsa matre, quæ sequenti die matrimonium erat initura cum juvene quocum peccaverat.

(1) Circa dispositionem specialem quæ viget in diœcesi Brugensi, inde ab anno 1899, pro locis in quibus duæ pluresve parochiæ sedem habent, cf. *Collat.*, IV, p. 377 et V, pp. 308 et seq.

(2) Non agitur hic de momentanee vagis, qui nempe tales tantum sunt ob derelictum hucusque habitum domicilium aut quasi domicilum, aliud brevi contracturi; sed de illis qui vagabundam ducunt vitam et incertas habent sedes, quibus solis etiam applicanda est disciplina Tridentina de prævie monendo Ordinario. Cf. *Collat.*, III, p. 237.

tiales, sed uti monetur apud *Collat.*, III, p. 238, « eorum status liber, ad tramites juris, probandus esset sive per documenta authentica (putà testimonium parochi loci vel locorum quæ incoluerunt, sigillo ac legalitate Ordinarii munitum), vel saltem duos testes fide dignos, juratos ac formiter coram Ordinario ejusve delegato interrogatos ». Ad minus adest obligatio « sedulò investigandi circa statum liberum istiusmodi nupturientium atque meliori quo fieri potest modo colligendi documenta ac testimonia illum comprobantia ». l. c., p. 239.

Quorum documentorum defectui suppleri potest sponsis deferendo juramentum suppletorium, ad quod remedium, ex speciali facultate, recurrere potest Episcopus Brugensis respectu *vagorum* et *militum*, non autem respectu reliquorum nisi, in casu urgenti, vi potestatis quasi-ordinariæ. Indulti tenorem et modum præstandi juramentum suppletorium videsis relatum l. c., pp. 238 et 240.

7° *Regulariter* non sunt a parocho interrogandi sponsi circa impedimenta infamantia, puta *criminis* et *affinitatis illicitæ*, excepto casu quo, ob peculiaria adjuncta, ratio est delictum in foro externo suspicandi. Ita si recenter viduus postulat copulari cum muliere, putà ancilla, quacum habitavit tempore ægritudinis uxoris, vel cum alia fæmina quacum noscitur familiariter esse conversatus, profectò non omittet parochus cautè indagare utrum sponsus, vivente uxore, non sit adulteratus cum sponsa, eique futurum matrimonium promiserit, ipsa repromittente. Pariter continget quod ratio vivendi dissolutior ac luxuriosa familiaritas nupturientium alterutrum suspectum reddiderint fornicationis admissæ cum persona futuræ comparti in 1° vel 2° gradu consanguinea.

Quocirca tamen nota, pro natura impedimenti et attenta varia personarum conditione, prudentissime esse procedendum in hujusmodi investigatione insti-

tuenda, et sic v. gr., uti monet Theol. Mechl., *De Matrim.*, ed. 1894, p. 58, « convenit quandoque, ad vitandam eorum offensionem, ut impedimenta quædam non per modum interrogationis proponantur, quasi haberetur aliqua suspicio, quod forte talia contraxerint, sed per modum instructionis, dicendo ista esse præcipua impedimenta, de quibus instrui solent nupturientes ».

Cæteroquin semper a parocho hortandi sunt sponsi ut in confessione antenuptiali (1) confessarium respective moneant de matrimonio instante: cui confessario officium obtingit diligenter obeundum ut examen fori externi compleat in foro interno ac perficiat, signanter quoad præfata impedimenta infamantia (2).

II. QUOAD DOCTRINAM ET SCIENTIAM.

« In Congregatione habita coram Innocentio XII, anno 1697, decretum est non esse a parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum nisi antea sponsos repererint in christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; quod quidem decretum confirmatum fuit a Clemente XI ». Ita Bened. XIV, *De Synod. Diœces.*, l. VIII, cap. 14, n. 3, qui ipse inhæsitanter præcipit neminem ad matrimonium admitti christianis institutis nondum satis edoctum (3).

Item in *Rit. Rom.*, Tit. VII, cap. 1, n. 1, statuitur

---

(1) Quod spectat *confessionem*, suadeat parochus conjugandis ut, in hunc finem et ad fructuosiorem procurandam sacramenti matrimonii susceptionem, ad sacramenta accedant die qua primum eorum banna, proclamabuntur, eosque moneat ut insuper, juxta disciplinam diœcesanam, triduo vel pridie ante matrimonii solemnizationem sua peccata confiteantur et communicent, et « ante matrimonii celebrationem testimonium adferant de instituta a se sacramentali confessione ». Cf. *Collat.*, VI, pp. 184 et seq.

(2) Quid agendum sit a confessario occultum detegente impedimentum dirimens in confessione, latius exponitur apud *Collat.*, tom. VIII, pp. 188-190 et ll. cc. Cf. etiam Theol. Mechl., op. cit., n. 101, circa casum perplexum.

(3) Ita in Constitut. *Etsi minime:* « matrimonio jungendi non sunt si parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit marem seu fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare ».

ut « uterque (sponsus) sciat rudimenta fidei »; et in *Pastorali Brugensi*, p. 121, monetur parochus ut « inquirat... an fidei noverint rudimenta : nempe orationem dominicam, symbolum Apostolorum, Dei et Ecclesiæ præcepta, præter alia quæ de necessitate medii et præcepti expressius scire tenentur. Quodsi omnino rudes inventi fuerint, diligenter doceantur, nec ad bannorum proclamationem procedatur nisi postquam fuerint sufficienter instructi ».

Et sane, uti arguit *Rit. Rom.*, l. c., oportet ut parentes sciant rudimenta fidei cum ea deinde filios suos docere debeant. Cæterum, quemadmodum ratiocinatur Bened. XIV, *De Syn. Diœces.*, l. c., n. 5 « qui fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur »; tractandus est nimirum sicut indignus isque publicus, cujus adeoque matrimonio nequit parochus assistere nisi proportionata causa assistentia legitimetur, prævie consulto Episcopo, si fieri potest, ad tramites dictorum apud *Collat.*, V, p. 88 et seq. Quodsi alibi celebrandum sit matrimonium, de mala dispositione certiorandus est parochus coram quo nuptiæ sunt celebrandæ.

Unum tamen probè advertendum addit laudatus Pontifex l. c., n. 6: « nimirum quandoque evenire, ut quis præcipua Fidei nostræ mysteria et sciat et credat, cætera pariter quæ necessitate præcepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed, quia hebetis est ingenii et exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere et recitare non valeat: in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, et propterea nemini, sine propria culpa, est denegandum ; sed curabit parochus ut qui eo memoriæ defectu laborat frequenter audiat quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur ». In eumdem sensum loquitur *Pastorale Brugense*, p. 121.

Nota: 1°/ Duplex examen illud est instituendum antequam ad proclamationes deveniatur; quodsi ad diversam parochiam pertinent sponsi, parochus sponsi instituti examinis relationem mittet ad parochum sponsæ, qui et ipse, post peractum examen, parochum sponsi certiorabit tutò posse ad denuntiationes procedi.

2°/ Sponsus et sponsa seorsim sunt interrogandi, et curandum, in quantum fieri potest, ut saltem sponsa protracto vespere ad examen non admittatur.

3°/ « Si le curé sait d'autre part que les futurs sont suffisamment instruits des vérités de la foi, il pourra se dispenser de faire l'examen. En tout cas, dans la manière de procéder il aura égard à la qualité des personnes qu'il a à examiner. Ainsi, pour les personnes de classe et de condition élevées, un examen en forme pourrait être déplacé; il sera mieux de le faire sous forme de conversation ». Joder, *Formulaire matrimonial*, 3° ed., p. 7.

Non est tamen facile penitus prætereundum examen, etiamsi sufficienter nota sit nupturientis doctrina, ne, si hoc vulgetur, alii inde ansam sumant examen sibi impositum ægre ferendi.

4°/ Quæ spectant officia status minus materiam constituunt examinis quam objectum instructionis a parocho dandæ, occasione examinis, vel a confessario in confessione excipienda: de qua instructione sub paragrapho altera agetur.

(Sequetur.)

A. D. S.

Lettre de Sa Sainteté Pie X, pape

A M. le cardinal Respighi, vicaire général de Rome, sur la restauration de la musique sacrée. *

MONSIEUR LE CARDINAL,

Le désir de voir refleurir partout l'honneur, la dignité et la sainteté des fonctions liturgiques Nous a déterminé à faire connaître par un écrit personnel quelle est Notre volonté par rapport à la musique sacrée qui obtient une si large part dans le service du culte. Nous avons la confiance que tout le monde secondera cette restauration désirée, non pas seulement par cette soumission aveugle, toujours louable en elle-même, avec laquelle on accepte par pur esprit d'obéissance des commandements onéreux ou contraires à sa propre façon de penser et de sentir, mais encore avec cette promptitude de volonté qui naît de la persuasion intime du devoir d'en agir ainsi par des motifs dûment établis, clairs, évidents, irréfutables.

En effet, pour peu qu'on réfléchisse à la fin très sainte en vue de laquelle l'art a été admis au service du culte, et à la souveraine convenance de n'offrir au Seigneur que des choses bonnes en soi et, autant que possible, excellentes, on reconnaîtra tout de suite que les prescriptions de l'Eglise en ce qui concerne la musique sacrée ne sont autre chose que l'application immédiate de ces deux principes fondamentaux. Quand le clergé et les maîtres de chapelle s'en sont pénétrés, la bonne musique sacrée refleurit spontanément, ainsi qu'on l'a observé et qu'on continue de l'observer, en maints endroits. Au contraire, quand ces principes sont transgressés, il n'y a ni prières, ni admonestations, ni ordres sévères, fussent-ils répétés, ni menaces de peines canoniques qui réussissent à rien changer; tant la passion et, à son défaut, une honteuse et inexcusable ignorance, trouve le moyen d'éluder la volonté de l'Eglise et de maintenir pendant des années et des années le même état de choses blâmable.

Cette promptitude de volonté, Nous l'attendons spécialement du clergé et des fidèles de notre chère ville de

* Traduction du texte italien.

mutari posset, nisi docendo ignorantes genuinum formulæ sensum ? (1). Quoad doctrinam *e suggestu* tradendam, ipsum *Monitum*, Antistitum jussu fideli populo prælegendum, verum formulæ sensum omnibus aperte exhibet.

Cæterùm, opusculum R. P. Brahm sacerdotes omnes magno cum fructu perlegent.

A. C.

*
* *

Meest gebruikte kerkzangen van lof en mis en andere gebeden. *Latijnsche tekst met nederlandsche vertaling, door* Fr. Dryvers, pr. — Werchter, P. Dryvers en Zoon, 1903.

Opus illud in quatuor dividitur partes quarum prima complectitur 24 cantus liturgicos in honorem SS. Sacramenti, altera hymnos, antiphonas et preces in honorem Beatæ Mariæ Virginis, tertia 19 cantus varia mysteria et Sanctos celebrantes, quarta demum opportunam expositionem de SS. Missæ sacrificio (2) et ipsum *ordinem* missæ, deinde varias preces ad pœnitentiam et eucharistiam rite suscipiendas.

---

(1) Adeoque jam ex hoc claudicat ratio a clar. A, allegata (p. 52) « si (ignorantibus) detegitur (sensus genuinus formulæ) et postea hoc dicterium effutiunt, magis peccabunt dicendo G. v. d. quam si hac notitiâ caruissent ». Præterea quomodo — nisi verum sensum aperiat — absque vulgi admiratione ac scandalo asserere poterit sacerdos non esse blasphemiam formulam tamdiu ut blasphematoriam ex erronea persuasione communi habitam? Demùm, in ista alleganda ratione non satis sibimetipsi constare videtur clar. A. cùm p. 51 admittat confessarium pœnitenti verum formulæ sensum intelligenti declarare debere « quod si damnationem suam serio non petit eum non committere peccatum mortale ». Denique ex ipsa veri sensus indicatione, vehemens motivum desumi potest ad fideles a formulæ usu deterrendos. Vide *Coll. Brug.*, T. III, p. 468.

(2) Inadvertenter scripsit auctor p. 165 « *Agnus Dei*. De H. Hostie *in de hand houdend*, spreekt de priester Jesus driemaal aan als het Lam Gods... » Tunc enim *non manu tenet* hostiam sacram sacerdos.

Scopus auctoris fuit medium præbere efficax ut fideles magis ac magis sacræ liturgiæ preces ac cærimonias intelligant, consequenter eos religionis ac pietatis sensus in se excitent quos ipsa intendit Ecclesia, tandem ampliorem ac intimiorem partem habeant in sacris officiis. Ad illum altissimum finem opus ab auctore confectum est aptissimum, proindeque optandum ut longe lateque diffundatur: ex hujus libri lectione variæ fidelium classes propriam sibi quamdam utilitatem percipient, ut rite exponit auctor in introductione, p. VIII.

Ipsam versionem cura et arte magna conscriptam laudant valde periti: quum insuper carmina (uno excepto) in linguam flandricam transtulerit auctor *eodem metro* quo fuerant latine composita, ideo poterunt etiam flandrice cantari *cantu gregoriano:* quod tamen non licet nisi extra solemnia officia liturgica.

J. V. D. M.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DIVINA PROVIDENTIA PII PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ante 50 annos definitio dogmatis de immaculata conceptione B. M. V. totius orbis catholici plausu fuit excepta et celebrata.

Ad diem illum lætissimum, brevi mensium intervallo, ætas nos referet, quo, ante decem quinquennia, Pius IX decessor Noster, sanctissimæ memoriæ pontifex, amplissima septus purpuratorum patrum atque antistitum sacrorum corona, magisterii inerrantis auctoritate, edixit ac promulgavit esse a Deo revelatum beatissimam virginem Mariam, in primo instanti suæ Conceptionis, ab omni originalis culpæ labe fuisse immunem. Promulgationem illam quo animo per omnium terrarum orbem fideles, quibus jucunditatis publicæ et gratulationis argumentis exceperint nemo est qui ignoret; ut plane, post hominum memoriam, nulla voluntatis significatio data sit tum in augustam Dei Matrem tum in Jesu Christi Vicarium, quæ vel pateret latius, vel communiori concordia exhiberetur. — Jam quid spe bona nos prohibet, Venerabiles Fratres, dimidio quamvis sæculo interjecto, fore ut, renovata immaculatæ Virginis recordatione, lætitiæ illius sanctæ veluti imago vocis in animis nostris resultet, et fidei atque amoris in Dei Matrem augustam præclara longinqui temporis spectacula iterentur? Equidem ut hoc aveamus ardenter pietas facit, quam Nos in Virginem beatissimam, summa cum beneficentiæ ejus gratia, per omne tempus

Illius eventus quinquagenarium anniversarium singulari quoque in Deiparam pietatis testimonio celebratum iri non dubitat Pontifex.

fovimus: ut vero futurum certo expectemus facit catholicorum omnium studium, promptum illud semper ac paratissimum ad amoris atque honoris testimonia iterum iterumque magnæ Dei Matri adhibenda. Attamen id etiam non diffitebimur, desiderium hoc Nostrum inde vel maxime commoveri quod, arcano quodam instinctu, præcipere posse Nobis videmur, expectationes illas magnas brevi esse explendas, in quas et Pius decessor et universi sacrorum antistites, ex asserto solemniter immaculato Deiparæ Conceptu, non sane temere, fuerunt adducti.

Etsi non omnes ex illa definitione exspectationes conceptæ videantur impletæ, multæ tamen exinde gratiæ insigniaque beneficia Deo referuntur per Mariam accepta;

Quas enimvero ad hunc diem non evasisse, haud pauci sunt qui querantur, ac Jeremiæ verba subinde usurpent: *Expectavimus pacem, et non erat bonum: tempus medelæ, et ecce formido* (1). Ast quis ejusmodi *modicæ fidei* non reprehendat, qui Dei opera vel introspicere vel expendere ex veritate negligunt? Ecquis enim occulta gratiarum munera numerando percenseat, quæ Deus Ecclesiæ, conciliatrice Virgine, hoc toto tempore impertiit? Quæ si præterire quis malit, quid de vaticana synodo existimandum tanta temporis opportunitate habita; quid de inerranti pontificum magisterio tam apte ad mox erupturos errores adserto; quid demum de novo et inaudito pietatis æstu, quo ad Christi Vicarium, colendum coram, fideles ex omni genere omnique parte jam diu confluunt? An non miranda Numinis providentia in uno alteroque Decessore Nostro, Pio videlicet ac Leone, qui, turbulentissima tempestate, eâ, quæ nulli contigit, pontificatus usurâ, Ecclesiam sanctissime administrarunt? Ad hæc, vix fere Pius Mariam ab origine labis nesciam fide catholica credendam indixerat, quum in oppido Lourdes mira ab ipsa Virgine ostenta fieri cœpta: exinde molitione ingenti et opere magnifico Deiparæ Immaculatæ excitatæ ædes; ad quas, quæ quotidie, divina exorante Matre, patrantur prodigia, illustria sunt argumenta ad præsentium hominum incredibilitatem profligandam. — Tot igitur tantorumque beneficiorum testes, quæ, Virgine benigne implorante, contulit Deus quinquagenis annis mox elabendis; quidni speremus *propiorem esse salutem nostram quam cum credidimus?* eo vel magis, quod divinæ Providentiæ hoc esse experiendo novi-

atque malorum finem instare spes est.

(1) Jer. VIII, 15.

mus ut extrema malorum a liberatione non admodum dissocientur. *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israël* (1); ut plane spes sit nos etiam brevi tempore inclamaturos: *Contrivit Dominus baculum impiorum. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit* (2).

Anniversarius tamen dies, quinquagesimus ab adserto intaminato Deiparæ conceptu, cur singularem in christiano populo ardorem animi excitare debeat, ratio Nobis extat potissimum, Venerabiles Fratres, in eo, quod superioribus Litteris encyclicis proposuimus, *instaurare* videlicet *omnia in Christo*. Nam cui exploratum non sit nullum, præterquam per Mariam, esse certius et expeditius iter ad universos cum Christo jungendos, perque illum perfectam filiorum adoptionem assequendam ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei? Profecto, si vere Mariæ dictum: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino* (3), ut nempe Dei Filium conciperet pareretque; si idcirco illum excepit utero, qui Veritas naturâ est, ut *novo ordine, nova nativitate generatus.... invisibilis in suis, visibilis* fieret *in nostris* (4): quum Dei Filius, factus homo, *auctor* sit *et consummator fidei nostræ;* opus est omnino sanctissimam ejus Matrem mysteriorum divinorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei sæculorum omnium extruitur ædificatio.

Cæterum *instaurare omnia in Christo* propositum cum sit, hoc præprimis per Mariam obtinendum.

Quid enim? an non potuisset Deus restitutorem humani generis ac fidei conditorem aliâ, quam per Virginem, viâ impertiri nobis? Quia tamen æterni providentiæ Numinis visum est ut Deum-Hominem per Mariam haberemus, quæ illum, Spiritu Sancto fœcunda, suo gestavit utero; nobis nil plane superest, nisi quod de Mariæ manibus Christum recipiamus. Hinc porro in Scripturis sanctis, quotiescumque *de futura in nobis gratia prophetatur,* toties fere Servator hominum cum sanctissima ejus Matre conjungitur. Emittetur agnus dominator terræ, sed de petra deserti: flos ascendet, attamen

Sicut enim voluit Deus nobis per Mariam dari Christum, Deum-Hominem, (quod in Scripturis fuit prædictum et figuratum),

(1) Isai. XIV, 1.
(2) Isai. XIV, 5 et 7.
(3) Luc. I, 45.
(4) S. Leo M. Serm. 2. *de Nativ. Domini*, c. 2.

de radice Jesse. Mariam utique, serpentis caput conterentem, prospiciebat Adam, obortasque maledicto lacrymas tenuit. Eam cogitavit Noë, arca sospita inclusus; Abraham nati nece prohibitus; Jacob scalam videns perque illam ascendentes et descendentes angelos; Moses miratus rubum, qui ardebat et non comburebatur; David exsiliens et psallens dum adduceret arcam Dei; Elias nubeculam intuitus ascendentem de mari. Quid multa? Finem legis, imaginum atque oraculorum veritatem in Maria denique post Christum reperimus.

ita per Virginem maxime fit nobis aditus ad adipiscendam Christi notitiam vitalem, qua np. per ipsum vivamus.

Per Virginem autem, atque adeo per illam maxime, aditum fieri nobis ad Christi notitiam adipiscendam, nemo profecto dubitabit qui etiam reputet, unam eam fuisse ex omnibus, quacum Jesus, ut filium cum matre decet, domestico triginta annorum usu intimaque consuetudine conjunctus fuit. Ortus miranda mysteria, nec non Christi pueritiæ, atque illud in primis assumptionis humanæ naturæ, quod fidei initium ac fundamentum est, cuinam latius patuère quam Matri? Quæ quidem non ea modo *conservabat conferens in corde suo* quæ Bethlehem acta, quæve Hierosolymis in templo Domini; sed Christi consiliorum particeps occultarumque voluntatum, vitam ipsam Filii vixisse dicenda est. Nemo itaque penitus ut illa Christum novit; nemo illâ aptior dux et magister ad Christum noscendum.

Hinc porro, quod jam innuimus, nullus etiam hac Virgine efficacior ad homines cum Christo jungendos. Si enim, ex Christi sententia, *hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (1); per Mariam vitalem Christi notitiam adipiscentes, per Mariam pariter vitam illam facilius assequimur, cujus fons et initium Christus.

Porrò Maria in nos maxime propensa: etenim mater Christi est et mater nostra;

Quot vero quantisque de caussis Mater sanctissima hæc nobis præclara munera largiri studeat, si paullisper spectemus; quanta profecto ad spem nostram accessio fiet!

An non Christi mater Maria? nostra igitur et mater est. — Nam statuere hoc sibi quisque debet, Jesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis servatorem esse. Jam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus

(1) Joann. XVII. 3.

nactus est: qua vero nostri generis restitutor, *spiritale* quoddam corpus atque, ut aiunt, *mysticum*, quod societas eorum est, qui Christo credunt. *Multi unum corpus sumus in Christo* (1). Atqui æternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus* (2). In uno igitur eodemque alvo castissimæ Matris et carnem Christus sibi assumpsit et *spirituale* simul corpus adjunxit, ex iis nempe coagmentatum *qui credituri erant in eum*. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo jungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus* (3), de Mariæ utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohærentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariæ filii nos dicimur, et ipsa nostrûm omnium mater est. *Mater quidem spiritu..., sed plane mater membrorum Christi, quod nos sumus* (4) Si igitur Virgo beatissima Dei simul atque hominum parens est, ecquis dubitet eam omni ope adniti ut Christus, *caput corporis ecclesiæ* (5), in nos sua membra, quæ ejus sunt munera infundat, idque cumprimis ut eum noscamus et *ut vivamus per eum?* (6).

nam Christus ex Maria genitus; quà Salvator hominum caput est corporis mystici cujus nos membra sumus.

Ad hæc, Deiparæ sanctissimæ non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suæ materiam* ministravit (7), qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium ejusdem hostiæ custodiendæ nutriendæque, atque adeo, stato tempore, sistendæ ad aram. Hinc Matris et Filii nunquam dissociata consuetudo vitæ et laborum, ut æque in utrumque caderent Prophetæ verba: *Defecit in dolore vita mea, et*

Dein Maria non tantum in salutem hominum hostiam comparavit, sed et illam custodivit et nutrivit, stato tempore immolandam, ipsa adstante et compatiente.

(1) Rom. XII, 5.
(2) Luc. II, 11,
(3) Ephes. V, 30.
(4) S. Aug., L. *de S. Virginitate*, c. 6.
(5) Coloss. I, 18,
(6) I. Joann. IV, 9.
(7) S. Bed. Ven., L. IV, in Luc. XI.

anni mei in gemitibus (1). Quum vero extremum Filii tempus advenit, *stabat juxta crucem Jesu Mater ejus,* non in immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod *Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quæ Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret* (2). — Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *promeruit* illa *ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret* (3), atque ideo universorum munerum dispensatrix quæ nobis Jesus necê et sanguine comparavit.

Equidem non diffitemur horum erogationem munerum privato proprioque jure esse Christi; siquidem et illa ejus unius morte nobis sunt parta, et Ipse pro potestate mediator Dei atque hominum est. Attamen, pro ea, quam diximus, dolorum atque ærumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustæ datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix* (4). Fons igitur Christus est, et *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (5); *ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis... augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate* (6). Maria vero, ut apte Bernardus notat, *aquæductus* est (7); aut etiam collum, per quod corpus cum capite jungitur itemque caput in corpus vim et virtutem exerit. *Nam ipsa est collum Capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori ejus mystico communicantur.* (8). Patet itaque abesse profecto plurimum ut nos Deiparæ supernaturalis gratiæ efficiendæ vim tribuamus, quæ Dei unius est. Ea tamen, quoniam universis sanctitate præstat conjunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanæ salutis opus, *de congruo,* ut aiunt, promeret nobis quæ Christus *de condigno* promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra. *Sedet* Ille *ad dexteram majestatis in excelsis* (9); Maria

Sic facta est hominum potentissima apud Filium mediatrix;

et quasi collum per quod Christo capiti jungimur et Christus in nos, membra ejus, virtutem exerit.

(1) Ps. XXX, 11.
(2) S. Bonav. I. Sent. d. 48. ad Litt. dub. 4.
(3) Eadmeri Mon. *De Excellentia Virg. Mariæ*, c. 9.
(4) Pius IX in Bull. « *Ineffabilis* ».
(5) Joann. I, 16.
(6) Ephes. IV, 16.
(7) Serm. de temp., in Nativ. B. V., *de Aquæducto*, n. 4.
(8) S. Bernardin. Sen., Quadrag. *de Evangelio æterno*, Serm. X, a. 3, c. 3.
(9) Hebr. I, 3.

vero adstat regina a dextris ejus, *tutissimum cunctorum periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente* (1).

His positis, ut ad propositum redeamus, cui Nos non jure recteque affirmasse videbimur, Mariam, quæ a Nazarethana domo ad *Calvariæ locum* assiduam se Jesu comitem dedit, ejusque arcana cordis ut nemo alius novit, ac thesauros promeritorum ejus materno veluti jure administrat, maximo certissimoque esse adjumento ad Christi notitiam atque amorem? Nimium scilicet hæc comprobantur ex dolenda eorum ratione, qui, aut dæmonis astu aut falsis opinionibus, adjutricem Virginem præterire se posse autumant! Miseri atque infelices, prætexunt se Mariam negligere, honorem ut Christo habeant: ignorant tamen non *inveniri puerum nisi cum Maria matre ejus.*

Quare ad Mariam recurrendum.

Quæ cum ita sint, huc Nos, Venerabiles Fratres, spectare primum volumus, quæ modo ubique apparantur sollemnia Mariæ sanctæ ab origine immaculatæ. Nullus equidem honor Mariæ optabilior, nullus jucundior quam ut noscamus rite et amemus Jesum. Sint igitur fidelium celebritates in templis, sint festi apparatus, sint lætitiæ civitatum; quæ res omnes non mediocres usus afferunt ad pietatem fovendam. Verumtamen nisi his voluntas animi accedat, formas habebimus, quæ speciem tantum offerant relligionis. Has Virgo quum videat, justa reprehensione Christi verbis in nos utetur: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me* (2).

Nihil autem Mariæ gratius quam ut noscamus rite et amemus Jesum. Idcirco honores Virgini deferendi non sint mere externi; sed cum sincero amore ergà Jesum ideoque cum fideli mandatorum ejus observantia conjuncti sint.

Nam ea demum est germana adversus Deiparentem relligio, quæ profluat animo; nihilque actio corporis habet æstimationis in hac re atque utilitatis, si sit ab actione animi sejugata. Quæ quidem actio eo unice pertineat necesse est, ut divini Mariæ Filii mandatis penitus obtemperemus. Nam si amor verus is tantum est, qui valeat ad voluntates jungendas; nostram plane atque Matris sanctissimæ parem esse voluntatem oportet, scilicet Domino Christo servire. Quæ enim Virgo prudentissima, ad Canæ nuptias,

(1) Pius IX in Bull. « *Ineffabilis* ».
(2) Matth. XV, 8.

ministris ajebat, eadem nobis loquitur: *Quodcumque dixerit vobis facite* (1). Verbum vero Christi est: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2). — Quapropter hoc quisque persuasum habeat: si pietas, quam in Virginem beatissimam quis profitetur, non eum a peccando retinet, vel pravos emendandi mores consilium non indit; fucatam esse pietatem ac fallacem, utpote quæ proprio nativoque careat fructu.

Quod ipso dogmate immaculati conceptus Deiparæ confirmatur:

Quæ si cui forte confirmatione egere videantur, hauriri ea commode potest ex ipso *dogmate* immaculati conceptus Deiparæ. — Nam, ut catholicam *traditionem* prætermittamus, quæ, æque ac Scripturæ sacræ, fons veritatis est; unde persuasio illa de immaculata Mariæ Virginis Conceptione visa est, quovis tempore, adeo cum christiano sensu congruere, ut fidelium animis insita atque innata haberi posset? *Horremus,* sic rei causam egregie explicavit Dionysius Carthusianus, *horremus enim mulierem, quæ caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam, atque diaboli filiam fuisse matrem Domini fateri* (3). Nequibat scilicet in christianæ plebis intelligentiam id cadere, quod Christi caro, sancta, impolluta atque innocens, in Virginis utero, de carne assumpta esset, cui, vel vestigio temporis, labes fuisset illata. Cur ita vero, nisi quod peccatum et Deus per infinitam oppositionem separantur? Hinc sane catholicæ ubique gentes persuasum habuere, Dei Filium, antequam, naturâ hominum assumptâ, *lavaret nos a peccatis nostris in sanguine suo,* debuisse, in primo instanti suæ conceptionis, singulari gratia ac privilegio, ab omni originalis culpæ labe præservare immunem Virginem Matrem. Quoniam igitur peccatum omne usque adeo horret Deus, ut futuram Filii sui Matrem non cujusvis modo maculæ voluerit expertem, quæ voluntate suscipitur; sed, munere singularissimo, intuitu meritorum Christi, illius etiam, qua omnes Adæ filii, mala veluti hæreditate, notamur: ecquis ambigat, primum hoc cuique officium proponi, qui Mariam obsequio, demereri aveat, ut vitiosas corruptasque consuetudines emendet, et quibus in vetitum nititur, domitas habeat cupiditates?

nam juxta christianum sensum, non potuit Deus, præ summo peccati horrore, permittere ut Filius suus Unigenitus carnem assumeret ex matre vel solius originalis culpæ labe maculata;

item qui obsequiis suis Mariæ placere avet, vitiosas consuetudines emen-

(1) Joann. II, 5.
(2) Matth. XIX, 17.
(3) 3. Sent. d. 3, q. 1.

Quod si præterea quis velit, velle autem nullus non debet, ut sua in Virginem relligio justa sit omnique ex parte absoluta; ulterius profecto opus est progredi, atque ad imitationem exempli ejus omni ope contendere. — Divina lex est ut, qui æternæ beatitatis potiri cupiunt, formam patientiæ et sanctitatis Christi, imitando, in se exprimant. *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (1). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur; providentis Dei numine, aliud nobis est exemplar propositum, quod, quum Christo sit proximum, quantum humanæ licet naturæ, tum aptius congruat cum exiguitate nostra. Ejusmodi autem nullum est præter Deiparam. *Talis enim fuit Maria,* ait ad rem sanctus Ambrosius, *ut ejus unius vita omnium sit disciplina.* Ex quo recte ab eodem conficitur: *Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vita Mariæ, de qua, velut speculo, refulget species castitatis et forma virtutis* (2).

dare et cupiditates domare debet.

Imo Virginis cultor perfectus ad imitationem exempli ejus omni ope contendat;

Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimæ nullam præterire laudem quin imitentur; illas tamen Ejusdem virtutes ipsos fideles assequi præ ceteris desideramus, quæ principes sunt ac veluti nervi atque artus christianæ sapientiæ: fidem inquimus, spem et caritatem in Deum atque homines. Quarum quidem virtutum fulgore etsi nulla, in Virgine, vitæ pars caruit; maxime tamen eo tempore enituit, quum nato emorienti adstitit. — Agitur in crucem Jesus, eique in maledictis objicitur *quia filium Dei se fecit* (3). Ast illa, divinitatem in eo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulchro infert, nec tamen dubitat revicturum. Caritas porro, qua in Deum flagrat, participem *passionum Christi* sociamque efficit; cumque eo, sui veluti doloris oblita, veniam interfectoribus precatur, quamvis hi obfirmate inclamant: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (4).

maxime autem imitetur ipsius fidem, spem et charitatem

Sed ne immaculati Virginis conceptus, qui Nobis caussa scribendi est, contemplationem deseruisse videamur, quam is magna atque propria importat adjumenta ad has ipsas

Ad illas virtutes rite colendas juvat

(1) Rom. VIII, 29.
(2) *De Virginib.*, l. 2, c. 2.
(3) Joann. XIX, 7.
(4) Matth. XXVII, 25.

multum immaculati Virginis conceptus fides et professio:

retinendas virtutes riteque colendas! — Et revera, quænam osores fidei initia ponunt tantos quoquoversus errores spargendi, quibus apud multos fides ipsa nutat? Negant nimirum hominem peccato lapsum suoque de gradu aliquando dejectum. Hinc originalem labem commentitiis rebus accensent, quæque inde evenerunt damna; corruptam videlicet originem humanæ gentis, universamque ex eo progeniem hominum vitiatam; atque adeo mortalibus invectum malum impositamque reparatoris necessitudinem. His autem positis, pronum est intelligere nullum amplius Christo esse locum, neque ecclesiæ, neque gratiæ, neque ordini cuipiam qui naturam prætergrediatur; uno verbo, tota fidei ædificatio penitus labefactatur. — Atqui credant gentes ac profiteantur Mariam Virginem, primo suæ conceptionis momento, omni labe fuisse immunem; jam etiam originalem noxam, hominum reparationem per Christum, evangelium, ecclesiam, ipsam denique perpetiendi legem admittant necesse est: quibus omnibus, *rationalismi* et *materialismi* quidquid est radicitus evellitur atque excutitur, manetque christianæ sapientiæ laus custodiendæ tuendæque veritatis. — Ad hæc, commune hoc fidei hostibus vitium est, nostra præsertim ætate, ad fidem eamdem facilius eradendam animis, ut auctoritatis Ecclesiæ, quin et cujusvis in hominibus potestatis, reverentiam et obedientiam abjiciant abjiciendamque inclament. Hinc *anarchismi* exordia; quo nihil rerum ordini, tum qui ex natura est tum qui supra naturam, infestius ac pestilentius. Jamvero hanc quoque pestem, publicæ pariter et christianæ rei funestissimam, immaculati Deiparæ conceptus delet dogma; quo nempe cogimur eam Ecclesiæ tribuere potestatem cui non voluntatem animi tantum, sed mentem etiam subjici necesse est: siquidem ex hujusmodi subjectione rationis christiana plebs Deiparam concinit: *Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te* (1). — Sic porro rursum conficitur Virgini augustæ hoc dari merito ab Ecclesia, *cunctas hæreses solam interemisse in universo mundo.*

eo ipso enim, contra osores fidei catholicæ, profitemur veritates fundamentales sanctæ religionis,

et, contra modernos omnem potestatem repudiantes, Ecclesiæ tribuimus auctoritatem cui non tantum voluntas sed et ratio hominis subjecta esse debet.

Ex ipsa fide erigitur spes, quam imma-

Quod si fides, ut inquit Apostolus, nihil est aliud nisi *sperandarum substantia rerum* (2); facile quisque dabit immacu-

(1) Grad. Miss. in festo Imm. Concept.
(2) Hebr. XI, 1.

culata Christi mater nobis redintegravit.

lata Virginis conceptione confirmari simul fidem, simul ad spem nos erigi. Eo sane vel magis quia Virgo ipsa expers primævæ labis fuit quod Christi mater futura erat; Christi autem mater fuit, ut nobis æternorum bonorum spes redintegraretur.

Tandem Immaculatæ Virginis contemplatio excitat ad præceptum Jesu, de charitate fraterna, sancte custodiendum; et exemplum Mariæ in cœlo. materne sollicita de hominum salute nos provocat ad orandum pro conversione fratrum nostrorum a vero aberrantium.

Jam ut caritatem in Deum tacitam nunc relinquamus, ecquis Immaculatæ Virginis contemplatione non excitetur ad præceptum illud sancte custodiendum, quod Jesus per antonomasiam suum dixit, scilicet ut diligamus invicem sicut ipse dilexit nos? — *Signum magnum*, sic apostolus Joannes demissum sibi divinitus visum enarrat, *signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim* (1). Nullus autem ignorat, mulierem illam, Virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra peperit. Sequitur porro Apostolus: *Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat* (2). Vidit igitur Joannes sanctissimam Dei Matrem æterna jam beatitate fruentem, et tamen ex arcano quodam partu laborantem. Quonam autem partu? Nostrûm plane, qui exilio adhuc detenti, ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parientis vero labor studium atque amorem indicat, quo Virgo, in cælesti sede, vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus expleatur.

Eamdem hanc caritatem ut omnes nitantur assequi quotquot ubique christiano nomine censentur vehementer optamus, occasione hac præsertim arrepta immaculati Deiparæ conceptus solemnius celebrandi. Quam modo acriter efferateque Christus impetitur atque ab eo condita religio sanctissima! quam idcirco præsens multis periculum injicitur, ne, gliscentibus erroribus ducti, a fide desciscant! *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat* (3). Simul vero prece et obsecratione humili utantur omnes ad Deum, conciliatrice Deipara, ut qui a vero aberraverint resipiscant. Experiendo quippe novimus ejusmodi precem, quæ caritate funditur et Virginis sanctæ imploratione fulcitur, irritam fuisse numquam. Equi-

(1) Apoc. XII, 1.
(2) Apoc. XII, 2.
(3) I. Cor. X, 12.

dem oppugnari Ecclesiam neque in posterum unquam cessabitur: *Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* (1). Sed nec Virgo ipsa cessabit nostris adesse rebus ut ut difficillimis, pugnamque prosequi jam inde a conceptu pugnatam, ut quotidie iterare liceat illud: *Hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui* (2).

Utque cælestium gratiarum munera, solito abundantius, nos juvent ad imitationem beatissimæ Virginis cum honoribus conjungendam, quos illi ampliores hunc totum annum tribuemus; atque ita propositum facilius assequamur instaurandi omnia in Christo: exemplo Decessorum usi quum Pontificatum inirent, indulgentiam extra ordinem, instar Jubilæi, orbi catholico impertiri decrevimus.

Promulgatur Jubilæum:

Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit; universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus vel ad eam advenientibus, qui unam e quatuor Basilicis patriarchalibus, a Dominica prima Quadragesimæ, nempe a die XXI februarii, usque ad diem II junii inclusive, qui erit solemnitas sanctissimi Corporis Christi, ter visitaverint; ibique per aliquod temporis spatium pro catholicæ Ecclesiæ atque hujus Apostolicæ Sedis libertate et exaltatione, pro extirpatione hæresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, juxtaque mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint; ac semel, intra præfatum tempus, esurialibus tantum cibis utentes jejunaverint, præter dies in quadragesimali indulto non comprehensos; et, peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum susceperint; ceteris vero ubicumque, extra prædictam Urbem degentibus, qui ecclesiam cathedralem, si sit eo loci, vel parochialem aut, si parochialis desit, principalem, supra dicto tempore vel per tres menses etiam non continuos, Ordinariorum arbitrio, pro fidelium commodo, præcise designandos, ante tamen diem VIII mensis decembris, ter visitaverint; aliaque recensita

ejus conditiones.

(1) I. Cor. XI, 19.
(2) Off. Imm. Conc. in II Vesp. ad *Magnif.*

opera devote peregerint: plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et impertimus; annuentes insuper ut ejusmodi indulgentia, semel tantum lucranda, animabus, quæ Deo caritate conjunctæ ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit et valeat.

Concedimus præterea ut navigantes atque iter agentes, quum primum ad sua domicilia se receperint, operibus supra notatis peractis, eamdem indulgentiam possint consequi.

Confessariis autem, actu approbatis a propriis Ordinariis, potestatem facimus ut prædicta opera, a Nobis injuncta, in alia pietatis opera commutare valeant in favorem Regularium utriusque sexus, nec non aliorum quorumcumque qui ea præstare nequiverint, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eamdem suscipiendam nondum fuerint admissi. Privilegia

Iusuper omnibus et singulis christifidelibus tam laicis quam ecclesiasticis sive sæcularibus sive regularibus cujusvis ordinis et instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem ut sibi, ad hunc effectum, eligere possint quemcumque presbyterum tam regularem quam sæcularem, ex actu approbatis, (qua facultate uti possint etiam moniales, novitiæ aliæque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius approbatus sit pro monialibus) qui eosdem vel easdem, infra dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes, cum animo præsens jubilæum assequendi, nec non reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiæ dumtaxat, ab excommunicationis, suspensionis aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicæ, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicæ *speciali licet modo* reservatis, nec non ab omnibus peccatis et excessibus etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicæ reservatis, injuncta prius pœnitentia salutari aliisque de jure injungendis, et, si de hæresi agatur, abjuratis antea et retractatis erroribus, prout de jure, absolvere; nec non vota quæcumque etiam jurata et Sedi Apostolicæ reservata (castitatis, relligionis, et obligationis, quæ a tertio acceptata fuerit, exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare et cum

pœnitentibus ejusmodi in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum et ad superiorum assequutionem, ob censurarum violationem dumtaxat, contracta, dispensare possit et valeat. — Non intendimus autem per præsentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occultā aut nota aliave incapacitate aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editæ a fel. rec. Benedicto XIV, quæ incipit « *Sacramentum pœnitentiæ* »; neque demum easdem præsentes litteras iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra prædictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse et debere.

Jubilæo durante permanent cæteræ indulgentiæ.

Ad hæc libet adjicere, velle Nos et concedere, integrum cuicumque, hoc etiam Jubilæi tempore, permanere privilegium lucrandi quasvis indulgentias, plenariis non exceptis, quæ a Nobis vel a Decessoribus Nostris concessæ fuerint.

Encyclicæ conclusio.

Finem vero, Venerabiles Fratres, scribendi facimus, spem magnam iterum testantes, qua plane ducimur, fore ut, ex hoc Jubilæi munere extraordinario, auspice Virgine Immaculata a Nobis concesso, quamplurimi, qui misere a Jesu Christo sejuncti sunt, ad eum revertantur, atque in christiano populo virtutum amor pietatisque ardor refloreat. Quinquaginta abhinc annos, quum Pius decessor beatissimam Christi Matrem ab origine labis nesciam fide catholica tenendam edixit, incredibilis, ut diximus, cælestium gratiarum copia effundi in hasce terras visa est; et, aucta in Virginem Deiparam spe, ad veterem populorum religionem magna ubique accessio est allata. Quidnam vero ampliora in posterum expectare prohibet? In funesta sane incidimus tempora; ut prophetæ verbis conqueri possimus jure: *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt* (1). Attamen, in hoc quasi malorum diluvio, iridis instar

(1) Os. IV, 1-2.

Virgo clementissima versatur ante oculos, faciendæ pacis Deum inter et homines quasi arbitra. *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram* (1). Sæviat licet procella et cælum atra nocte occupetur; nemo animi incertus esto. Mariæ adspectu placabitur Deus et parcet. *Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordaber fœderis sempiterni* (2). *Et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem* (3). Profecto si Mariæ, ut par est, confidimus, præsertim modo quum immaculatum ejus conceptum alacriore studio celebrabimus; nunc quoque illam sentiemus esse Virginem potentissimam, *quæ serpentis caput virgineo pede contrivit* (4).

Horum munerum auspicem, Venerabiles Fratres, vobis populisque vestris apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die II Februarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

(1) Gen. IX, 13.
(2) Ib. 16.
(3) Ib. 15.
(4) Off. Imm. Conc. B. M. V.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis

—

I

Explica Luc. III, 3-6.

II

Supposito demonstratum verum dari in posteris Adami peccatum originale (cf. Collat. Brug. T. II, p. 509) expone hoc peccatum recte definiri: *originalis justitiæ privatio, dependens a voluntario actu protoparentis, non inquantum fuit hæc persona singularis, sed inquantum erat fons et principium naturæ, aut cum supernaturali sanctitatis rectitudine propagandæ, si fidelis permansisset, aut cum illius privatione, si secus.*

III

Quænam est species theologica et moralis, seu quantitas et qualitas injuriæ?

IV

Occisio sui aut proximi esse potest vel directa vel indirecta. Explica.

V

An et cur licita est indirecta sui occisio?

VI

Le décret de 1809 est-il conciliable avec les articles de la Constitution belge relatifs à la liberté de l'Église?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii 1904 propositas.

—

I

Q. Explica proœmium Evangelii S. Lucæ c. I, 1-4.

R. *Prænota.* Solus inter auctores scriptorum N. T. S. Lucas tùm evangelio suo, tùm Actis Apostolorum proœmium præmisit, juxta morem apud scriptores coævos latinos ac græcos valde receptum (1). Evangelii proœmium, stylo vere classico (2) exaratum, unica periodo attica absolvitur, cujus protasin duo priores versiculi, apodosin duo ultimi enuntiant. In hac periodo præfatoria Lucas suscepti operis occasionem, methodum, dedicationem ac scopum paucis delineavit. Hæc præfatiuncula, omnium interpretum ac virorum criticorum judicio, permagni est momenti. Unde singulorum verborum sensum, inspecto præprimis textu primigenio, enucleare conabimur; quam interpretationem dein compendiose in paraphrasi proponemus.

I. **Explicatio textus.** v. 1 Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Vulg. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum.* — Ἐπειδήπερ: *quoniam quidem* (puisque): notat occasionem

(1) Frustrà tamen aliqui, inter quos Lagarde, conati sunt dependentiam ostendere proœmii evangelii S. Lucæ a proœmio operis auctoris græci, Dioscoridis. Cfr. Bebb apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, T. III (1900) p. 170.

(2) Duo Lucæ scripta stylum atticum et græcitatem classicam multo magis redolent quam reliqua N. T. scripta; non desunt tamen in utroque scripto locutiones et structuræ hebraicæ quæ in hoc proœmio penitus deficiunt. Cfr. Plummer, *A critical and exegetical commentary on the Gospel ac. to S. Luke*, Edinburgh, 1901, p. XLVII ss.

scribendi : conatus *multorum* Lucæ tacitæ exhortationi fuerint; illorum exemplum allegat ut consilium suum scribendi evangelium justificet. πολλοί: quinam illi *multi* intelligi debeant, certo dici nequit. Cogitanda non sunt evangelia apocrypha, quippe quæ absque dubio posterioris sunt ætatis ; præterea licet L. *multorum* scripta non magnis laudibus extollat, nullam tamen reprehensionis notam eis aperte affigit. Pleraque illa scripta, datâ auctoritate evangeliorum canonicorum, sensim sine sensu oblivioni data fuerint ac deperdita (1). Inter « multos » tamen omnino recensendus videtur evangelista S. Marcus. Etenim v. 2 perfecte in ipsum quadrat (2); præterea comparatio Mc. ac L. luculenter ostendit L. evangelium Mc. præ oculis habuisse et ab hujus textu immediate pendere (3). Utrùm autem L. evangelium Mt. (sive textum primigenium, sive textum græcum) cognoverit, ex hoc procœmio non liquet (4), neque convenit inter auctores (5) utrum ex interna Mt. ac L. comparatione, tertii evangelii a primo dependentia eluceat.

ἐπεχείρησαν : *conati sunt:* manum admoverunt, aggressi sunt. Hoc verbum nihil vituperii in illos *multos*

---

(1) Cùm tempore quo scripsit L. jam *multi* christiani aggressi essent doctrinam ipsis ab Apostolis et Christi discipulis prædicatam (v. 2) litteris consignare, liquido patet quanta diligentia statim ab initio cautum sit a christianis ne quid ex illa prædicatione periret aut oblivioni daretur. Cfr. Knabenbauer, *Comment. in evang. sec. Lucam*, Parisiis, 1896, p. 31.

(2) Fuit ipse *interpres Petri* apostoli, uti antiqui dixerunt.

(3) Cfr. inter alios : Lagrange, *Rev. Bibl.* 1895, p. 15 ss. — Calmes, *Comment se sont formés les Evang.* Paris, 1900. — Zahn, *Einleitung in das N. T.* Leipzig 1900, T. II, p. 395 ss.

(4) Frustrà Zahn (*o. c.*, p. 365 s. 403) probare aggreditur Lucam nullum præ manibus habuisse evangelium ab Apostolo vel immediato Christi discipulo exaratum. Hæc quæstio — quam hic intactam relinquimus — ex solo procœmio solvi nequit. Etenim L. exemplum *multorum* adducit, ut rationem reddat cur ipse, *cùm testis immediatus non sit*, scripserit tamen historiam evangelicam. Hunc autem in finem exemplum Matthæi *Apostoli* parum apte allegasset.

(5) Videsis auctores qui de *quæstione synoptica* ex professo agunt.

continet (1) quasi ausu temerario aut inani prorsus conatu opus aggressi fuerint: nam v. 3 L. diserte profitetur se idem, quod illi multi, sibi proposuisse consilium. Contextus tamen (v. 3) innuit L. illa scripta multorum tanquam scopo suo insufficientia habuisse.

ἀνατάξασθαι διήγησιν: componere, *ordinate* scribere *narrationem*. Unde opera illorum multorum non fragmentis dissolutis constabant, sed potius narratione continua, quin tamen inferre liceat singula illa scripta integram historiam evangelicam retulisse.

πραγμάτων i. e. capita factorum et dictorum Jesu Christi, uti patet ex v. 2 πεπληροφορημένων: hoc verbum plerique moderni intelligunt sensu: *quæ completæ sunt, ad exitum perductæ;* hoc sensu, aiunt, usurpatur de rebus (uti in casu), et de solis personis adhibetur sensu: plene demonstrare seu probare. Hunc tamen significatum « *rerum quæ plenissime apud nos demonstratæ sunt* » (2) antiqui interpretes græci magni nominis, ut Origenes et Theophylactus, necnon interpres Syrus fidenter amplexi sunt. Huic sententiæ favemus tum propter illorum auctoritatem, tum propter addita verba ἐν ἡμῖν, *in nobis* christianis sc. coævis Lucæ, uti patet ex v. 2, ubi ἡμῖν generationem christianam Lucæ coævam certò significat.

Jam vero *res* a multis narratæ proprie non fuerunt completæ et ad exitum perductæ (3) in generatione

---

(1) Uti Origenes *(Hom. I in Luc.)* et alii scriptores antiqui autumarunt. — Immerito B. Weiss (*Die Evangelien des Markus und Lukas*, Göttingen, 1901, p. 264) hac voce declaratam esse vult rei magnitudinem et difficultatem: hæc enim significatio verbo neque per se inest neque ex usu probatur.

(2) Unde etiam: *quæ fidem plenissimam apud nos obtinuerunt*. Cfr. Lagrange, *Rev. Bibl.* 1896, p. 21. — Liagre, *Comment. in S. Lucam*, Tornaci, 1889, p. 10. — Calmes, *o. c.*, p. 17. — Jülicher, *Einl. in das N. T.* Tübingen u. Leipzig, 1901, p. 261.

(3) Qui sensus si admittendus foret, nondum probaretur sententia a Zahn (*o. c.*, p. 368 ss.) eruditè proposita: tenet Zahn hoc proœmium scriptum fuisse uti præfationem non tantum ad evangelium, sed ad Actus Apostolorum et ad tertium quemdam librum probabilius nunquam exaratum, in quo gesta protoapostolorum et historia religionis christianæ usque ad tempus scripti proœmii narrata fuissent. V. v. 2; not. 5, p. seq.

ethnico-christiana Lucæ coæva, sed ipsi plenissime erat demonstrata (1).

Ex traditis jam abunde liquet L. hoc v. 1° nullo modo intendere fontes indicare e quibus evangelium desumpserit: scripta « multorum » profectò non neglexerit; verùm hìc unice *exemplo multorum* proprium scribendi consilium justificat.

V. 2. καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis.* Hic v. normam exhibet juxta quam « multi » narrationem suam ordinarunt. *Sicut* referri debet ad id quod in sententia præcedenti præcipuum est: *ordinare narrationem*, non ad vocem unam adjectam πεπληροφορημένων (2) — V. παραδιδόναι constanter et ubique in libris N. T. adhibetur de traditione orali (3): « *multi* » ergo materiam narrationis hauserunt ex traditione orali, et quidem maximæ auctoritatis, nam eam directe tenebant ab illis qui *ab initio* (sc. vitæ publicæ et prædicationis Christi) *testes oculati* (αὐτόπται) fuerant (sc. *rerum* v. 1) *et ministri sermonis* i. e. præcones verbi Dei seu evangelii (4). Dicendo « *nobis* » L. se « multis » ac toti christiano cœtui cœvo adjungit; ipse etiam traditionem a testibus vitæ Christi et evangelii præconibus recepit (5), qui

---

(1) Cfr. Cornely. *Introd. in U. T. libros sacros*, Parisiis, Vol. III (1886) p. 146 — Lagrange, *Rev. Bibl.* 1895, p. 21.

(2) Uti Theophyl. Caj. Jansen. Maldon. Liagre etc., etc. putarunt. Cfr. Cornely, *o. c.*, p. 32.

(3) Cfr. *Rom.* VI, 17; *I Cor.* XI, 2, 23; XV, 3; *II Pet.* II, 21; *Jud.* 3 — coll. *Mt.* XV, 2, 3, 6; *Mc.* VII, 3 s.; *I Cor.* XI, 2; *Gal.* I, 4; *Col.* II, 8; *II Thes.* II, 15; III, 6.

(4) Cfr. *Act. Ap.* VIII, 4; XIV, 24.

(5) Ex hoc v. improbabilis apparet sententia Zahn (*o. c.*, p. 368) suprà (p. 140) allegata: proœmium in mente L. introducit solum Evang. non Act. Apost. quorum *testis* fuit L.-saltem pro parte notabili. In illa hypothesi parum apte scripsisset: *sicut tradiderunt nobis.* Præterea v. 3 « *visum est et mihi* » ostendit L. exemplo *multorum* allegato, se unice de historia evangelica cogitasse: diserte profitetur se idem quod ipsis, sibi proposuisse consilium.

tanquam *testes* erant idonei, et tanquam *ministri sermonis* authentice deputati ut certissimum de evangelio proponerent testimonium. Cogitandi sunt imprimis Apostoli (Act. Ap. I, 2) quibus merito accensentur (1) discipuli quos ipse Christus jam binos ante faciem suam miserat (L. X, 1 ss.), et quorum etiam forsan mentio fit Act. VIII, 4: *qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei* (2).

V. 3. ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε: *visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Hic v. rationes, causas motivas exponit cur L. scripserit, operisque dedicationem perhibet. Prior ratio movens est exemplum « *multorum* » quibus L. particula καὶ se accenset: *quandoquidem* « *multi* » *conati sunt ordinare narrationem... ità et mihi visum est scribere...* Sed statim alias rationes impulsivas (quasi argumento a fortiori summarie contractas) adjungit (3) quibus probet se idem opus jam potiori jure ac perfectiori modo aggredi posse. Res scribendas enim investigavit ac mente (4) persecutus est (παρακολουθεῖν) a/ omnes (πᾶσιν sc. πράγμασι v. 1), b/ accurate (5), c/ ἄνωθεν, a primordiis seu prima (earum rerum) origine (6). Hac autem comprehensiva ac diligenti investigatione facta, jam poterit d/ *scribere ex ordine* h. e. *scribere* narrationem continuam *juxta ordinem* (7) scopo

(1) Cfr. Knabenbauer, *o. c.*, p. 33.

(2) Cfr. *Act. Ap.* XI, 19; XXI, 8.

(3) Vide Plummer, *o. c.*, p. 4 s.

(4) Cfr. Grimm, *Lexicon græco-latinum in libros N. T.* Lipsiæ 1903, p. 337.

(5) Quam accurationem seu diligentiam apud L. omnes laudant: ex 170 partibus quibus narratio synoptica constat, 48 ipsi sunt exclusive propriæ.

(6) i. e., uti ex evangelio colligitur a promissione et nativitate præcursoris.

(7) Adeoque ex historia evangelica non tantum fragmenta quædam sibi parum cohærentia tradet. — Cùm agatur de factis historicis obvio

adaptatum. Innuere videtur L. nullum ex « multis » ea omnia simul præstitisse; imo, quin eos reprehendat, quasdam tamen imperfectiones vel omissiones in eorum scripta irrepsisse significat (1).

Notare juvat v. « *visum est et mihi* » scripti inspirationem neque asserere neque negare (2), neque opus esse ut L. inspirationis gratiæ sibi conscius fuerit. Id autem excludi dictione illa videtur, eum Paulo vel alio homine hortatore ad scribendum accessisse (3).

Optime Theophile. Epitheton κράτιστε tribui solet viro insigniori, munere publico fungenti (fortissime); usurpatur pariter ad amicum compellandum *(optime)*. Titulum autem priori sensu adhiberi, adeoque Theophilum virum fuisse altioris conditionis (4), haud immeritò ex

---

quidem sensu intelligitur ordo chronologicus, quo modo adv. καθεξῆς apud L. (VIII, 1 *Act. Ap.* III, 24; XI, 4) adhibetur; verùm cùm in quibusdam ordinem chronologicum L. in evangelio non fuerit secutus, hìc *ex ordine* intelligimus de ordinata, continua narratione. Cfr. Belser, *Einleitung in das N. T.* Friburgi i. B. 1901, p. 135 s. — Calmes, *o. c.*, p. 40. — Fillion, *Evang. selon S. Luc*, Paris 1882, p. 29.

(1) Ad rem notat Calmes, *o. c.*, p. 38. « De ces griefs (lacunes et inexactitudes dans le fond, manque d'ordre et de suite dans la forme) le second seul (inexactitudes) ne peut pas s'appliquer à un écrit inspiré. Mais il n'est pas nécessaire que chacun des défauts se trouve dans chacun des écrivains que Saint Luc désigne sous le nom de « multi » (πολλοί). Par conséquent, en admettant que l'évangile de Saint Marc et même celui de Saint Matthieu soient compris parmi les *nombreux* auteurs dont parle Saint Luc, on ne leur attribue pas nécessairement un caractère d'infidélité et d'inexactitude incompatible avec l'inspiration ».

(2) Hoc contra Jülicher (*o. c.*, p. 260) statuimus. Probe animadvertendum est ordinem supernaturalem non destruere ordinem naturæ, sed inspirationis gratiam se naturæ auctoris sacri accomodare, Deum inspirantem instrumentum assumere posse penitus præparatum, divinumque auxilium nullatenus causæ instrumentalis industriam e medio tollere. Cfr. Billot, *De Inspir. S. Script.*, Romæ, 1903, p. 42, et *Coll. Brugen.*, 1903, p. 142 s.

(3) Plane vo 3o consonant hæc verba *Fragmenti Muratoriani;* « Lucas iste medicus... nomine suo ex opinione conscripsit — Dominum tamen nec ipse vidit in carne — et idem prout assequi potuit, ita et a nativitate Joannis incœpit dicere ».

(4) Jure meritò jam penitus derelicta videtur opinio illorum qui librum ad unumquemque christianum ad « eum quem diligit Deus », non autem primariò ad determinatam personam scriptum existimarunt.

eo conjeceris quod L. hac appellatione Felicem ac Festum, procuratores romanos condecoraverit (1). Theophilus, licet erga christianam religionem optime dispositus fuerit (v. 4), ei tamen nondum nomen dederit: secus enim L. eum titulo quodam christiano « fratris » e. g. appellasset (2).

Neque ex eo quod L., classicorum morem auctorum secutus, opus suum uni personæ dedicaverit, sequitur pro hac sola eum illud scripsisse, cùm potius omnium christianorum instructioni ac commodis prospicere voluerit. Eo autem consilio Theophilo (3), viro honorato atque spectatissimo, dicaverit evangelium ut, ejus nomine atque auctoritate commendatum, quam latissime diffunderetur.

V. 4. ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν: *ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* — *Scopus* igitur L. fuit ut Theophilus (4) perfectius *cognoscat* (ἐπι-γνῷς) securitatem i. e. certitudinem inconcussam (5) *verborum* (fidei seu evangelii) *de quibus* viva voce (6) et imperfecte *eruditus* i. e. institutus fuerat.

II. **Paraphrasis.** 1 Quandoquidem multi aggressi sunt componere narrationem illarum, quæ plenissime apud nos (christianos) demonstratæ sunt, rerum (i. e. factorum et dictorum Christi), 2 quemadmodum (oretenus) tradiderunt nobis (illi) qui ab initio (vitæ publicæ ac prædicationis Christi) testes oculati fuerunt et præcones evangelii; 3 ità et mihi, utpote qui omnes (illas res) ab

---

(1) Cfr. *Act. Ap.* XXIII, 26; XXVI, 25 coll. XXIV, 3. Vide tamen I, 1.

(2) Cfr. Zahn, *o. c.*, p. 385, n. 3, coll. 337, n. 5.

(3) Quisnam fuerit ille Theophilus cum certitudine dici nequit. Cfr. Knabenbauer, *o. c.*, p. 38 s. — Weiss, *o. c.*, p. 260 s. E modo autem quo L. loca Palæstinæ memorat, apparet illum e Judæa non fuisse oriundum. Cfr. Trenkle, *Einleitung in das N. T.* Freiburg i. B. 1897, p. 119 s.

(4) Et reliqui christiani; (v. suprà).

(5) V. τὴν ἀσφάλειαν ad emphasim in fine periodi posita fuerint.

(6) κατηχέω apud S. Lucam et S. Paulum significat: *viva voce docere. Act. Ap.* XVIII, 25; XXI, 21, 24 adhibetur de instructione imperfecta.

(earum) primordiis accurate investigavi ac persecutus sum, id consilii mihi proposui, ut historiam ordinate conscriptam tibi destinarem, optime Theophile, 4 quo accuratius perspiceres inconcussam certitudinem evangelii quod viva voce tantùm edoctus fuisti.

A. C.

II

Q. *Præmissa notione causæ exemplaris expone quænam fuerit causa exemplaris mundi.*

R. I. 1. Causa exemplaris definitur: *Forma mente concepta ad cujus imitationem aliquid fit ex intentione agentis determinantis sibi finem* (1). Dicitur: *forma mente concepta ad cujus imitationem aliquid fit.* Forma generice sumpta dicit actum quemlibet specificativum alicujus entis, seu principium quodlibet determinans aliquod esse vel aliquem modum essendi. Hic agitur, non de forma *physica* constituente aliquid in determinato gradu essendi et proinde ipsi rei constitutæ *intrinseca* (2), sed de forma *intentionali*, quæ nempe mente concipitur ab operante et dirigit ipsum in operatione ita ut res producta sit *imitatio* formæ mente conceptæ: hæc proinde forma est intrinseca operanti, sed extrinseca rei productæ secundum ipsam (3).

Dicitur: *ex intentione agentis*, ut indicetur similitudinem rei productæ cum forma provenire debere *per se*,

---

(1) Cf. S. Thomas, *De Veritate*, Q. III, a. 1; Liberatore, *Institutiones philosophicæ*, Prati, 1883, T. I, p. 403; Schiffini, *Institutiones philosophicæ in compendium*, Augustæ Taurinorum, 1893, p. 225, n. 376; Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1885, T. I, p. 365; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, p. 219, n. 286.

(2) Anima rationalis est forma physica, intrinseca, substantialis hominis.

(3) Exemplar potest esse aliquid existens *extra* artificem, sed nequit esse *causa exemplaris* nisi fiat artifici *internum cognitione* et ut cognitum dirigat artificem.

scilicet ex ipsa cognitione et volitione agentis, et non *per accidens* seu præter ipsius intentionem.

Dicitur: *determinantis sibi finem*, ut indicetur hîc sermonem esse de agente per intellectum et formaliter qua tali agente.

Causæ exemplaris essentia invenitur in *idea*, si sumitur hoc vocabulum sensu omnino proprio et stricto. Etenim *idea*, sensu *lato*, significat *quamlibet* intentionalem imaginem objecti expressam in mente (1). Sed intentionalis imago, quæ dicitur etiam intentio intellecta, haberi potest dupliciter: uno modo, tamquam terminus *simplicis cognitionis*, et tunc vocatur *ratio;* altero modo, tamquam *principium factionis,* id est, tamquam forma intellecta ad cujus similitudinem artifex per intellectum operans efficit artificiatum, et tunc vocatur *idea*. Patet igitur quod in *idea*, hoc sensu proprio et stricto sumpta, invenitur ratio causæ exemplaris (2).

2. Inde concludes ideam, sensu stricto sumptam, pertinere ad cognitionem *practicam*. Cognitio practica est cognitio rei *operabilis* in quantum hujusmodi. Cognitio est *simpliciter* practica quando *actu* ordinatur ad operationem; est *secundum quid* practica quando, licet objectum ejus sit res operabilis, tamen *non actu* ordinatur ad operationem. Ita v. gr. si quis considerat domum definiendo, distinguendo varias partes, considerando universalia prædicata ipsius, tunc habet cognitionem *secundum quid practicam*, et consequenter secundum quid speculativam (3). Si quis vero considerat domum et omnia particularia requisita ut ædificetur

---

(1) Cf. De Jaegher, op. c. n. 7.

(2) Cf. Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, Thes. XXIV, p. 220; De Jaegher, op. c. n. 184.

(3) Cognitioni practicæ opponitur cognitio *speculativa:* est *simpliciter* speculativa, quando est de re non operabili a subjecto cognoscente: talis est scientia hominis de rebus naturalibus et divinis; est *secundum quid* speculativa quando cognitio est de re operabili a subjecto cognoscente sed tamen ab ipso non actu ordinatur ad operationem. Cf. S. Thomas, op. c. l. c. a. 3; Summa theologica, I, Q. XIV, a. 16; Q. XV, a. 3.

hæc domus et hanc cognitionem actu ordinat ad operationem, tunc habet cognitionem *simpliciter* practicam.

Quum autem *idea,* sensu proprio et stricto sumpta, sit forma rei operabilis in quantum hujusmodi, patet illam pertinere ad scientiam practicam: ad scientiam *simpliciter* practicam quando actu ordinatur ad operationem, ad scientiam *secundum quid* practicam quando non actu ordinatur ad operationem (1).

3. *Idea* est *vera causa.*

Illud est vera causa quod influit esse in aliud; atqui idea influit esse in aliud; ergo idea est vera causa.

Prob. min. Agens per intellectum, quando aliquid efficit, *determinatum* effectum producit; sed ut effectus procedat certus et determinatus requiritur ut in ipso agente sit principium hujus determinationis seu *specificationis:* requiritur nempe ratio cur agens *hoc potius quam aliud* agat. Atqui in *agentibus per intellectum* actio non est ad unum determinata ex ipsa natura agentis, ergo debet ad unum præ alio determinari per aliquod naturæ superadditum, nempe per formam rei faciendæ mente artificis conceptam: quæ forma dirigit artificem in operando. Vere igitur idea, mediante utique agente quod dirigit, influit esse in aliud (2).

Quum autem idea agat per modum principii *specificantis*, ideo causalitas ejus reducitur ad causalitatem formæ. « Ut enim quod actuat et specificat intrinsece est vera causa formalis intrinseca, sic quod extrinsece actuat et specificat habet veram rationem causæ formalis extrinsecæ » (3).

Nota. Ut ex prædictis patet, idea non est actu causa exemplaris nisi adjuncta voluntate artificis, volentis nempe operari secundum formam mente conceptam et de facto operantis secundum illam.

---

(1) Nec confundenda *scientia subjective* sumpta cum *idea:* scientia subjective sumpta est ipse actus sciendi; idea est *terminus* conceptus.

(2) Cf. De Jaegher, op. c. n. 286; Remer, op. c. p. 366.

(3) Remer, op. c. p. 367.

II. *Causa exemplaris mundi est divina essentia:* **fundamentaliter** et **remote** *est hæc essentia ut* **natura** *est;* **formaliter** vero et **proxime** est *hæc essentia quatenus ab ipso Deo cognita ut* **imitabilis ad extra.**

Supponimus admissum Deum esse per creationem causam *efficientem* mundi et esse agens per intellectum, proinde liberum (1).

Jamvero, uti supra diximus, in agente per intellectum effectus et actio nequeunt determinari nisi in quantum illud agens formam habeat mente conceptam ad cujus imitationem operetur. Ergo hoc etiam in Deo ponendum est.

Hæc autem forma seu idea nequit in Deo provenire a rebus: primo, quia, ex hypothesi, nihil præter Deum existebat ante creationem mundi; secundo, quia Deus non solum in essendo sed etiam in cognoscendo est prorsus independens a rebus. Oportet igitur ut *essentia divina* sit exemplar rerum creandarum.

Porro essentia divina quà *natura* est, h. e. quà est Esse subsistens et proinde infinitum in perfectione, *eminenter*, (et non nisi eminenter), continet quidquid perfectionis esse potest in creaturis (2): secundum hoc essentia divina est *fundamentaliter* et *remote* exemplar omnium rerum possibilium. Sed essentia divina subest divino intellectui, proinde intelligibiliter repræsentat omnes possibiles terminos imitabilitatis sui ipsius, secundum proprias etiam formas singulorum: quo fit ut, non eminenter tantum, sed omnino *formaliter* sint in mente divina formæ intellectæ omnium creaturarum (3) seu *ideæ:* ideo essentia divina ut cognita tamquam imitabilis ad extra est *formaliter* et *proxime* causa exemplaris mundi.

Nota. Uti supra monuimus, idea non est actu causa

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XIX, aa. 3 et 4; Ill^{s} ac Rev^{s} Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.* T. VI, p. 227 et s. et p. 337 et s.

(2) Cf. *Collat. Brug.* T. VII, p. 514 et p. 582.

(3) Cf. Billot, op. c. l. c.; Mazzella, *De Deo Creante*, Romæ, 1892, n. 118.

exemplaris nisi in quantum adjunctam habeat voluntatem artificis et actionem ejus qua operatur actu ad imitationem formæ mente conceptæ: inde essentia divina est *actu causa* exemplaris omnium quæ in quacumque temporis differentia existunt; est autem causa tantum in potentia respectu mere possibilium: sed tum mere possibilium, tum existentium sunt eadem ratione ideæ in mente divina.

Inde etiam: omnium actu existentium extra Deum habet Deus scientiam *simpliciter practicam;* omnium mere possibilium habet Deus scientiam *secundum quid practicam;* ipsius vero essentiæ divinæ habet Deus scientiam mere *speculativam* (1).

J. V. D. M.

III

Q. Caius, hæres ab intestato, promittit Petro testatori se solutum legata, etiamsi testamentum irritetur.

An et quare ista promissione obligatur Caius?

R. **Prænota.**

Non intendimus loqui de legatis ad causas pias, nam etiamsi testamentum, in quo hujusmodi legata sunt inscripta, formis lege civili præscriptis sit destitutum, hæres in conscientia tenetur illa solvere, abstrahendo etiam a promissione quæ forte adsit, dummodo certo constet de voluntate testatoris, sive per scripturam authenticam, sive per verba ab ipso prolata, sive per duos vel tres testes fide dignos (2).

---

(1) Scientiæ divinæ objectum primarium est ipsa divina essentia quam Deus *comprehendit* h. e. cognoscit quantum est cognoscibilis: en objectum scientiæ *speculativæ;* sed in hac divina essentia *cognita,* tamquam in medio objectivo, cognoscit Deus omnia possibilia: hæc sunt objectum secundarium divinæ scientiæ et quia hæc sunt operabilia ideo sunt objectum scientiæ *practicæ,* sive secundum quid, sive simpliciter secundum ea quæ supra exposuimus.

(2) Cfr. *Coll. Brug.,* T. VII, (1902), pag. 149 ss.

Respondetur.

Si Petrus testator ob hanc promissionem abstinet a legali testamento condendo, vel ab inscribendo tali legato, in foro conscientiæ obligatur Caius ad legata solvenda. Si non ideo abstinuit testator, sed tantummodo voluit se contra statuta legis præmunire, non tenetur Caius certa obligatione justitiæ. Teneretur tamen ex justitia ratione hæreditatis acceptæ, si sciret istud legatum esse solutionem debiti vel restitutionem.

Explicatur responsum.

1° Adest obligatio in conscientia solvendi legata, si Petrus ob hanc promissionem abstinuit a legali testamento condendo vel ab inscribendo tali legato.

De tali promissione agentes, jurisperiti maxime inter se dissentiunt. Alii docent illum qui per promissionem impedivit confectionem testamenti, teneri ad indemnem servandum legatarium, juxta principium æquitatis, sancitum art. 1382 C. c., ex quo omne factum nocivum obligat eum, cujus culpa accidit, ad damni reparationem ; alii e contra, strictam obligationem adesse negant, quia, ut aiunt, testator scit, aut scire præsumitur illam promissionem nullam vim habere coram lege, nec proinde potuit per eam removeri a legali testamento condendo. (1)

Attamen Caium in foro interno ad solvenda legata teneri existimamus. (2) Etenim vel faciendo promissionem intendebat eam non implere, vel postea propositum mutavit. In primo casu, fraudem adhibuit erga testatorem, et via injusta alterum impedivit a bono conse-

---

(1) Cfr. Carrière, *De Contractibus* II, p. 192.

(2) Ita Carrière, *o. c.*, n° 605, ex *Collat. Andegav.* — Cfr. etiam Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, T. I, (Brugis 1885), p. 414. — Marres, *De Justitia*, T. I, (Ruræmundæ 1889), pag. 200-2°. — Génicot, *Instit. Theol. Mor.*, T. I, (Lovanii 1896), pag. 702, n. 5°. — Gury, *Compendium Theol. Mor.*, T. I (Lugduni 1874) p. 404. — Van Egeren, *Notationes*, fascic. 2, *De successione hæreditaria*, n. 67. — Idem tradunt Marc, Crolly, etc.

quendo, tenetur ergo ad restitutionem. Optime De Lugo: « Qui per vim, inquit, vel fraudem moribundum impediunt a testamento condendo.... vel ne revocet prius testamentum... procul dubio injuriam inferunt testatori, et iis qui ex testamento lucrari aliquid possent. Ratio autem est, quia licet (legatarius) non habeat jus absolutum ad legatum illud, habet tamen jus conditionatum habendi illud si testator voluerit, et habet jus absolutum ne per fraudem aut vim ei impediatur potentia et spes quam habet » (1). Si vero sincere promisit Caius, propositum postea mutando, verum damnum inferret ei qui legatarius alioquin institutus fuisset, ideoque etiam in hoc casu ad damna reparanda teneretur.

2° Si non ob hanc promissionem abstinuit testator, non tenetur Caius certa obligatione justitiæ.

Nam vel Petrus, testamentum condere nolens, aut omittens inscribere legata, tantum promissionem de legatis quærit, quo in casu solum obligatur Caius ex fidelitate, qua tenemur facta nostra conformare promissis (2); vel conficit testamentum legata continens, sed formis a lege civili requisitis destitutum, et neque tunc adest certa obligatio justitiæ. Testamentum enim informe, quamvis a. 1001 C. c. prohibeatur sub pœna nullitatis, ut *actus inexistens solo jure positivo* est habendus (3), et in hoc generatim consentiunt jurisperiti. (4) Quoad valorem autem in conscientia talis actus magna viget controversia inter auctores. (5) Quum vero probabilis, imo intrinsece probabilior sit sententia, quæ

(1) *De Justitia et Jure*, Disput. XVIII, n° 91.

(2) Posset tamen sese obligare ex justitia; indaganda est voluntas promittentis, de qua si non constet, standum est pro mera obligatione fidelitatis. De obligatione promissionis cfr. *Coll. Brug.*, T. II (1897) p. 130.

(3) Quoad actus nullos et actus inexistentes cfr. notiones supra expositæ pag. 34 sqq.

(4) Cfr. Thiry, *Cours de droit civil*, Liège 1893, T. II, p. 419.

(5) Tota hæc controversia compendiose exponitur supra p. 34 sqq.

docet actus inexistentes ex solo jure positivo, nullam sive in foro externo, sive in foro interno parere obligationem etiam ante sententiam judicis, manifestum est, in praxi Caio promissionis adimpletionem sub obligatione justitiæ non esse imponendam. (1)

3° Teneretur tamen ex justitia ratione hæreditatis acceptæ, si sciret istud legatum esse solutionem debiti vel restitutionem. Principium enim generale est (art. 724) hæredes successionem acceptantes succedere in omnia jura et onera defuncti, quia illius personam repræsentant. Quemadmodum igitur testator ex justitia tenebatur ad solvenda debita, atque ad reparanda damna injuste illata, ita et Caius ratione hæreditatis acceptæ, eadem obligatione justitiæ tenetur tum ad debiti solutionem, tum ad restitutionem.

A. D. C.

IV

Q. *Titius hæres invenit schedulam a defuncto conscriptam, continentem quædam legata pia; dubitat vero utrum illa schedula ultimam testatoris voluntatem contineat, vel quia forte merum propositum indicat, vel quia forte fuit revocata.*

An Titio imponenda est obligatio solvendi legata?

R. Si, salvo sigillo, recursus pateat ad Ordinarium, ipsi causa exponenda est, atque standum illius judicio.

Si necesse sit in foro interno rem dirimi, distinguendum est: vel agitur de dubio negativo seu levi, quo in casu exsecutioni mandanda est testatoris voluntas, de qua satis constat; vel occurrit dubium positivum (seu propter rationem gravem), et Titio obligatio legatum solvendi imponi nequit.

---

(1) Addit Van Egeren. *l. c.*, « quodsi promissio ista juramento esset firmata, multi dicunt eam sub gravi servandam esse, non quidem ex justitia, sed ex religione, nisi juramenti vinculum a competente Auctoritate spirituali relaxetur ».

Explicatur.

I. Piarum dispositionum cura incumbit Ordinario juxta Concilium Tridentinum sess. XXV, c. 8 de ref.: « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint exsecutores.... ac omnia quæ ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum canonum statuta cognoscant et exsequantur ».

Quandocumque igitur obscura, incerta, dubia est testatoris dispositio, nisi sigillum obstet, exponatur causa Ordinario, cum ipsi competat potestas judicandi secundum Ecclesiæ leges, de controversiis et litibus circa firmitatem, interpretationem aut exsecutionem testamenti vel legati pii obortis. (1)

II. Fieri vero potest, ut impossibilis sit recursus ad Ordinarium, puta quia sigillum sacramentale postulat ut confessarius ipse solvat dubium, vel quia hæres non vult ut causa ad Episcopum deferatur; tunc confessarius in foro interno rem dirimat, diligenter inquirendo utrum moraliter certo constet, necne, de testatoris voluntate.

1° Tenetur Titius obligatione legatum solvendi, si de *dubio negativo* (nempe in levi ratione fundato) agitur, v. gr: quando ipsi schedulæ termini, minime dubii aut obscuri, et subscriptum testatoris nomen aperte defuncti voluntatem significant, sed nihilominus dubitat Titius, num hujusmodi voluntas fuerit plene deliberata, et irrevocata, quia *fieri potuit,* ut defunctus tantum voluerit conscribere quæ aliquando facere sibi proponebat, vel non perseveraverit in ista voluntate usque ad mortem. Meram autem possibilitatem simplicis desiderii aut revocationis ex parte testatoris, absque ullo hujusmodi facti indicio, nullatenus impe-

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia.* (Brugis 1885) T. I, nº 592.

dire, quominus moraliter certa sit defuncti voluntas, nemo non videt. Dubio itaque neglecto, hæc voluntas testatoris exsecutioni est mandanda.

2° Contingere autem potest, ut *positive,* seu propter rationem gravem dubitet Titius de voluntate defuncti, ex. gr.: si ipsi termini schedulæ sint dubii, uti, « *habeant pauperes me defuncto talem summam* », et, « *pro ecclesia mea parochiali post mortem mille franci* » quin ipsa summa schedulæ addita sit; item « *destino domum meam tali causæ piæ etc.* » aut si schedulæ auctoris nomen non sit subscriptum. In his casibus, nempe quando non certo constat de testatoris voluntate, non adest certa obligatio illi obtemperandi, ideoque nequit cogi Titius ad solvenda legata. (1)

Attamen sedulo semper investiganda et ponderanda sunt omnia rei adjuncta, quæ interdum ad dubii solutionem maxime conferunt. Quodsi tandem morali certitudine constaret de voluntate defuncti, hæc certo certius hæredi exsequenda foret, v. gr: si testes fide digni testentur defunctum tali modo disponere voluisse, aut si dubia illa schedula, subscripta aut non subscripta, ipsam tradendam pecuniæ summam involvat, dubitari non amplius liceret utrum defunctus habuerit merum propositum vel desiderium, an vero voluntatem condendi testamentum et subveniendi causis piis.

Nota.

a) Quandoque, licet nullum sit dubium de voluntate testatoris, propter animarum salutem expedire videtur ut testamentum ad pias causas commutetur. Quum vero Summo Pontifici reservetur plena de piis actibus disponendi potestas (2), res ad ipsum necessario est

---

1 Ita fere ad verum Marres, *De Justitia,* (Ruræmundæ 1889) T. I, p. 163. — Cfr. Van der Burgt, *De Ecclesiis,* n° 324.

2 Cfr. Clem. 2. *De religiosis domibus* (III. 11), ubi Glossa v. « Sedis Apostolicæ » notat per hanc litteram solum Papam posse alterare usum eorum quæ per fideles donata sunt. — Cfr. Santi, *Prælect. Jur. Can.,* lib. III, p. 246.

deferenda, quod facilius et certius fit per Episcopum, nisi sigillum sacramentale obstet.

b/ Nostris temporibus, ut notat Ill^s ac Rev^s Waffelaert (1), non nimis fidendum est firmitati donationum præsertim in pia opera vel in salutem animarum, quæ fiant per testamentum. Magis secura ac tuta est donatio inter vivos, adhibitis cautelis, et præcipue donatio mere manualis.

c/ Cum multi fideles hodiedum sibi persuadeant etiam testamenta ad pias causas corruere, quando aut solemnitate juris civilis sint destituta, aut a judice civili sint rescissa, et proinde bona fide illa exsequi recusent, confessarius applicet principia de monendis pœnitentibus in bona fide versantibus, et si nullus fructus speretur, potius a monitione abstineat, ne quæ bona fide possident, postea mala fide retineant. (2)

A. D. C.

V

Q. *Quomodo sub jure nostro definitur venditio? Breviter explica responsum.*

R. Venditio sub jure nostro definitur *contractus, quo quis transfert ad alterum alicujus rei dominium pro determinato pretio, ad quod solvendum alter se obligat.*

Cfr. C. c., a. 1562-1563.

Explicatur.

Præstat quædam adnotare de natura contractus venditionis, de merce tradenda, ac de pretio solvendo.

1° Quum, ut satis manifestum est, omnia elementa ad contractum requisita (3) adsint, venditio merito dicitur *contractus.*

---

(1) *o. c.*, nn. 559, 581.
(2) Cfr. Marres, *o. c.*, T. I, pag. 162-V.
(3) Cfr. supra pag. 23 sqq.

Est vero

contractus onerosus (1), nam intenditur mutua contrahentium utilitas. Utraque pars ex eo aliquod commodum reportat, sed sub quodam onere: venditor sub onere transferendi rei dominium, emptor solvendi pretium.

perfecte synallagmaticus (bilateralis), paritur enim obligatio, in utroque contrahente æque præcipua, ac immediate ex ipso contractu ortum ducens.

generatim commutativus, quia ordinarie venditor tenetur ad mercem determinatam tradendam, quæ censetur æquivalens pretio ab emptore solvendo. Quandoque tamen est contractus *aleatorius*, puta si vendatur jus ad rem incertam, v. gr. ad fructus qui nondum existunt.

non solemnis, nam nulla specialis forma in jure præscribitur, sed partes ad contrahendum habiles possunt inire hunc contractum vel actu authentico, vel per scriptum privatum (a. 1582), vel etiam per mera verba; immo neque ad probationem requiritur scriptum, nam « en dessous de 150 francs, la vente pourrait se prouver par témoins, et au dessus de cette somme par les modes de preuve, autres que la preuve testimoniale, par ex. par aveu, serment; en un mot elle est soumise, quant à la preuve, aux règles ordinaires » (2).

Attamen, juxta legem 16 Dec. 1851, venditio immobilium non producit totum suum effectum, nisi fiat vel in forma authentica, vel « par un acte sous seing privé, reconnu en justice ou par devant notaire » (3).

consensualis, etenim solo consensu perficitur, et ge-

---

(1) Quoad varias distinctiones contractuum cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis 1885, T. I, p. 241, sqq.

(2) Ita V. G. Thiry. *Cours de Droit Civil*, Liège 1893, T. III, p. 561. — Hæc vero probatio, quæ requiritur ut coram judice constet de obligatione solvendi aliquam pecuniæ summam, minime necessaria est, ut eadem obligatio in foro conscientiæ vigeat; unde injuste agunt, qui a contractu venditionis recedunt, eo quod v. gr. nulla scriptura de eo constat. — Cfr. Génicot, *Institut. Theol. Mor.*, Lovanii 1896, T. I, p. 651.

(3) Cfr. Thiry, *l. c.*

neratim rei dominium transfert, antequam res tradita sit, a. 1583. Hinc magnum oritur discrimen cum jure Romano; nam sub illo jure emptori non paritur jus in re, nisi facta traditione, qua dominium transfertur, quin immo etsi emptori res fuerit jam tradita, manet sub dominio venditoris, donec vel pretium fuerit solutum, vel venditor alio modo satisfactum sit v. gr. pignore, vel fidem venditor emptori habuerit de pretio.

Item in nonnullis juribus recentioribus, ut in Neerlandico, statuitur rei dominium in emptorem sola traditione transferri. Sed sub jure nostro, conventione facta rei et pretii, *generatim* transfertur dominium; immo promissio rem vendendi, modo adsit mutuus consensus de re et de pretio, venditioni æquiparatur, a. 1589. (1)

Dicimus vero *generatim:* fieri enim potest venditio sub conditione sive suspensiva v. gr. ad probationem (a l'essai, a. 1588, coll. a. 1584), sive resolutoria, de qua nihil speciatim dicendum occurrit, cum ejus effectus determinandus sit juxta regulas generales contractus conditionati. Præterea si agatur de rebus quæ venduntur juxta pondus, numerum aut mensuram non statim perficitur venditio (a. 1585), sed tunc tantum, quum res secundum pondus, numerum vel mensuram definitæ fuerint; aliud esset si res acervatim (en bloc, a. 1586) venderentur. Pariter de rebus, quæ antequam emantur, prælibari solent, puta de vino, etc., non adest venditio, nisi postquam emptor eas gustaverit, et probaverit (a. 1587); quæ tamen dispositiones juris positivi mutari possunt mutuo consensu contrahentium. Denique pro re mobili successive duobus vendita, si ante

(1) Quonam sensu intelligenda sit hæc dispositio, inter jurisperitos non constat. Probabilius dicendum videtur hanc promissionem eosdem effectus producere ac ipsa venditio. Cfr. Aubry et Rau, T. IV, p. 332; Thiry, *o. c.*, p. 545. Hanc promissionem omnino æquivalere venditioni, docent etiam Arntz, T. III. nº 923; Laurent, T. XXIV, nº 21, Duranton, T. XVI, nº 51 et multi alii quos citat Thiry, *l. c.*

traditionem primo emptori faciendam, tradatur alteri, hic manet proprietarius, modo sit bonæ fidei, a. 1141 (1).

2° *De merce tradenda.*

Res, quæ venditur generatim nomine *mercis* nuncupatur.

Ex C. c. a. 1598 vendi possunt quæcumque sunt in commercio, sive sint res corporales, ut ager, domus, etc., sive incorporales, ut jura, actiones, nisi per leges peculiares prohibeatur earum alienatio (2). Nihilominus nomine mercis nequit intelligi ipsa pecunia, nam cum pecunia pro pecunia solvitur, non habetur venditio, sed cambium.

Sub jure nostro (a. 1599) nulla declaratur rei alienæ venditio (3); attamen si venditor scivit, emptor vero ignoraverit eam alienam esse, prior ob dolum hunc tenebitur etiam in conscientiæ foro, indemnem servare posteriorem.

Pariter prohibetur venditio successionis personæ adhuc viventis, etiamsi illa consentiat; item venditio rei, quæ jam tempore contractus perierat; quod si pars tantum perierit, emptor potest pro arbitrio vel contractum resilire, vel partem rei superstitem postu-

---

(1) Hoc connexionem habet cum regula : *en fait de meubles possession vaut titre*, a. 2279. — Cfr. Theol. Mechlin., *De Jure et Just.*, Mechl. 1896, pag. 311.

(2) Cfr. C. c., a. 1554, 631, 634. Insuper quædam res de se noxiæ sub respectu physico aut morali ex legis dispositione, sed non ex justitia vendi non possunt, de quibus cfr. Cod. Pœnalis, a. 316, et lex 4 Aug. 1890.

(3) Illa dispositio a. 1599, ut notat Ill^s ac Rev^s Waffelaert, non complectitur venditionem rei, quam quis recognoscit ut alienam, sed ad quam acquirendam sese obligat; — nec contractum (qui non est vera venditio), quo quis alteri se obligat, non ad transferendam proprietatem rei, sed liberam ejusdem possessionem; — nec venditionem rei à tous risques de l'acheteur (est enim aleatoria, cujus obiectum proprium est spes proprietatis); — nec venditionem rerum determinatarum secundum genus tantum, (tunc enim sufficit, ut venditor sit dominus quando res determinatur), *o. c.*, p. 428.

lare, solvendo pretium pro rata pretii integri determinandum, a. 1601. (1)

3° *De pretio solvendo.*

Tres vulgo conditiones requirunt jurisperiti: ut pretium sit pecunia consistens, ut sit verum ac serium, et denique ut sit determinatum.

a/ Nomine pretii intelligenda est *sola pecunia*, nam conventio de merce pro merce tradenda est contractus permutationis, non vero proprie dicta venditio, quamvis et hic contractus a permutationibus ortum ducat (2).

Attamen agnoscunt omnes, haberi venditionem, si pretium ab initio in nummis constitutum fuerit, et postea consentiat venditor, ut alia res loco pecuniæ tradatur, nam *non pretii numeratio, sed conventio emptionem facit.* Pariter habetur venditio, licet pecunia nonnisi successive sit solvenda, v. gr. per modum census annui (par rente perpétuelle ou viagère) (3).

b/ Requiritur ut pretium sit *verum* atque *serium:* verum, nempe *non simulatum*, nam si fiat conventio absque vera obligatione solvendi pretium, liquet non

---

(1) Et hæc quidem quoad prohibitiones juris positivi. Insuper jure naturali vendi prohibentur res de se ad malum determinatæ; generatim quoque res ad malum usum de se vel ex institutione destinatæ; immo et res indifferentes, quæ quidem bonum usum habere possunt, sed quibus multi abutuntur ad peccatum. Seclusa tamen speciali legis prohibitione, solo titulo commercii hujusmodi res indifferentes vendi possunt, modo revera tales sint, et in ipsa emptione aut circumstantiis nulla appareat mala emptoris intentio. Cfr. Theol. Mechl., *o. c.*, p. 313.

Denique notetur vendi non posse res spirituales, aut his annexas, de quibus vide De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Can. et Can. Civ. Compendium*, ed. VII, T. II, p 595, n° 1266 sqq. — Leinz, *Die Simonie*, Freiburg in Breisgau, 1902.

(2) Hujus contractus origo sic paucis delineatur apud de Lugo, *De Just. et Jure*, Disput. XVI, Sect. I: « Emptionis et venditionis usus antiquitus non fuit, sed permutationis: ii enim qui tritico egebant, dabant pro illo vinum v. gr., vel oleum, quo abundabant, et sic de aliis: quod tamen quia molestum erat et difficile, pecuniæ usus introductus est, quæ pretium commune esset in contractibus, et media pecunia res aliæ vendi cœperunt ».

(3) Cfr. Carrière, *De Contract.*, Parisiis 1844, T. II, p. 311, sqq.

adesse venditionem sed donationem; si autem sincero animo de pretio conventum fuerit, et postea non exigatur, adest venditio, et fit tantum condonatio debiti. Oportet etiam ut pretium sit serium, h. e. *non illusorium*, sed valori rei venditæ proportionatum. Attamen ad veram venditionem necessarium non est, ut pretium sit omnino rei æquivalens, sed si adfuerit læsio a lege determinata (de plus de sept douzièmes, a. 1674), datur locus rescissioni, quod aperte supponit venditionis existentiam.

c/ Denique pretium debet esse *determinatum* et designatum a contrahentibus, a. 1591; sufficit tamen ut posuerint determinationis fundamentum, quod ab eorum arbitrio non pendeat v. gr. si vendatur frumentum pretio, quo venditum est in ultima nundina. Potest etiam, juxta a. 1592, pretii determinatio committi arbitrio tertii, et in hoc casu venditio intelligitur facta sub conditione suspensiva, quæ si non impleatur, nempe si arbiter, a contrahentibus electus, nolit aut non possit pretium determinare, deficit venditio. Insuper contrahentes non modo explicite, vel implicite juxta modo exposita, sed etiam tacite pretium constituere possunt, v. gr. si emptor traditionem rei mobilis a se petitæ, nullo determinato pretio a venditore acceptat, sed ipsa sua acceptatione tacite in vulgare pretium solvendum consentit (1).

A. D. C.

---

(1) Cum tantum loqui intendamus de pretio sub jure nostro *ad existentiam* contractus venditionis requisito, ideo abstrahimus a requisitis ut venditio existens sit *justa*.

VI

Q. *Prouvez par l'examen des articles 13 et 14 du Concordat, que les traitements des ministres du culte constituent une dotation civile subrogée aux biens ecclésiastiques aliénés par le Gouvernement pendant la révolution.*

R. Le caractère d'indemnité des traitements ecclésiastiques avait été nettement défini par la Constituante dans son décret du 2 Novembre 1789. Par deux décrets en date du 18 Septembre 1794 et du 21 Février 1795, la Convention décida que la république ne paierait plus le salaire d'aucun culte. Cette suppression dura jusqu'au Concordat du 10 Septembre 1801 (1). Ce pacte solennel et bilatéral, conclu entre Sa Sainteté Pie VII et Bonaparte, fut un retour au décret du 2 Novembre 1789 « avec cette remarquable différence que la dotation civile du clergé est imposée par le Saint-Siège et acceptée par l'État, comme une conséquence nécessaire de l'aliénation des biens ecclésiastiques et comme une condition de la ratification par le Pape de la vente de ces biens » (2). Cela résulte des articles 13 et 14 du Concordat, des actes et discussions qui en précédèrent et suivirent la rédaction définitive.

---

(1) Voir le texte latin du Concordat ap. De Brabandere-Van Coillie. *Jur. can. et can. civ. Compend.*, ed. 7a, T. I, nº 72, p. 85-87; texte français ap. Bon, *Législation des paroisses*, Bruxelles, 1841, p. 65-67; de Corswarem, *Uitlegging der wetten en dekreten over de Kerkfabrieken*, Hasselt. 1894, p. I-III.

Cf. sur l'histoire du Concordat: *Documents sur la négociation du Concordat et sur les autres rapports de la France avec le St Siège en 1800-1801*, ed. Boulay de la Meurthe, Paris, Leroux, 1892-1900, 5 vol.; de Broglie. *Le Concordat*, Paris, Calman-Levy, 1893 — paru en articles dans le Correspondant, T. 169, p 601 ss., 793 ss.; Mathieu, *Le Concordat de 1801*, Paris, Perrin, 1903; Rinieri, S. J. *La diplomatie pontificale au XIXe s.*, trad. de l'italien par J.-B. Verdier, Paris, Lethielleux, 1903.

(2) Mgr Moulart, *Des fabriques d'Eglise*, 9me édit Louvain, autographie Ch. Peeters, 1899, p. 11; cf. du même. *Caractère du traitement payé par l'état aux ministres du culte catholique*. Revue Catholique, T. XXIV, p. 665 ss, T. XXV, p. 102 ss., 577 ss.

Voici le texte de ces deux dispositions :

Art. 13. — Sa Sainteté pour le bien de la paix, et l'heureux rétablissement de la religion catholique, déclare que ni elle, ni ses successeurs, ne troubleront en aucune manière, les acquéreurs des biens ecclésiastiques aliénés, et qu'en conséquence la propriété de ces biens, les droits et revenus y attachés, demeureront incommutables entre leurs mains où celles de leurs ayant-causes.

Art. 14. — Le Gouvernement assurera un traitement convenable (1) aux évêques et aux curés, dont les diocèses et les paroisses seront compris dans la circonscription nouvelle.

C'est une doctrine traditionnelle que ces articles (2) forment un contrat synallagmatique parfait, inséré dans le texte général du Concordat, et en vertu duquel le paiement des traitements ne serait que l'acquittement d'une dette dont l'Etat s'est déclaré tenu envers l'Eglise, en échange d'un avantage accepté, qui constituait pour la société religieuse une abdication de ses droits et pour la société civile le seul moyen de relever la situation morale et économique du pays (3). Il est vrai que le mot « indemnité » n'est pas prononcé (4). Mais quand on parcourt l'histoire du Concordat, le fait n'a rien d'étonnant. Rome, sous la pression de Bonaparte et de ses conseillers, a été forcée d'employer les expressions les plus mitigées, pour formuler le minimum de revendications qu'elle a obtenues (5).

---

(1) En latin : *sustentationem quæ cujusque statum deceat.*

(2) Il faut noter que les art. 12 et 15 leur sont intimement liés.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, T. I, p. 91 ; T. II, p. 510 ; de Broglie, *Correspondant*, *loc. cit.*, p. 626 : Crouzil, *Les traitements ecclésiastiques*, Paris, Bloud, 1903. (Coll. Science et Religion), p. 8-9.

(4) Vandervelde à la Chambre, Voir *Ann. Parlementaires*, 1899-1900, p. 718.

(5) Cf. Moulart, *op. cit.*, p. 12. — Ainsi dans le 7me projet présenté à Consalvi, Sa Sainteté *ne dispensait plus* de la restitution des biens injustement aliénés, comme le portait le projet romain mais elle *renonçait à*

Au reste la chose est clairement signifiée. La preuve, c'est le rapprochement des articles 13 et 14, qui se suivent immédiatement et qui dans leur rédaction indiquent suffisamment qu'ils ne forment qu'un seul tout. (1). En outre toute l'histoire du Concordat démontre que cette connexion répond à la réalité des intentions des augustes contractants.

Dans le premier prélude du concordat qu'on retrouve dans les conversations de Talleyrand avec l'envoyé d'Espagne à Paris, le marquis de Labrador, Talleyrand avait déjà ébauché le contenu de ces articles. Il avait dit dans ses instructions: « Libéral envers le Pape pour le temporel, si le Pape l'était pour le spirituel ». (2). La lettre du cardinal Martiniana à Pie VII, du 26 Juin 1800 (3), fut pour ainsi-dire, la base des négociations. Or, il y est dit: « En outre, comme depuis tant d'années de révolution, tous les biens que possédaient l'Eglise Gallicane ont été aliénés, comme leur revendication serait impossible en fait et jetterait la nation toute entière dans de nouveaux bouleversements, il (Bonaparte) croit nécessaire, pour ne pas trop charger la nation elle-même, que le nombre des évêchés soit diminué le plus possible et que jusqu'à ce qu'on puisse assigner des biens immeubles à chaque évêché, la pension congrue des évêques soit une pension à payer par les finances nationales.... »

---

toute prétention sur ces biens. Cf. Mathieu, *op. cit.*, p. 147, 220, 225; Rinieri, *op. cit.*, p. 636; Crouzil, *op. cit*, p. 13, note 4me, où il mentionne les variantes introduites à l'art. 14.

(1) On a néanmoins nié cette connexion, Les auteurs français MM. Macarel et Boulatignier dans leur ouvrage « *De la fortune publique en France et de son administration* », (1838-1840) T. II, p. 183-184, nº 431, rattachent l'art. 13 à l'art. 12 et complètent leur théorie, en mettant ces deux articles en regard des articles 72 et 75 des organiques. Mais ce rapprochement est fictif et ne répond point à la vérité historique telle qu'elle apparait des actes diplomatiques antérieurs et postérieurs au Concordat. Cf. Crouzil, *op. cit.*, p. 9.

(2) Cf. Rance-Bourrey, *La négociation du Concordat*. Correspondant. T. 165, p. 130.

(3) Cf. Rinieri, *op. cit.*, p 16-18; Mathieu, *op. cit.*, p. 2-7.

De même ce caractère de compensation ressort très clairement des nombreux projets et contreprojets émanés du Gouvernement et qui ont précédé l'adoption du texte définitif. (1) Dans le premier projet de traité, proposé à la signature de Mgr Spina par Bernier, le 26 Novembre 1800, il est règlé en principe que les ecclésiastiques de tout ordre recevront un traitement de l'État, que les biens ecclésiastiques non aliénés seront affectés à l'exercice du culte et à l'entretien de ses ministres, et que pour les biens dits nationaux, Sa Sainteté déclare qu'elle ratifie au nom de l'Église et comme son chef l'aliénation faite et consommée (2). Dans le quatrième projet nous trouvons à l'article 1er du titre VII : « La république accorde aux titulaires des évêchés et des cures, le traitement annuel qui leur fut accordé *par les décrets de l'Assemblée constituante du 24 Juillet, 2, 6, 11 Août 1790*, » et au titre VIII, art. unique : « Le Saint Siège reconnait les aliénations des domaines ecclésiastiques faites en vertu des lois de la république et la propriété incommutable dans les mains des acquéreurs. Or Bernier, le négociateur français dans une note adressée à Mgr Spina, écrivait au sujet de ces deux articles : « Le Gouvernement se persuade que ces *deux titres qui ne semblent n'en faire qu'un* et qui ont pour objet l'un le traitement du clergé Gallican, l'autre la ratification de l'aliénation des biens ecclésiastiques n'éprouveront aucune difficulté : » (3). Le

(1) Il est à noter que presque toujours les articles en question se retrouvent dans le même ordre et sous le même titre.

(2) Mathieu, *op. cit.*, p. 110 ; Rinieri, *op. cit.*, p. 36-37.

(3) Crouzil, *o. c.*, p. 12 ; Rinieri, *o. c.*, p. 41-42, M. Ducrocq dans son *Cours de droit administratif et de législation française des finances*, Paris, 1898, T. III, p. 465 s., pour montrer que le Gouvernement français était loin d'admettre cette idée d'indemnité, invoque la lettre de Bernier à Spina, en date du 21 Brumaire an IX (Boulay de la Meurthe, *o. c.*, T. I, p. 221). Cette lettre, dit il, exposant les motifs qu'avait le Pape, à confirmer les ventes des biens ecclésiastiques, ne parle pas d'indemnité. Cet argument du silence ne prouve rien dans le cas. Cf Crouzil, *o. c.*, p. 9-11.

même Bernier, dans un mémoire présenté au premier Consul le 12 Juillet 1801, sur les négociations qu'il eut les jours précédents avec le cardinal Consalvi, dit dans son commentaire de l'art. 3 du titre V (art. 14 actuel): « Cet article est la compensation naturelle de celui qui précède, il est admis tel qu'on l'a proposé et ne peut par là même éprouver aucun obstacle » (1). Cette dette de justice a été affirmée et reconnue par le Gouvernement consulaire lui-même par l'organe de M. Portalis dans son rapport sur les articles organiques (2); et M. Siméon rapporteur de la commission chargée par le Tribunat, de l'examen du Concordat et des articles organiques, a fait des déclarations semblables (3).

Les actes diplomatiques et législatifs du Gouvernement français fournissent à la thèse de compensation une preuve solide; un autre argument se tire des motifs qu'avait Bonaparte à signer ces deux articles.

L'insistance de Bonaparte à faire accepter l'article 13, par le Pape, intégralement et sans atténuations (4), ne s'explique pas par de simples scrupules de conscience, de même que la compensation qu'il offrit de plein gré et sans qu'on l'en pressât, à l'article 14, ne lui fut point imposée par le sentiment de l'obligation qu'il avait, d'acquitter la dette consentie par la Constituante; mais la déplorable situation matérielle et morale du pays à la suite de ces aliénations, les scrupules, les

---

(1) Crouzil, *o. c.*, p. 13, note 4.

(2) Moulart, *o. c.*, p. 15; Crouzil, *o. c.*, p. 14, note 1.

(3) Moulart, *o. c.*, p. 15; cf. discours de Vandervelde, à la Chambre, *Ann. Parlem.*, l. cit.

(4) Cet article a été avec l'art. 1, l'objet de nombreuses discussions dans la Congrégation extraordinaire créée par Pie VII pour l'examen du Concordat. Voir les votes des Cardinaux dans la séance du 11 Août 1801, ap. Rinieri, *o. c.*, p. 287-306, coll. *l'Appendice*, p. 578-584. Comment les Cardinaux se seraient-ils résolus à le voter sans l'assurance que l'État indemniserait les ministres du culte? Ce point était tellement clair que jamais cette compensation ne fut l'objet de discussions entre Consalvi et Bernier.

préventions, les conflits des citoyens, la baisse énorme des propriétés, les difficultés des transactions, tout le forçait à reconnaître que l'intervention du pape lui était nécessaire et qu'en conséquence le seul titre à apporter en faveur de l'obtention de cet acte pontifical devait être la promesse prise par le Gouvernement d'assurer un traitement convenable aux ministres du culte, en compensation de l'immense sacrifice qu'il exigeait (1). Au reste Bonaparte avait encore pour mobile de faire tourner à son avantage, grâce au Concordat et notamment à ces deux articles, la force de la religion (2) et l'influence du clergé. En assurant à celui-ci, une pension annuelle sur la rente de l'État et non pas une dotation en immeubles, comme il avait été admis dans les premiers projets et comme Rome le réclamait à bon droit, il reduisait les ministres du culte à l'état de dépendance et les détachait de l'ancien régime (3).

Les intentions de Rome étaient à ce sujet encore plus formelles que celle du premier Consul.

La lettre de Mgr Spina à Bonaparte en date du 15 Novembre 1800 (4), le votum rédigé par Mgr di Pietro, rapporteur de la petite congrégation instituée pour l'examen du 5me projet du Concordat (5), le projet

---

(1) Cf. de Broglie, *Le Concordat*, Corresp., T. 169 p. 623-627; Taine, *Les origines de la France contemporaine*. Paris, Hachette, 1879-1894. Le régime moderne, T. I, p. 230-242; Sicard, *Pourquoi le Concordat?* Corresp., T. 119, p. 823-826. Voir la note présentée a Spina par Bernier le 12 Nov. 1800, Mathieu, *o. c.*, p. 85-87.

Sur l'immensité du sacrifice consenti, voir: Rinieri, *o. c.*; Lecarpentier, *La propriété foncière du clergé sous l'ancien régime et la vente des biens ecclésiastiques pendant la Révolution*. Paris, Bloud, 1902; Taine, *l. c.*, p. 247-248: « Il (l'État) a pris aux pauvres, aux enfants, aux fidèles, 5 milliards au moins de capital de 270 millions de revenu; il leur rend, en revenus fonciers, et en rentes sur le Trésor 17 millions par an.....; c'est un failli qui a mangé l'argent de ses créanciers. et leur jette en aumône 6 pour cent de leur créance ».

(2) Taine, *l. c.*, p. 230-242, T. II, p. 10-25; Sicard, *l. c.*

(3) Rinieri, passim; Mathieu, *o. c.*, p. 94-95; Sicard, *l. c.*, p. 825.

(4) Mathieu, *o. c.*, p. 93; Crouzil, *o. c.*, p. 11.

(5) Mathieu, *o. c.*, p. 94-95; Rinieri, *o. c.*, p. 74-77.

romain du 15 Avril 1801 (1) renferment cette idée de juste compensation, d'une façon explicite. Dans la bulle de confirmation du Concordat « *Ecclesia Christi* » la même vérité est clairement affirmée (2). Ajoutez à ces documents, le fait que Rome a du consentement du gouvernement, assigné comme dot perpétuelle des titres ecclésiastiques les traitements stipulés à l'article 14 et subrogés ainsi en droit, aux anciens bénéfices aliénés (3). Du reste le Saint Siège n'a jamais permis qu'un doute s'élevât sur l'obligation que le Gouvernement avait contractée avec l'Église (4). Depuis lors tous les Gouvernements ont fait des traitements des ministres du culte un droit constitutionnel: cf. la charte de 1830 dans son art. 6; la constitution républicaine de 1848, art. 7; la constitution de 1852; l'art. 194 de la constitution hollandaise comme l'art. 119 de notre loi fondamentale. Cette charge imposée au trésor public, adoptée au Congrès national presque sans discussion, y a été considérée comme une dette non seulement par les catholiques, mais par les membres les plus influents du parti libéral (5).

La doctrine du côté catholique, est unanime sur ce

---

(1) Rinieri, *o. c.*, p. 79.

(2) Moulart, *o. c.*, p. 11; Bon, *o. c.*, p. 81-82.

(3) Voir la bulle et les décrets de circonscription des diocèses et des paroisses, ap. Bon, *o. c.*, p. 86 ss. — cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, p. 221-222. nº 895.

(4) Moulart, *o. c.*, p. 14-15.

(5) Huyttens, *Discussions du congrès national de Belgique*, 5 vol., Bruxelles, 1844 1845, T. I, p. 576, 580 etc., T. II, p. 478-479; Cagliani, *Droit ecclésiastique-civil belge*, Bruxelles, Larcier, 1903, T. I, p. 180 ss., cf. Nyssens, *L'Église et l'État dans la Constitution belge*, Bruxelles, Larcier, 1880; *Le Mémorial*, T. VIII (1880), col. 917-929. Lors de la discussion de la loi du 21 Avril 1900, sur les traitements et pensions ecclésiastiques, ce caractère d'indemnité a été le mieux établi, à la Chambre par MM. Woeste, Helleputte, de Lantsheere, et surtout Van den Heuvel. (Cf. *Ann. Parlem.*, Sess. 1899-1900, p. 709, 715, 726, 754, 755), au Sénat par Mgr Keesen et M. Meyers, (cf. *ibid.*, p. 399, 407). Voir: *Coll. Brug.*, T. V, p. 450, *Coll. Namurc.*, T. I, p. 76.

point (1), du côté des adversaires plusieurs refusent encore de se rendre à l'évidence (2).

Nous concluons que l'examen des articles 13 et 14 du Concordat, considérés dans leur texte, dans leurs discussions et dans leur histoire, prouve que les traitements ecclésiastiques sont une dotation civile subrogée aux biens de l'Église, aliénés par la Révolution.

A. D. M.

---

(1) Voir outre les ouvrages cités précédemment, Lauwers, *Du caractère légal des traitements payés par l'État au clergé catholique*, Bruges, De Zutter, 1879.

(2) M. Cagliani, dont le récent ouvrage se distingue par une partialité étonnante et provoque bien des réserves, apporte p. 122, contre la thèse d'indemnité, une déclaration de Portalis, dans un discours prononcé le 5 Avril 1802, au corps législatif. Mgr Moulart, *o. c.*, p. 13, a parfaitement répondu à cette affirmation gratuite du ministre des cultes. Cf. Caulet, *L'avocat du clergé*, Paris, Lethielleux, p. 53-54.

De officio parochi et confessarii erga Nupturientes.

(*Sequitur*. — Cfr. suprà p. 98 sqq.) *

PARAGR. 2ª. Instructio.

In præsenti tractatione circa instructionem de matrimonio ejusque officiis ac juribus, non tantum spectamus illam qua *privatim* imbuendi sunt nupturientes, occasione examinis coram parocho subeundi vel confessionis antenuptialis peragendæ, sed etiam illam intendimus quæ *publice* est proponenda in cathedra, in gratiam nupturentium necnon et conjugum matrimonio jam junctorum.

I. Instructio publica.

Equidem caute et prudenter debet procedere parochus in instructione circa matrimonium publice, et signanter in ecclesia, fidelibus danda; falsa tamen prudentia est et præpostera modestia quæ sacerdotem cohibeat ab inculcanda doctrina Ecclesiæ circa sacramentum matrimonii ejusque sanctitatem ac officia gravissima, in quorum observatione vix non integra reipublicæ christianæ posita est salus (1).

---

* N. B.: suprà p. 100, lin. 5, loco *affinitatis illicitæ* lege *affinitatis licitæ*.

(1) « Et sane (uti arguit Leo XIII, in Encyclica *Arcanum*) præterquam quod propagationi generis humani prospiciunt (matrimonia), illuc quoque pertinent ut meliorem vitam conjugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adjumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia cælesti, quæ a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia, quamdiu sint congruentia naturæ, Deique consiliis apte conveniant, firmare profectò valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinæ potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab ejusmodi autem conjugiis

Cæterum quæ nata sunt facilius esse offensioni vel periculum inducere pro innocentia juniorum auditorum, si hujusmodi negotia in ecclesia tractarentur e cathedra, opportunè relinquantur parce et caute docenda in instructionibus quæ tradi solent pro solis personis nuptis in distinctas sodalitates convenientibus.

Porro liceat quædam suggerere puncta, pro opportunitate, et salva restrictione modò facta, inculcanda:

A/ **Principia exponenda.**

Docendus est populus circa naturam matrimonii, quod Christus Dominus ita ad sacramenti dignitatem voluit evehere ut, inter baptizatos, matrimoniale vinculum nullum existat quod non sit sacramentale, ac proinde regimen matrimonii christiani totum quantum habeatur penes Ecclesiam, cujus adeoque solius legum prohibentium ac irritantium ratio est habenda in contractu ineundo matrimoniali.

Ostendat sacerdos inde sponte sequi matrimonium civile non esse nisi meram formalitatem legalem, nullatenus quidem negligendam, propter effectus civiles, sed ad essentiam matrimonii nequidquam conferentem, ac proinde christianos sponsos tunc tantum evadere conjuges postquam coram parocho et duobus testibus sacramentaliter fuerint conjuncti; addatur non convenire ut formalitates civiles diu præcedant conjugium religiosum (1).

---

expectare civitates jure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia et amore assueti, sui officii esse ducant juste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, lædere neminem ». *Leonis XIII acta,* Brugis, typis Soc. S. Aug., 1887, vol. 1m, p. 128.

(1) « Omnibus exploratum esse debet, si qua conjunctio viri et mulieris inter christifideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere; et quamvis convienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse quam ritum aut morem jure civili introductum; jure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale

Urgeat parochus, contra hodierna legis civilis infausta conamina, omninodam vinculi indissolubilitatem, quod vinculum sola morte disrumpitur (1), licet interdum possint dari, judicio Ecclesiæ, rationes canonicæ separationem a cohabitatione instituendi (2).

B/ **Dignitas matrimonii extollenda.**

Summi momenti est ut christifidelibus magna idea suggeratur matrimonii, ad quod nimis frequenter accedunt, ipsi christiani, quasi ad opus profanum. Quæ dignitas cæteroquin ac sublimitas mirè elucet non modò in quantum est sacramentum sed etiam in quantum spectatur uti est in officium naturæ.

Ortum enim ducit ab ipso Creatore, in mundi primordiis institutum ob finem illum altissimum filios procreandi et educandi in gloriam Dei: « Magnūs haud dubie, conjuges, exclamat Franciscus Salesius l. c., vobis est honor, quod Deus animas quæ illum in omnem æternitatem benedicere et laudare queant, multiplicare volens, tam digni operis vos faciat cooperatores, dum

---

vinculum, existat. — Hæc quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quæ vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ». Encyclica *Arcanum*, l. c., p. 135.

(1) « Si duo abietis frusta glutine conglutinentur, dummodò ipsum purum sit, unio amborum adeo erit tenax, ut aliis in locis prius ea diffindas, quam eo in loco in quo glutine combinata sunt divellas. Deus porro virum fæminæ proprio suo sanguine conjungit; quare unio hæc illorum adeo indissolubilis est, ut prius anima a corpore alterutrius divellenda sit ac separanda, quam vir a conjuge ». Franciscus Salesius, *Introductio ad vitam devotam*, ed. latina, Lovanii, 1701, part. III, cap. 38, ubi aurea proponit *consilia pro hominibus conjugatis*.

(2) « Id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse si qui forte conjuges, quæcumque demum causa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad conjugum conditionem accommodatis, linire studet secessionis incommoda; nec unquàm committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet » Encyclica *Arcanum*, l. c., p. 135.

nimirum corpora producitis, in quæ Ille dein animas, easdem creando, velut guttas quasdam cœlestes infundit ».

Porro veri matrimonii notitiam, vitiis et ignominiis obtenebratam, in nova luce posuit Christus Dominus et ad primæ originis nobilitatem revocavit. « Nuptias in Cana Galilææ Ipse præsentia sua nobilitavit primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles; quibus causis vel ex eo die in hominum conjugia novæ cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta » (1). Ipsum autem contractum matrimonialem assumpsit Christus illumque auxit dignitate sacramenti, dicente Apostolo: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia ».

Quo magis profectò ac vividius præ oculis ponat parochus sanctitatem et dignitatem matrimonii, eo efficaciori sermone urgebit fideles ut rite et sancte ad conjugium sese præparent, sancto amore potius quam libidine ducti, in continentia et oratione, memores verborum tum Tobiæ junioris ad castam conjugem: « Filii quippe sanctorum sumus et non possumus ita conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum »; tum Raphaëlis archangeli ad ipsum Tobiam: « Hi namque qui conjugium ita suscipiunt ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos ». Ex libro Tobiæ, cap. VIII, 5 et VI, 17.

Avertat eos igitur sacerdos, omni qua par est zelo, ab omni imprudenti et libidinosa procatione ac illicita familiaritate, cosque eloquenter compellat ut in statu gratiæ sacramentum suscipiant, ne tantæ necessitatis gratiis priventur et divinam maledictionem pro benedictione in se provocent (2).

---

(1) Leo XIII, Encyclica *Arcanum*, l. c., p. 120.

(2) « Quare graviter eos monebit parochus ut ante matrimonii cele-

« Deus det, inquit S. Franciscus Salesius, l. c., ut ad omnes omnino nuptias Filius Ejus unigenitus invitetur, uti ad nuptias in Cana Galilææ vocatus fuit: nunquam enim in illis consolationum et benedictionum vinum deesset. Nam quod, ut plurimum, nonnisi in principio earum modicum vinum habeatur, ideo est quod Domini nostri Jesu Christi loco invitetur Adonis, et Beatæ Virginis loco Venus ».

Indigne et inconsideranter initum conjugium multorum malorum seminarium est. « Quo facile esset non descendere, (notat Leo XIII, in citata Encyclica), si sponsi non cupiditate acti sed præsumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum causis conjugiorum nobilissimis, ea qua æquum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo ». l. c., p. 135.

C/ **Officia inculcanda.**

1°/ *Ad invicem.* Officia quibus præcipue imbuendi sunt sponsi ac conjuges ad amorem reducuntur castum et supernaturalem, mutuam defectuum tolerantiam ac integerrimam fidelitatem mutuò conservandam. De quibus non pigeat audire suaviter et amœne disserentem Episcopum Genevensem:

a/ « Ante omnia, ait l. c., conjugatos adhortor ut mutuum amorem, quem Spiritus Sanctus in S. Scriptura usque adeo ipsis inculcat et commendat, colant. Nihil est, o conjuges, si quis vobis dicat naturali amore invicem diligere, nam et turtures conjugati id faciunt: ut nec si quis diceret humano quodam amore vos mutuò amare, cum et ethnici hunc amorem habuerint: sed præeunte mihi magno Apostolo vobis dico: *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam;* et vice versa: *Uxores, diligite maritos vestros*

---

brationem in eadem domo non cohabitent, nullam admittant illicitam familiaritatem, neque simul conversentur nisi aliquibus propinquis vel aliis præsentibus, sintque cautissimi in cordis affectibus et phantasia refrænandis ». *Pastorale Brug.*, p. 122.

sicut Ecclesia suum Salvatorem. Deus fuit qui Evam ad primum generis nostri parentem adduxit, eamque illi in conjugem dedit; Deus quoque est, charissimi, qui sacrum matrimonii vestri vinculum ac nodum invisibili sua manu convinxit, et unum donavit alteri: cur ergo amore quodam sanctissimo, sacerrimo ac divinissimo invicem non complectimini? ».

Profectò amor ille mutuus non impedit quominus vir sit familiæ princeps et caput mulieris, sed viri principatum et uxoris subjectionem jucunda ad invicem relatione perpetuò moderatur. « Vir est familiæ princeps (inquit Leo XIII in laudata Encyclica) et caput mulieris; quæ tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro in morem non ancillæ sed sociæ; ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui præest, et in hac quæ paret, cum imaginem uterque referant, alter Christi, altera Ecclesiæ, divina charitas esto perpetua moderatrix officii. » l. c. p. 122.

b/ Tolerantiam laudans Franciscus Salesius scribit ibidem: « Cæterum ita sese invicem tolerare et imperfectiones mutuas sustinere debent, ut nunquam ambo simul pariter irasci debeant, ut nulla inter eos dissensio et jurgium appareat. Apes non mellificant in loco, in quo vocum et clamoris fit repercussio et reduplicatio; sic nec Sanctus Spiritus habitat in domo, in qua jurgia, concertationes et clamorum altercationumque reduplicationes audire est ».

c/ Eloquenter tandem urget fidelitatem, inquiens: « Ecclesia namque per sacerdotem annulum benedicit eumque viro primum tradens, cor illius hoc sacramento se velut obsignare et sigillare declarat, ut nullius alterius fæminæ nomen aut amor ipsum exinde ingredi possit, quamdiu nimirum vivet illa quæ illi jam datur. Exinde sponsus annulum sponsæ digito inserit, ut illa quoque discat et intelligat a nullius unquam viri amore et affectu animum suum occupari debere, quamdiu is

superstes erit, quem Dominus hic illi maritum tradit ». Quibus paulò infrà addit: « Vultisne, viri, uxores vobis fideles esse? Fidelitatis iis exemplo prælucete. Quanam, ait Gregorius Nazianzenus, fronte pudicitiam ab uxoribus vestris exigitis, si ipsimet impudicitiæ labe inquinati sitis? Quomodo ab illis requiritis quod ipsis non datis? Eas castas vultis? Castos vos erga illas exhibete ».

Quæ omnia, modo simplicibus fidelibus apprime accommodato, exponuntur in egregia opella: *Trouwersboekske*; auctore Fr. Mervillie, Brugis, edit. 3ia, 1898, pp. 18-20.

Porro ad *fidelitatem* spectat *redditio debiti* ac *usus matrimonii*, quocirca sane, uti notavimus, nonnisi generali et obvoluto sermone est loquendum in ecclesiæ cathedra, fideles monendo etiam inter uxoratos non omnia licere, ac posse contra castitatem peccari, idque gravissime, quotiescumque fini a Deo intento impedimentum opponatur.

Non obstat tamen quod, occasione data, coram nuptis in sodalitatem congregatis, fusiori sermone, gravi utique, casto et modesto, summis quasi digitis attingatur materia hæc salebrosa; et eo minus est inconveniens quo majoris ætatis ac gravioris indolis est sacerdos sodalitati præpositus. In quibus rursus castissimis vestigiis S. Francisci inhæreamus, ubi, op. cit., cap. 39 agit *de thori conjugalis honestate et puritate*.

Nimirum, comparatione instituta inter usum matrimonii et comestionem, ostendit S. Doctor quomodo « sicuti ad corpus nutriendum et conservandum dumtaxat comedere, res bona, sancta et præcepta est: sic, quod in matrimonio ad sobolis et hominum multiplicationem requiritur, laudabile cumprimis et sanctum est ».

Pariter, quemadmodum peccatum esse potest in usu cibi et potus immoderato, imo et peccatum grave, putà in ebrietate, ita monet nonnunquam delinqui in matrimonii fruitione, idque graviter si actus a fine detorquetur.

Ulterius nupturientes ac conjuges ad perfectionem

provocando, ostendit quomodo, sicut non convenit morigeris mentem in cibos intentam habere, ita non deceat conjuges carnalibus voluptatibus continuò occupari ac detineri, et carni vivere potius quam spiritui. Commendat ipsis sapiens monitum Apostoli ad Corinthios: « Tempus breve est, reliquum est ut qui habent uxores tanquam non habentes sint ». Porro, sic pergit S. Salesius secundum S. Gregorii mentem, « is uxorem habet tanquam non habens qui ita consolationes corporales et voluptates ex illa percipit, ut propterea nullum in spiritualibus suis exercitiis impedimentum sentiat. Quod autem de viro dicitur de uxore pariter venit intelligendum. *Et qui utuntur hoc mundo*, ait idem Apostolus, *sint tanquam non utantur*. Omnes ergo mundo pro vocatione sua quisque utantur; sed ita ut affectum suum ei non affigant, sed tam liberi et expediti ad Deo serviendum sint, tanquam si eo penitus non uterentur. Errat, inquit S. Augustinus, homo gravissime, dum rebus iis frui vult quibus solummodò debet uti, et iis vice versa uti quibus debet frui. Rebus spiritualibus debemus frui, corporalibus vero tantum uti, quarum cum usum in meram fruitionem convertimus, anima nostra rationabilis in brutalem quoque et bestialem convertitur ».

2°/ *Circa proles.*

Sanctissimum præ cæteris officium est ut conjuges prolem, quam a Dei benedictione consequuntur, in Dei gloriam, omni qua possunt cura, educare satagant. Quinimo matres hortatur S. Franciscus ut conceptam prolem jam ante nativitatem Deo devoveant ac divinæ Majestati offerre non omittant. Natos autem quamprimum sacro fonte regenerandos ad Ecclesiam deferant, vel, in casu necessitatis, domi abluendos curent.

« Postquam vero (scribit in op. cit., cap. 38) filii... uti ratione incipiunt, parentes curare quam maxime debent ut Dei timorem animo ipsorum instillent. Egregie et ardenter munus hoc sancta illa Regina Blanca

erga filium suum... exercuit; sæpe namque ei dixit: malim te, fili carissime, ante oculos meos animam agentem et expirantem videre quam vel unum peccatum mortale committentem ».

Sedulò invigilent parentes ut a filiis omnia diligenter avertant quæ candidam ipsorum mentem maculare queant, ipsis verbo et exemplo virtutem inculcare non desistant, eosque christianis ac religiosis magistris erudiendos tradant, nec aliis quam honestis ac morigeratis famulis et ancillis curandos committant.

Sciant igitur conjuges et nupturientes « nec pauca esse conjugum officia nec levia; ea tamen conjugibus bonis, ob virtutem quæ sacramento percipitur, non modò tolerabilia fiunt sed jucunda ». Encyclica *Arcanum*, l. c., p. 122.

II. Instructio Privata.

A/ **Extra confessionem.**

Imprimis non pauca monita de quibus sub I præstat breviter in memoriam revocari a parocho sponsos ad examen admittente, speciatim illa quæ spectant officia conjugum ad invicem et circa proles; qua occasione peculiariter insistat oportet parochus in gravi obligatione Baptisma conferendi in casu necessitatis, nec omittat sponsos artem docere baptizandi ut et ipsi, si opus sit, sacramentum administrare valeant: ad quod tamen moneantur non esse procedendum nisi deficiente omni alia persona idonea.

Præ oculis etiam ponantur, signanter sponsæ, nonnullæ animadversiones practicæ pro curanda salute abortivorum, ad normam dictorum apud *Collat.*, VIII, pp. 561 et seq.

Contingere poterit parocho ut in instructione examini subjuncta propius tangat quæstionem de juribus conjugum et obligationibus in reddendo debito; sed plerumque pro hisce opportunior erit occasio in ipsa confessione antenuptiali, in qua suprà vidimus etiam defectui esse supplendum inquisitionis circa impedimenta infamantia.

B/ **In Confessione.**

Profectò etiam in confessionali parce, caute et caste est loquendum in hac lubrica materia, sed aptior tamen ibi est locus ut hujusmodi tractentur negotia, eo vel magis quod ibidem facilius dubia sua exponere solent fideles; cæteroquin, uti jam innuimus, non adeo est urgenda modestia ut in detrimentum cedat pœnitentium, qui, ubi anxiantur, jure requirunt ex ore sacerdotis, etiam in hisce salebrosis, solutionem theologicam et directionem, ad quam non sufficit generali formula respondere et quietem commendare.

Quocirca juvat hæc pauca notare:

1°/ Sponsi, si confessarium interrogant circa licita et illicita in matrimonio, *regulariter* possunt decenter instrui. Seponitur scilicet casus puellæ innocentis et conjugalis consortii penitus ignaræ, quæ passim non est edocenda a confessario, præsertim juniori, sed ad matrem est dirigenda vel ad piam matronam ut erudiatur, addita monitione ut non diu post nuptias redeat confessura et dubia, si superfuerint, expositura.

Quo seposito casu, non videmus quid obstet quominus confessarius dicta occasione interrogatus principia proponat hanc materiam regentia, juxta quæ pœnitentes suam conscientiam moderare tuto valeant. Nimirum

a/ actum conjugalem esse legitimum, imo ad eum ex stricta justitia mutuò obligari conjuges; b/ omnia inter conjugatos licere quæ ad prolis procreationem ordinantur; ac etiam c/ a culpa saltem lethali esse generatim immunes actus venereos, licet ad conceptionem non directe ordinatos, modò scienter non fiant ratione ad generationem inepta; in omnibus autem servandam esse honestatem naturalem; d/ gravissime vero peccari per quemcumque usum matrimonii generationis fini positive contrarium, signanter effusionem seminis procurando onanisticam, qua scelesti praxi funditus destruitur finis a Creatore intentus et divinæ Justitiæ vindicta jam hic in terris provocatur.

Quinimo, nisi nupturientes cognoscantur in hisce sufficienter instructi vel honestioris vitæ ac conditionis, nescio utrum non foret opportunum eos, etiam non interrogantes, in hunc sensum edocere, ac signanter abominandam urgere malitiam onanismi, in dies latius grassantis et gangrenæ ad instar ipsa societatis christianæ fundamenta invadentis: efficacius profectò malum vincetur illud præveniendo, quam serò medicinam parando postquam, consuetudine contracta, morbus est inveteratus. Cavendum tamen est ne abominandæ praxis cogitatio suggeratur, ubi nullum illius periculum prævidetur.

Cæterum, attenta duplici exceptione facta et salvis cautelis propositis, frustranea videtur formido nonnullorum, timentium ne offendantur ac scandalizentur pœnitentes, quippe quos plerumque, quotidiana teste experientia, non adeo candidos reperit matrimonium.

Nunquam autem omittat confessarius monitum *Pastoralis Brugensis*, p. 122, de quo suprà, ut, aliquanto post contractum matrimonium tempore, ad confessionem revertantur, ut anxietatum, si quæ sint, circa matrimonii statum et officia solutionem quærant et accipiant.

2°/ Quodsi pœnitentes, transacto jam primo matrimonii tempore, contingit ad confessarium redire et anxios reperiri circa conjugalia jura ac officia, tunc præprimis sacerdoti opus est singulari prudentia et modestia. Nam ex una parte, uti jam notavimus iterumque notandum volumus, non sufficit præ nimia modestia dubia removere ac responsum eludere cum maximo nonnunquam detrimento animæ et pacis familiæ, ex male intellectis juribus ac officiis respectivis conjugum continuis jurgiis disturbatæ (1); ex altera

(1) Ita fit ut uxor non obtemperet marito, quia falsa conscientia laborat circa frequentiam copulæ, et signanter circa liceitatem actuum non consummatorum et alia hujusmodi: quarum dubitationum solers enodatio quietem reducet in conscientia et felicitatem in familia.

vero parte difficilius cavetur ab omni modestiæ læsione ubi ad particularia est descendendum nec sufficit abstracta proponere principia.

Porro prudentia suadet ut hujusmodi pœnitentes, in hisce negotiis anxios repertos caute adducat confessarius ut ipsi sponte exponant anxietatis objectum potius quam interroganti et scrutanti sacerdoti aperiant. Præterea solerter distinguat et secernat confessarius dubia theologica a dubiis mere physiologicis, et optime compertum habeat et alta mente repostum suum officium non esse hæc ultima solvere sed illa solvenda relinquere medico vel chirurgo, præsertim si agatur de uxore (1): memor sit se non esse medicum corporis sed animæ seque illa dumtaxat impune tentare pericula quæ adeunda strictum urget officium.

Tandem in ipsis enodandis difficultatibus subjectis, attendat confessarius in hisce rebus passim sufficere ut conjuges sciant quid faciendo vel omittendo peccatum mortale effugere queant, adeo ut regulariter opportunius abstineat ab ulteriori explicatione circa venialem inordinationem, in qua cæteroquin intimiori explicatione gravius non rarò latet castitatis sacerdotalis discrimen.

A. D. S.

---

(1) Sic attoniti invenimus in praxi quadam confessariorum, non parum vulgata, ab ipso confessario, in confessione, uxori pœnitenti proponi methodum curandi putatam impotentiam et remedia describi adhibenda ad sic dictæ infirmitati pro posse medendi.

Ex Secretaria Brevium

Conceduntur Indulg. occasione sollemnium quinquagenariorum a dogm. definit. B. M. V. Imm. Conc.

PIUS PP. X.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Quæ Catholico nomini æternæque fidelium saluti bene, prospere, feliciterque eveniant, ea ex supremi Apostolatus officio quo fungimur divinitus, quacumque ope possumus, procuramus et spiritualium munerum largitione favemus. Jam vero cum, proximo anno, quinquagesimus recurrat anniversarius dies ex quo toto Catholico orbe plaudente fel. rec. Pius PP. IX, Prædecessor Noster, solemni decreto Virginem Deiparam sine labe originali Conceptam declaravit, atque ad auspicatissimi eventus memoriam recolendam plurimis in templis ac sacellis die octava cujusque mensis per solidum annum, a die octava vertentis Decembris ad octavam pariter diem Decembris mensis proximi anni MDCCCCIV vel Dominica immediate respective sequenti, peculiares habendæ sint supplicationes; Nos, quibus nihil antiquius quam ut fidelium pietas erga immunem ab omni macula Virginem magis magisque in dies excitetur, cœlestes idcirco Ecclesiæ thesauros, quorum Nobis dispensationem Altissimus commisit, benigne in Domino reserare censuimus. Quæ cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus ac singulis fidelibus ex utroque sexu, qui in qualibet ex Ecclesiis sive sacellis ubique terrarum existentibus, in quibus de respectivi Ordinarii licentia menstrua in honorem Immaculatæ Virginis supplicatio rite fiat, eidem, contrito saltem corde, adsint, in forma Ecclesiæ solita de pœnalium numero septem annos totidemque quadragenas; quoties vero diebus quibus mensilis hæc pia exercitatio locum habet Ecclesias seu oratoria supramemorata contrito similiter corde visitent, toties iis in forma pariter Ecclesiæ consueta trecentos dies de numero

pœnalium expungimus. Insuper eisdem ex utroque sexu fidelibus, qui saltem ter intrà anni curriculum dictis supplicationibus aderunt, atque admissorum confessione expiati et cœlestibus epulis refecti pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundant, semel tantum per unumquemque eorum lucrandam, plenariam: tandem iis qui intrà futuri anni MDCCCCIV spatium vel turmatim vel singillatim peregre ad hanc Almam Urbem Nostram accedant, dummodo vere quoque pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti Vaticanam et Liberianam Basilicas devote visitent ibique, ut supra, pias ad Deum preces effundant, etiam Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Denique largimur fidelibus iisdem, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis vita functorum labes pœnasque expiare. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Præsentibus unice tantum. Volumus autem ut præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ præmunitis, eadem prorsus adhibeatur fides quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VII Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri Anno Primo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

Législation Sociale.

Loi du 23 décembre 1903 sur la réparation des dommages résultant des accidents du travail.

Observations préliminaires.

Le problème de la réparation des dommages résultant des accidents du travail est un des plus importants et en même temps un des plus ardus et des plus complexes de la législation sociale contemporaine (1). La solution de cette question compliquée a donné lieu en Belgique à des discussions longues et approfondies, tant au sein des Chambres législatives qu'au Conseil supérieur du travail et dans la presse.

Un premier projet de loi, déposé sur le bureau de la Chambre des Représentants en 1890, a été frappé de caducité par la dissolution constitutionnelle. Un second projet présenté le 26 avril 1898 par M. Nyssens, a subi le même sort, par suite de la dissolution du 7 mai 1900. Enfin, le 2 mars 1902 M. le Baron Surmont de Volsberghe a présenté un nouveau projet de loi reposant sur les mêmes principes fondamentaux que le projet de M. Nyssens, mais offrant des différences notables quant au mode d'exécution. Ce projet a été longuement discuté à la Chambre des Représentants et un grand nombre de ses dispositions y ont été remaniées. Votée

(1) L'Allemagne la première (1884) a légiféré en cette matière; son exemple a été suivi par la plupart des pays d'Europe; notamment par l'Autriche (1887), la Norvège et la Finlande (1894), l'Angleterre (1897), la France, l'Italie et le Danemark (1898), la Hollande et la Grèce (1901), le grand-duché de Luxembourg (1902), la Russie (1903). Dans plusieurs pays déjà, notamment en Allemagne (1900), en France (1902) en Italie (1903) la loi a été revisée ou sera prochainement modifiée.

par la Chambre le 16 juillet 1903, la loi été adoptée sans aucune modification et à titre d'expérience par le Sénat à la date du 17 décembre suivant.

La loi actuelle du 24 décembre 1903 se rattache à la loi du 10 mars 1900 sur le contrat de travail, dont elle est la suite et le complément.

Elle apparaît comme un essai loyal et honnête de réglementation, de nature à amener un véritable apaisement social (1).

Le but que nous nous sommes proposé dans le présent travail est de faciliter l'intelligence de la loi nouvelle, surtout dans les milieux pour lesquels elle a été élaborée (2). A cet effet nous nous sommes efforcé d'expliquer clairement et d'une façon succincte, le sens et la portée des différents articles. Et comme la loi du 24 décembre 1903 apporte à la législation existante des modifications profondes, nous avons jugé opportun et utile, avant de passer au commentaire proprement dit, de donner un exposé sommaire des principes fondamentaux de la loi.

Il va sans dire que pour interpréter et préciser le sens des nouvelles dispositions légales, nous avons eu constamment recours aux travaux préparatoires et aux discussions parlementaires (3). Notre tâche a été faci-

---

(1) Rapport de M. Claeys-Boúúaert au Sénat, p. 4.

(2) Nous n'avons donc pas l'intention de faire la critique des principes fondamentaux qui sont à la base de la loi nouvelle, ni l'examen raisonné des dispositions légales.

(3) I. *Chambre des Représentants*. Session de 1900-1901. *Documents parlementaires* n° 123: Exposé des motifs et texte du projet de loi; n° 302: Rapport de M. Van Cleemputte au nom de la Section Centrale. — Session de 1902-1903: *Documents parlementaires* n°s 61, 132 (Rapport de M. Van Cleemputte au nom de la Commission Spéciale), 141, 144, 152, 177, 185, 188 et 206. *Annales parlementaires*: Séances des 28, 29, 30 janvier 1903; 3, 4, 5, 6, 10, 11, 18, 19, 20, 24, 25, 26 et 27 février 1903; du 4 et 5 mars, 6, 7, 8, 13, 14, 15, 20, 27, 28 et 29 mai 1903; 3, 4, 5, 10, 11, 12, 17, 18, 19, 24, 25, 26 et 30 juin, 3, 9, 10, 14, 15 et 16 juillet 1903.

II. *Sénat*. Session de 1902-1903. *Documents parlementaires* n° 62. Session de 1903-1904. *Documents parlementaires*, n°s 5 et 13 (Rapports des Com-

litée dans une large mesure, grâce à deux très remarquables Rapports présentés, le premier à la Chambre par M. Van Cleemputte (1), le second au Sénat (2) par M. Claeys-Boúúaert. Nous avons eu fréquemment recours à ces magistrales études (3).

PREMIÈRE PARTIE.

Principes fondamentaux de la loi du 24 décembre 1903.

§ 1°. Notion nouvelle de la réparation.

La loi du 24 décembre 1903 apporte une *modification profonde à la législation existante*, basée sur la notion de la faute et sur l'obligation de la réparer (4).

« Dans l'état actuel de notre législation, disait l'exposé des motifs de la loi (5), l'ouvrier victime d'un accident du travail, n'a droit à une indemnité que si

---

missions réunies de la Justice et de l'Industrie et du Travail, présentés par M. Claeys-Boúúaert). *Annales parlementaires*. Séances du 8, 9, 10, 16 et 17 décembre 1903.

(1) Au nom de la Section centrale. — (Séance du 5 novembre 1901). — Voir aussi le *Rapport complémentaire* fait par M. Van Cleemputte au nom de la Commission spéciale et présenté à la Chambre des Représentants.

(2) Réunions du 10, 12 et 13 novembre 1903). Ce rapport a été présenté au nom des Commissions réunies de la Justice et de l'Industrie et du Travail, chargées d'examiner le Projet de loi voté par la Chambre des Représentants.

(3) Nous avons consulté aussi avec fruit l'excellent travail de M. L. Wodon : *La question des accidents du travail devant le parlement belge* (Bulletin du Comité permanent du Congrès international des accidents du travail et des assurances sociales, Paris 1903, n° 3); ensuite le *Commentaire législatif de la loi du 24 décembre 1903*, par L. Coppyn, Bruxelles-Paris 1903.

(4) Voir l'art. 1882 du *code civil* combiné avec l'art. 1135.

(5) Chambre des Représ. Séance du 12 mars 1901.

l'accident est dû à une faute du patron. Encore doit-il prouver cette faute, ce qui, en général, présente de grandes difficultés. A défaut de cette preuve, quelque juste que soit sa demande, il n'y a point d'indemnité pour lui; il n'y en a pas davantage si l'accident est dû à une cause autre que la faute patronale ». Cette législation n'était donc guère favorable à l'ouvrier. La jurisprudence, dans les derniers temps, l'avait corrigée en partie, en étendant la responsabilité patronale et en se montrant de plus en plus large dans l'évaluation des indemnités. Néanmoins, les accidents du travail qui ne donnaient point droit à une réparation étaient de loin les plus nombreux. Au surplus, ces accidents donnaient régulièrement lieu à des procès longs et pénibles, toujours de nature irritante.

Pour remédier efficacement à cette situation, le législateur a transformé profondément le régime ancien basé sur la notion de la faute; et, en ce qui concerne les relations entre patrons et ouvriers il a dérogé au droit commun, et, dans les strictes limites de la loi nouvelle (1), il a créé un droit nouveau. A la base de la loi du 24 décembre 1903 se trouve la théorie du *risque professionnel*, entraînant comme corollaire celle de *l'indemnité forfaitaire*, c'est-à-dire partielle mais certaine, réglée par la loi (2). Ce double principe, dans la pensée du législateur, se rattache au contrat de travail, et à l'obligation qui en dérive pour le patron de veiller à la sécurité de l'ouvrier (art. 11 de la loi du 10 mars 1900). En partant de cette notion, le législateur estimant que les accidents du travail trouvent avant tout leur cause dans l'outillage mécanique de l'industrie moderne, a logiquement introduit dans la loi sur la réparation des dommages résultant des accidents du travail, le principe du *risque professionnel*, c'est-à-dire du risque con-

(1) Hors de ces limites, en effet, le droit commun reprend son empire.
(2) Voir le *Rapport* de M. Claeys-Boúúaert au Sénat, p. 7.

sidéré comme inhérent à la profession, à l'industrie elle-même, inséparable de l'action commune du capital et du travail (1). Dès lors il semble juste de faire supporter, dans une certaine proportion, ce risque par chacune des deux parties contractantes.

La responsabilité du patron est ainsi transformée en une sorte d'abonnement à forfait ou de transaction, l'ouvrier cédant sur le chiffre, et le patron sur le principe même de l'indemnité.

Conséquemment, la réparation des dommages qui résultent des accidents considérés comme inhérents au travail, doit logiquement, être une réparation forfaitaire.

Elle est due, abstraction faite de l'idée de faute soit quasi délictuelle, soit contractuelle. La loi ne se préoccupe pas du point de savoir si l'accident est ou n'est pas imputable à la faute du patron ou à la faute de l'ouvrier. La faute est donc, à un point de vue purement pratique, considérée comme une fatalité du travail, comme un des éléments du risque professionnel.

Que l'accident procède de la faute du patron, de la faute de l'ouvrier, d'une faute commune à l'ouvrier et au patron, qu'il soit dû à une cause inconnue, au cas fortuit: dans tous ces cas, il donne lieu à réparation, mais à une réparation partielle. L'ouvrier est assuré d'être indemnisé en partie; le patron est assuré de ne pas devoir supporter plus qu'une partie de la réparation du dommage (2). Toutes les fautes, que ce soient les fautes du patron, que ce soient celles de l'ouvrier, sont comprises dans l'ensemble du risque professionnel. La loi couvre même la faute lourde de l'ouvrier ou du patron, malgré les raisons sérieuses (3) que l'on a fait

(1) Les statistiques renseignent comme causes des accidents: pour la faute du patron 16 à 20 p. c.; pour la faute de l'ouvrier 20 à 25 p. c.; pour les cas de fautes mixtes, près de 10 p. c.; pour les cas fortuits ou causes inconnues, environ 50 p. c.

(2) Voir le *Rapport* fait, au nom de la Section centrale, par M. Van Cleemputte, p. 42.

(3) Voir le *Rapport* de M. Claeys-Boúúaert, p. 12 s.

valoir contre pareille extension. La difficulté de définir pratiquement la faute grave ou inexcusable, et la perspective d'arriver sans procès au règlement des indemnités, voilà les considérations d'opportunité, étrangères au droit et — il faut bien le reconnaître — à l'équité naturelle, qui ont avant tout (1) inspiré cette solution (2). Le Gouvernement, désireux de ne point compromettre le succès d'une réforme impatiemment attendue, à cédé au puissant courant d'opinion qui s'était formé dans le pays en faveur de la couverture de la faute lourde.

En somme, il n'y a donc que les cas de force majeure (3) et la faute intentionnelle du patron ou de l'ouvrier qui soient exclus du risque professionnel et qui, conséquemment, ne donnent point lieu à réparation. (Art. 21 et 22 de la loi).

Le principe qui est à la base de la loi, c'est donc la réparation obligatoire, à forfait, des dommages résultant de tous les accidents du travail survenus aux ouvriers, même par suite d'une faute lourde.

§ 2°. Champ d'application de la loi.

1. **Entreprises assujetties** (art. 1, 2 et 3). Elles sont réparties en trois groupes :

Le premier groupe comprend, quelle que soit leur importance, qu'elles appartiennent à la grande, à la moyenne ou à la petite industrie, *les entreprises privées*

---

(1) Voir Wodon, *o. c.*, p. 15 s.

(2) Voir la conférence de M. Dejace à la société d'Économie Sociale, Séance du 20 mai 1901. (*Revue générale* 1901)

(3) Le *cas de force majeure* est étranger à l'exploitation, au travail entendu dans le sens de la loi. C'est généralement un phénomène de l'ordre physique, la foudre, les cyclones, les inondations, le tremblement de terre; cé peut être un fait de l'ordre moral, l'invasion, la guerre étrangère, le brigandage, la guerre civile ou l'émeute, etc., etc. Les accidents provoqués par des *cas fortuits* donnent lieu à réparation, parce que, si le cas fortuit échappe aux prévisions humaines, il est censé avoir sa cause dans le fonctionnement de l'industrie. (*Rapport* de M. Van Cleemputte, p. 40 s.)

ou publiques considérées comme offrant quelque danger; elles sont énumérées à l'art. 1, al. 1.

Le second groupe embrasse d'abord les entreprises *industrielles* non comprises dans l'énumération de l'art. 1, al. 1, et qui occupent habituellement cinq ouvriers au moins: ces entreprises n'offrent par elles-mêmes que des risques très faibles, à moins qu'elles n'aient une certaine importance: le fait de l'agglomération d'un certain nombre d'ouvriers crée ordinairement un danger spécial. — Le second groupe comprend ensuite les *exploitations agricoles* (1) et les *magasins de commerce*, mais pour autant seulement qu'on y emploie habituellement trois ouvriers au moins. (Art. 1, al. 2).

Enfin, *le troisième groupe* se compose de toutes les entreprises quelconques non comprises dans les deux premiers groupes et qui peuvent être assujetties à la loi, par arrêté royal, lorsque le caractère dangereux de l'exploitation a été reconnu. (Art. 1, al. 3).

Enfin, la loi (art. 3), *autorise* les chefs d'entreprises non assujetties, moyennant des formalités très simples (ibid.), à se soumettre volontairement au régime nouveau de réparation des accidents. Les patrons qui éprouveraient quelque doute sur le point de savoir si leur exploitation tombe sous l'action de la loi, trouveront dans cette disposition un moyen d'échapper à l'incertitude (2).

2. **Personnes admises au bénéfice de la loi.** Sont admis au bénéfice de la loi, lorsqu'ils relèvent d'une entreprise assujettie, les ouvriers qui s'engagent par le contrat de travail régi par la loi du 10 mars 1900 (3).

---

(1) Les conditions économiques et de *l'agriculture* étant totalement différentes, une législation spéciale s'impose pour l'agriculture. Aussi le Gouvernement a-t-il annoncé l'intention de la préparer dès que les circonstances le permettront.

(2) Voir Wodon, *o. c.*, p. 13.

(3) Le principe de la réparation forfaitaire se rattache, dans la pensée du législateur, au contrat de travail.

Cette loi s'applique aux ouvriers qui s'obligent à travailler sous l'autorité, la direction et la surveillance d'un chef d'entreprise ou patron, moyennant une rémunération à fournir par celui-ci et calculée, soit à raison de la durée du travail, soit à proportion de la quantité, de la qualité ou de la valeur de l'ouvrage accompli, soit d'après toute autre base arrêtée entre parties. Les chefs ouvriers et les contremaîtres sont compris parmi les ouvriers (1). Toutefois, la loi du 24 décembre 1903 (art. 1, al. 2), assimile aux ouvriers, les apprentis, même non salariés, ainsi que les employés qui, à raison de leur participation directe ou indirecte au travail, sont soumis aux mêmes risques que les ouvriers et dont le traitement annuel, fixé par engagement, ne dépasse pas 2400 francs (2).

3. **Accidents donnant lieu à réparation.** Ce sont ceux qui surviennent *dans le cours et par le fait de l'exécution du contrat de travail* (art. 1), c'est-à-dire pendant le temps où l'ouvrier se trouve placé sous l'autorité du patron, dans les conditions que définit la loi déjà citée du 10 mars 1900. Lorsque ces conditions se trouvent réunies, il importe peu que l'accident se produise pendant l'accomplissement du travail ou dans les intervalles de repos. L'ouvrier devra, le cas échéant, établir que l'accident est arrivé *dans le cours* de l'exécution, mais non qu'il est arrivé *par le fait* de l'exécution : en vertu de l'art. 1, al. 3 « l'accident survenu dans le cours de l'exécution est présumé, jusqu'à preuve du contraire, survenu par le fait de cette exécution ».

La loi s'applique à tous les accidents ayant occasionné soit la mort de la victime (art. 6), soit une incapacité de travail de plus d'une semaine (art. 4). Comme nous l'avons déjà dit, par suite du forfait indi-

(1) Voir Wodon, *o. c.* p. 13.

(2) Sont donc exclus tous ceux qui ne rentrent pas dans le terme précis « ouvriers », p. ex. les domestiques, les servantes, garçons de café, etc.

visible — le forfait étant un bloc de responsabilités et de risques compensés ou partagés — la loi ne se préoccupe pas du point de savoir si l'accident est ou n'est pas imputable à la faute du patron ou à la faute de l'ouvrier, sauf pour le cas où un accident est causé par la faute *intentionnelle* du patron ou de l'ouvrier (art. 21 et 22). « Même en cas de faute lourde de l'ouvrier, la réparation forfaitaire est due. Même en cas de faute lourde du patron, l'ouvrier n'a droit qu'à la réparation forfaitaire. On ne rentre dans le droit commun que si le patron a provoqué intentionnellement l'accident, auquel cas il doit la réparation intégrale du préjudice conformément au droit commun — ou que si l'ouvrier ou ses ayants droit ont provoqué *intentionnellement* l'accident, auquel cas ils n'ont droit à aucune indemnité » (1).

§ 3°. Nature et montant des indemnités.

La réparation due par le chef d'entreprise comprend :

1. *Dans tous les cas d'accident*, à partir du jour où celui-ci est survenu, *la totalité des frais médicaux* et pharmaceutiques pendant un délai de six mois (voir art. 5).

2. *Une indemnité pécuniaire*, représentant une fraction du salaire (en principe 50 p. c.) *dans tous les cas d'accident entraînant soit le décès de la victime* (art. 6), *soit une incapacité de travail, totale ou partielle, permanente ou temporaire de plus d'une semaine* (art. 4).

Les petits accidents pouvant être mis à la charge des sociétés mutualistes, la loi n'impose l'indemnité pécuniaire que pour les accidents entraînant une incapacité de travail d'au moins huit jours, mais avec retroactivité éventuelle à partir du jour qui suit l'accident, pour le cas où les conséquences dommageables de l'accident dépassent la semaine (art. 4). — En outre, lorsque

(1) Wodon, *o. c.* p. 14 s.

l'accident a causé la mort de la victime, il est alloué, le cas échéant, une somme de 75 francs pour *frais funéraires*.

Les dispositions légales variant d'après les suites de l'accident, nous renvoyons, pour les détails, au commentaire des articles. Contentons-nous d'observer que l'indemnité pécuniaire est due à la victime, et, en cas de mort, à certaines catégories d'ayants droit (art. 6); elle est, en règle générale, allouée sous la forme d'une rente viagère si l'incapacité de travail est permanente, et sous la forme d'une rente viagère ou temporaire, s'il s'agit d'un accident mortel (1).

Notons enfin que du principe de la réparation forfaitaire découle logiquement la réparation partielle. Étant donné, en effet, que le risque-accident pèse sur le contrat de travail et sur les deux parties, patrons et ouvriers, qui concourent à son exécution, il est juste qu'une partie du dommage subi soit mis à la charge du patron, et que l'autre partie soit supportée par l'ouvrier. La loi répartit les conséquences dommageables en imposant pour moitié la réparation au patron, ce qui, à défaut de base précise, semble la solution la plus conforme à l'équité (2).

§ 4°. Des garanties de la réparation.

Du principe de l'indemnité forfaitaire et fixe découle, comme conséquence rigoureuse, la certitude de la réparation, la garantie du paiement effectif de l'indemnité. L'ouvrier a droit, sous ce rapport, à une sécurité absolue (3).

Des débats aussi intéressants que passionnés ont eu lieu au sujet des mesures à prendre pour réaliser cette certitude de la réparation. La Chambre a rejeté suc-

(1) Voir Wodon, *o. c.* p. 7.
(2) Voir *l'Exposé des motifs*.
(3) Rapport de M. Claeys-Boúúaert, p. 16 s.

cessivement le principe séduisant de l'assurance obligatoire corporative, à la façon allemande, et le principe de l'obligation de l'assurance avec liberté du choix de l'assureur. Elle n'a pas admis que l'assurance obligatoire seule puisse procurer à l'ouvrier la certitude de la réparation.

Dans le système de la loi, la certitude de la réparation est réalisée par des mesures multiples. Les voici, en substance:

La réparation est individuellement mise à la charge des chefs d'entreprise, qui sont tenus sur tous leurs biens (art. 4, 5, 6 et 10); lorsqu'elle comporte une rente, le patron est tenu, dans un délai fixé, de constituer le capital de la rente à la Caisse générale d'épargne et de retraite ou à un autre établissement officiellement agréé, soit de fournir des sûretés pour la constitution éventuelle de ce capital (art. 14).

Toutefois, les chefs d'entreprise ont la faculté de s'exonérer de ces diverses obligations en transférant la charge à un établissement d'assurance reconnu par l'État. Ils peuvent à cet effet traiter soit avec la Caisse générale d'assurance sous la garantie de l'État (art. 35), soit avec un autre établissement agréé par l'État, caisse commune d'assurance (mutualité patronale) ou compagnie d'assurances à primes fixes (art. 17). *En outre, la loi institue (art. 20) un fonds de garantie contre l'insolvabilité patronale, fonds alimenté par des cotisations mises à la charge des chefs d'entreprise non assurés par une société agréée.*

Notons enfin que la créance de la victime est privilégiée (art. 15), incessible et insaisissable, sauf pour cause d'obligation alimentaire légale (art. 13).

Il semble donc bien que la loi donne aux victimes d'accidents une entière sécurité. Elle laisse le champ ouvert à toutes les combinaisons d'assurance et de mutualité. La liberté, si conforme à nos traditions et à notre caractère national, ne doit être sacrifiée que dans

le cas de nécessité rigoureuse. Comme l'a dit M. Van Cleemputte : « S'il est démontré, dans la suite, que ce système présente des défauts graves, il sera toujours loisible de recourir même à l'assurance obligatoire sous telle de ses formes que l'expérience aura démontré être la meilleure » (1).

§ 5°. Règlement de la réparation.

Les dispositions de la loi ont pour but d'obtenir un règlement *prompt* et *facile* de la réparation.

Tout accident survenu à un ouvrier au cours de son travail et qui a occasionné ou est de nature à occasionner soit la mort de la victime, soit une incapacité de travail, doit être *déclaré*, dans les trois jours, par un écrit émané du chef d'entreprise ou de son délégué à l'inspecteur du travail, ainsi qu'au greffe de la juridiction compétente, sous peine d'une amende de 5 à 25 francs (art. 24 et 25).

Les *contestations* en matière d'indemnités sont jugées par le juge de paix du canton où l'accident s'est produit. Il statue en dernier ressort jusqu'à la valeur de 300 francs ; pour les litiges d'une importance plus grande il y a appel devant le tribunal de première instance. — Néanmoins les Caisses communes d'assurance agréées peuvent substituer à la juridiction du juge de paix celle d'une commission arbitrale composée d'un nombre égal de patrons et d'ouvriers et présidée par un magistrat (art. 26).

§ 6°. Régime spécial des Caisses communes de prévoyance en faveur des ouvriers mineurs.

La situation des exploitants de mines qui sont affiliés aux Caisses communes de prévoyance en faveur des ouvriers mineurs organisées en vertu de la loi du 28 mars 1868, appelait des mesures spéciales. Le

(1) *Rapport*, p. 21 s.

Gouvernement, se rangeant à l'opinion de la Section centrale, s'est prononcé pour le maintien de ces caisses, à la condition toutefois d'une complète réorganisation. Le mode de réorganisation est déterminé par l'art. 38 de la loi.

§ 7°. Dispositions générales et transitoires.

Pour achever l'analyse de la loi, il importe de mentionner quelques dispositions d'ordre général qui complètent le système adopté.

1° La loi (art. 34) décrète l'organisation, auprès du ministère de l'Industrie et du Travail, d'un comité technique consultatif, qui portera le nom de *Commission des accidents du travail*. La présente loi lui a dévolu certaines attributions p. ex. dans l'agréation des établissements d'assurance (art. 18), la fixation des contributions au fonds de garantie (art. 20) etc.

2° *La Caisse générale d'épargne et de retraite* sous la garantie de l'État est autorisée à traiter des opérations d'assurance contre les risques d'accidents prévus par la présente loi. Les conditions générales ainsi que les tarifs de ces assurances seront approuvés par arrêté royal (art. 35).

3° Les polices d'assurance, antérieures de six mois à la date de la mise en vigueur de la loi et relatives aux risques d'accidents du travail *dans les entreprises soumises à la dite loi*, pourront, dans l'année de l'entrée en vigueur, être dénoncées par l'assureur ou l'assuré (art. 36).

4° La présente loi ne sera applicable que six mois après la publication du dernier des arrêtés royaux qui doivent en régler l'exécution. Ces arrêtés seront pris dans le délai d'un an à partir de la publication de la loi (art. 37).

5° Tous les trois ans, le Gouvernement fera rapport aux Chambres sur l'exécution de la présente loi.

*
* *

Tels sont, esquissés à grands traits, les principes fondamentaux de la loi du 24 décembre 1903. L'idée dominante qui a inspiré le législateur a été « de mettre fin à des procès longs et irritants, à des situations pénibles souvent poignantes ; d'améliorer les relations entre ouvriers et patrons et d'obtenir un apaisement social. Espérons que la noblesse et la générosité du but ne seront pas contrariées par les difficultés de la pratique et l'imprévu des résultats » (1).

A. C.

(A suivre).

(1) *Rapport* de M. Claeys-Boúúaert, p. 8.

Jurisprudence administrative

I

Fabrique d'église. — Compte. — Remises allouées au trésorier. — Produit de collectes faites pour l'acquisition et le placement d'un maître autel. — Indemnité au prêtre habitué ou auxiliaire.

Un arrêté royal (1), en date du 25 décembre 1903, réforme l'arrêté de la députation permanente du Conseil provincial du Hainaut, du 19 décembre 1902, en ce qui concerne l'article 41 (remises allouées au trésorier) des dépenses du compte, pour l'exercice 1901, de la fabrique de l'église du Sacré-Cœur de Jésus, à Thiarmont-Belle-Tête, (commune d'Écaussinnes-d'Enghien).

La somme de 38 fr. 53 c., admise par la dite députation permanente à l'article 41 des dépenses, est réduite à 33 fr. 87 c. (2).

Le même arrêté royal rejette le recours du dit conseil de fabrique dirigé contre l'arrêté précité de la députation permanente, en tant que cet arrêté a apporté au compte susmentionné les modifications suivantes :

1° Inscription d'une somme de 93 fr. 8 c. à l'article 28 des recettes (produit de collectes faites pour l'acquisition et le placement d'un maitre-autel).

2° Suppression de la somme de 125 frs. inscrite à l'article 38 des dépenses (indemnité au prêtre habitué ou auxiliaire. (3)

---

(1) Voir : *Moniteur*, 6 Janvier 1904, p. 164.

(2) Voir : De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Can. et Can. Civ. Compend.*, 7a edit., T. II, p. 545 (formulaire des fabriques, nº 19, 41); Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9me édit., p. 320, 580; Leroy, *Instructions des fabriques d'églises*, Tournai, 1883, p. 80; *Coll. Brug.*, T. V, p. 270; *Rev. Cath. de Droit*, T. II, p. 23.

(3) Un recours spécial de la fabrique contre cette modification, a été rejeté par un ar. roy. du 3 Février 1904 (*Moniteur*, 12 Février, p. 679).

Observations.

Cette décision, en tant qu'elle confirme la suppression de l'indemnité au prêtre habitué ou auxiliaire mérite d'être annotée.

Les prêtres habitués ou auxiliaires sont des ecclésiastiques qui sans obtenir généralement la juridiction nécessaire pour l'administration des Sacrements, sont chargés de venir en aide aux curé et vicaires, en remplissant certaines fonctions du service religieux où administratif de l'église (1). Il en est question aux articles 30 et 31 du Décret de 1809. Partant d'une interprétation diverse des articles 38 et suivants du même décret, les auteurs ne sont point d'accord, pour déterminer le caractère des traitements alloués à ces ecclésiastiques par les administrations fabriciennes. Les uns considèrent ces dépenses comme facultatives, les autres comme obligatoires (2). L'examen du décret de 1809 prouve plutôt que les prêtres habitués n'ont point droit à un traitement annuel de la fabrique, mais qu'ils ont pour vivre les subsides que la fabrique peut leur donner, les honoraires, etc. (3)

Il en suit que cette administration *peut*, après avoir fait face aux dépenses obligatoires, inscrire en ses budget et compte une allocation au profit de ces ecclésiastiques, comme la commune a la faculté de le faire, intervention communale qui se justifie par des raisons de droit et d'intérêt. La Jurisprudence administrative n'a pas nettement déterminé le caractère de ces dépenses. La circulaire ministérielle du 15 Mai 1885 porte seulement que le poste « Indemnité aux prêtres habitués » doit continuer à être admis dans les comptes

---

(1) Voir : Téphany, *Guide de l'administration temporelle des paroisses*, 2 vol. Paris, Vivès, 1877, T. I, p. 179 ss. ; Leroy, *op. cit.*, p. 78-79.

(2) *Rev. Cath. de Droit*, T. IV, p. 95-96. — Moulart, *op. cit.*, p. 290 ; De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, p. 369, n° 1075 ; Leroy, *op. cit.*, Annexes, p. XCVII ; *Coll. Brug.*, T. I, p. 95.

(3) Moulart, *l. c.*

et budgets des fabriques (1), et les deux arrêtés royaux du 16 et du 22 Mars 1901 (2), qui ont rétabli aux budgets ces crédits rejetés par la députation permanente, ne semblent point trancher la question, vu qu'ils ne nous disent pas si la commune invitée à suppléer dans le cas, à l'insuffisance des ressources fabriciennes a émis un vote défavorable. La comparaison des deux arrêtés précités et de ceux du 25 Décembre 1903 et du 3 Février 1904, pourrait être plutôt une confirmation de la nature facultative en droit civil-ecclésiastique, des indemnités payées par la fabrique aux prêtres habitués ou auxiliaires.

II

Fabrique d'église. — Compte. — Blanchissage et raccommodage du linge.

Un arrêté royal en date du 10 Janvier 1904, (3) réforme l'arrêté du 23 Octobre précédent, par lequel la députation permanente du conseil provincial du Hainaut a rejeté la somme de 150 francs, inscrite à l'article 9 des dépenses (blanchissage et raccommodage du linge), du compte, pour l'exercice 1902, de la fabrique d'église de Saint Martin à Naast. La dite somme est rétablie.

A. D. M.

---

(1) Cf. la dépêche de M. Woeste au Gouverneur de la Fl. Occid. en date du 6 Octobre 1884 ; De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*, p. 366.

(2) Moniteur, 25-26 Mars, p. 1280 ; 28 Mars, p. 1336. Le premier arrêté se rapporte à une modification introduite par la députation permanente à l'article 36 des dépenses (supplément de traitement au clerc ecclésiastique) du budget.

(3) Moniteur, 13 Janvier 1904, p. 249.

Jurisprudence des cours et des tribunaux

Presbytère. — MODIFICATIONS APPORTÉES PAR LE DESSERVANT. — DROIT DE JOUISSANCE.

Cassation (1ère chambre), 4 juin 1903.

(Pasicrisie, 1903, I, 275).

(Commune de Vielsalm c. Noël).

La Cour, — Sur le moyen unique accusant la fausse interprétation, la fausse application et partant la violation de l'article 44 du décret du 30 décembre 1809 sur les fabriques d'église, de l'art. 72 de la loi du 18 germinal an X relative à l'organisation des cultes et de l'art. 131, 13° de la loi communale belge de 1836 qui déterminent les droits et obligations respectifs des communes et des ministres des cultes en ce qui concerne les presbytères, de l'art. 544 du Code civil qui définit le droit de propriété, en tant que de besoin, des articles 1728, 1729, 1732 et 1741 du Code civil relatifs aux droits respectifs des bailleurs et des preneurs, — en ce que la décision attaquée a jugé qu'un ministre du culte qui a obtenu d'une commune le logement prescrit par la loi a le droit de faire à ce logement des démolitions, même contre le gré de la commune propriétaire, pour l'approprier à ses prétendues convenances, notamment par l'aménagement d'une salle qu'il met à la disposition d'une société qu'il préside, et qu'il satisfait à ses obligations en se déclarant prêt à remettre les choses en leur premier état lorsqu'il quittera le presbytère;

Attendu que, quelle que soit, dans le silence de la loi, la nature juridique des rapports qui naissent entre le curé ou desservant d'une paroisse et la commune qui lui fournit le logement dans un immeuble dont elle est propriétaire, on

ne peut contester à l'occupant le droit d'effectuer son installation dans la maison et ses dépendances selon ses convenances personnelles, du moment où il ne détruit ni ne dégrade point l'immeuble, ou ne l'affecte pas à une destination autre que celle pour laquelle la jouissance lui en a été concédée;

Attendu que l'action sur laquelle a statué le jugement dénoncé tendait uniquement au rétablissement dans son pristin état d'une annexe du presbytère, que la commune de Vielsalm reprochait au défendeur d'avoir modifiée sans titre ni droit;

Qu'à cet égard il conste du jugement que le défendeur a simplement transformé en un local habitable une écurie dont il n'usait pas pour mettre des chevaux; que pour réaliser ce changement il n'a rien détruit, mais s'est borné à détacher les cloisons des boxes et à les remiser soigneusement, prêtes à être replacées au besoin, ce qu'il reconnait devoir faire à ses frais à la fin de sa jouissance;

Attendu que de ces constatations souveraines le juge a déduit avec raison, et sans contrevenir à aucune des dispositions légales visées au pourvoi, que le défendeur n'a commis aucun abus de jouissance à l'égard de l'immeuble et qu'en conséquence la commune devait être déboutée des fins de sa demande;

Attendu que le juge du fond n'ayant pas été appelé à se prononcer sur le point de savoir si, abstraction faite des modifications de lieux incriminées, le défendeur avait abusé de son droit de jouissance en affectant une partie du presbytère à l'usage des membres d'une société privée, les considérations énoncées à ce sujet dans le jugement et relevées par le pourvoi ne constituent point la chose jugée et ne tombent pas dès lors sous le contrôle de la Cour de cassation;

Que le moyen doit donc être rejeté comme non fondé et comme manquant de base en fait;

Par ces motifs, *rejette*...

(Du 4 juin 1903. — *Prés.* M. Van Maldeghem, ff. président. — *Rapp.* M. Richard. — *Concl. conf.* M. Terlinden, premier avocat gén. — *Plaid.* MM. Picard et Woeste).

Le desservant de Salm-château avait reçu de la commune de Vielsalm, à titre de presbytère et sans réserves de sa part, un local auquel étaient annexées des écuries avec boxes pour chevaux et une sellerie. Le curé transforma ces annexes en salle de patronage. Sur ce, la commune lui intenta une action du chef d'abus de jouissance. Un jugement de la justice de paix de Vielsalm débouta la demanderesse et la condamna aux frais et dépens. Ce jugement fut confirmé par une décision du tribunal civil de Marche, en date du 12 Juillet 1902 (1), « attendu que l'intimé a bien apporté certaines modifications aux annexes du dit presbytère, afin de rendre celles-ci plus aptes à ses convenances, mais qu'il est acquis que ces appropriations ont été faites avec soin, qu'elles sont relativement peu importantes et que l'intimé reconnait qu'il doit à la fin de sa jouissance remettre à ses frais, les choses en leur état primitif;.... » et « qu'en faisant à l'espèce actuelle application par analogie des articles 1728 et 1729 du C. c., il y a lieu de décider que les griefs de l'appelante sont sans fondement ».

La Commune se pourvut en Cassation. La Cour dans son arrêt du 4 Juin 1903, a rejeté le pourvoi et confirmé le jugement d'appel.

Observations.

1° La cour dans le silence de la loi, ne se prononce pas sur la question de savoir, quelle est la nature du droit du curé sur le presbytère et ses dépendances. (2) Elle

(1) Voir ces deux jugements dans la *Revue Catholique de droit*, T. VI, p. 95-96.

(2) Sur la controverse qui existe à ce sujet entre les auteurs, voir, Lauwers, *Code de droit civil-ecclésiastique*, Bruges, 1859, p. 297 ss.; *Le Mémorial*, T. VIII (1880), col. 1-27; Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9me edit.; Louvain, 1899, p. 387 s.; *Coll. Brug.*, T. IV, p. 191 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can. civ. Compend.*, edit. 7a, T. II, p. 375 s., n° 1081. — de Corswarem, *Uitlegging der wetten en dekreten over de Kerkfabrieken*, Hasselt, 1894, p. 25-27; *Het Vlaamsch Bestuur*, T. VIII, p. 283; T. X, p. 339 ss.; T. XII, p. 326. — *Rev. cath. de droit*, T. II, p. 173 ss.

se contente de le qualifier de *droit de jouissance* et en déduit le droit pour le curé d'effectuer son installation *selon ses convenances personnelles*. Antérieurement dans un arrêt du 4 Novembre 1875 (1), elle avait établi une distinction entre les presbytères rendus à leur destination par l'art. 72 de la loi de Germinal et ceux qui font l'objet du décret du 6 Novembre 1813 ; sur les premiers les curés ou desservants n'auraient qu'un droit personnel de jouissance, sans aucun droit réel ni à titre d'usufruit, ni à quelqu'autre titre ; sur les autres, ils exerceraient les droits d'usufruit. (2)

La justice de paix de Vielsalm et le tribunal civil de Marche avaient appliqué aux relations juridiques entre la commune et le desservant, concernant le presbytère litigieux les principes du contrat de louage. Voir dans le même sens un jugement du tribunal de Liège en date du 31 Juillet 1890 (3) ; un jugement du tribunal de Verviers du 20 Novembre 1901 (4), citant à l'appui de ses considérants (trib. de Liège, *Journal des tribunaux*, T. XXIV, p. 62 ; Bruxelles, 12 Février 1887).

2° Il a été jugé en Belgique, que la transformation du presbytère en exploitation agricole constitue un abus de jouissance (5) — en France, que le curé commettait un abus en convertissant un jardin légumier en terre labourable ou une partie notable de jardin en luzernière (6).

3° La Cour ne se prononce pas sur la question de savoir si le desservant n'avait pas abusé de son droit en transformant les dites annexes en local de patronage, ce point ne constituant pas la chose jugée. La justice

---

(1) *Pasicr.*, 1875, I, 395.

(2) Moulart, *o. c.*, p. 192 ss. ; p. 388 s. ; *Rev. cath. de droit*, *l. c* — *het Vlaamsch Bestuur*, T. X, p. 341 s.

(3) *Het Vlaamsch Bestuur*, T. VIII, p. 285.

(4) *Pasicr.*, 1902, III, 22 ; *Rev. cath. de droit*, T. V, p. 19-22.

(5) Jugement cité du tribunal de Verviers, 20 Nov. 1901.

(6) Caulet, *L'avocat du clergé*, Paris, 1897, p 392. Voir aussi. *Le Mémorial*, T. X (1882), col. 793-804.

de paix de Vielsalm avait opiné pour la négative, « attendu que l'entrée du local ainsi formé n'est pas publique, mais est réservée à une petite société présidée par le défendeur et qu'il serait ridicule de prétendre que le prêtre habitant un immeuble communal n'est pas libre d'inviter et d'introduire dans son presbytère ou ses dépendances qui il lui plait ». A l'encontre de ce considérant la défenderesse avait fait valoir dans le pourvoi signé par elle que « les modifications avaient été faites à l'immeuble pour l'approprier *à ses prétendues convenances,* notamment par l'aménagement d'une salle qu'il met à la disposition d'une société qu'il préside ». Cette considération trouverait un fondement dans le dit arrêt de 1875; dans lequel la Cour restreint le droit du curé à un droit exclusivement personnel d'usage et d'habitation, règlé par les articles 630 et ss. du C. c., en vertu duquel il ne pourrait louer ni en tout ni en partie, ni laisser habiter un étranger, ni l'affecter à une autre destination qu'à ses usages strictement personnels (1). Par application de ce principe le gouvernement libéral a, lors de la lutte scolaire interdit au curé de tenir école dans le presbytère et d'y loger un instituteur. Le curé ne pourrait pas non plus faire servir les annexes de l'immeuble à une salle de réunion d'un patronage. Le rappel très clair de cette théorie excessive dans les attendus de la Cour de Cassation, donne à réfléchir.

A. D. M.

---

(1) *Le Mémorial,* T. VIII (1880), col. 29-36, 41-46; De Brabandere-Van Coillie, *l. c.;* de Corswarem, *l. c.;* voir une circulaire ministérielle du 23 Oct. 1879 (*Mémorial,* T. VII (1879), col. 741-745); un arrêt de la cour d'appel de Liége dans l'affaire de Zepperen (*ibid.*, T. VIII (1880), col. 675-679); un jugement du tribunal de Huy (*ibid.*, T. IX (1881), col. 361-369); un jugement du tribunal de Bruxelles, 20 Mars 1880 (Caulet, *o. c.*, p. 392, note 4me).

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Avril

Les conseils de fabrique s'assembleront en séance ordinaire, le jour de Pâques, 3 Avril. L'avertissement de cette séance sera publié le dimanche précédent au prône de la grand'Messe.

L'ordre du jour comprendra, outre l'achèvement s'il y a lieu, de la vérification du compte (1), le remplacement éventuel, au conseil et au bureau des membres décédés, démissionnaires etc. (2), le renouvellement du mandat des dignitaires du conseil, la réélection ou le remplacement du marguillier le plus ancien en exercice. Celui-ci, comme les dignitaires du conseil et du bureau est rééligible.

La marche régulière de ces élections requiert qu'elles se fassent en présence de plus de la moitié des membres du conseil complet, (3) au scrutin secret, à la majorité absolue et que procès verbal en soit dressé, consigné au registre des délibérations et signé par tous les membres présents.

Le même jour le bureau nomme ou renouvelle ses président, secrétaire et trésorier. (4)

En dans la quinzaine qui suit le 1er Dimanche d'Avril, le résultat des élections faites et l'état complet de la composition du conseil et du bureau, avec indication de la date d'élection et de nomination de chaque membre, seront transmis à l'autorité diocésaine (5).

---

(1) Cf. *Coll. Brug.*, T. I, p. 205.

(2) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Can. et Can. Civ. Compend.*, edit 7a, T. II, p. 288 ss., nº 990; p. 293 ss., n. 997.

(3) Cf. *Coll. Brug.*, T. I, p. 40.

(4) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. 318 ss., nº 1034.

(5) Voir, *Calend. lithurg. dioc. Brug.*, an. 1904, p. 117, VI; *Coll. Brug.*, T. I, p. 206-207; T. VIII, p. 203.

Voir les instructions données précédemment dans les *Coll. Brug.*, T. I, p. 205-208; T. II, p. 143-148; T. III, p. 178 s.; T. V, p. 256-258; T. VIII, p. 201-204.

Consultationes

I

Quæritur. Recenti decreto Reverendissimi Episcopi Brugensis, diei 11 Novembris 1903, præscribitur ut in laudibus SS. Sacramenti loco antiphonæ B. M. V. cantentur litaniæ Lauretanæ.

Qua de re quæritur:

1° quænam oratio sit cantanda post litanias?

2° utrum liceat cantare successive tres invocationes, semel tantum addendo *ora pro nobis?*

Respondetur. Ad 1m. Vel cantari possunt versiculus, responsorium et oratio quæ sunt propria litaniis Lauretanis et habentur « in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis » (1): V. *Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.* R. *Ut digni efficiamur...* Oremus, *Concede nos famulos tuos.*

Vel, juxta decretum S. R. C. 7 Dec. 1900, ad 1m, « versiculus, responsorium et oratio post dictas litanias mutari possunt pro temporis diversitate » (2), v. g. secundum B. M. V. festum occurrens aut antiphonam de tempore.

In utroque tamen casu hæc addi debent immediate post tertium *Agnus Dei*, omissis *Christe audi nos*, etc. (3).

---

(1) S. R. C. 6 Mart. 1894 et 28 Nov. 1895 cum adnotationibus ap. *Coll. Brug.* I, 32.

(2) S. R. C. 7 Dec. 1900, ap. *Coll. Brug.* VI, 375.

(3) S. R. C. 7 Dec. 1900, ad 1, *Coll. Brug.* VI, 375, coll. T. I, p. 33.

Ad 2m. Affirmative. Licet enim in decreto S. R. C. 6 Dec. 1901 (1), non expresse asseratur post trinam invocationem semel dumtaxat cantari *ora pro nobis*, hoc implicite affirmatur ex eo quod talis est revera mos qui in citato decreto allegatur et approbatur.

II

Quæritur. In precibus in congregationibus B. M. V. recitari solitis, dicto ultimo litaniarum Lauretanarum *Agnus Dei*, additur: *Christe audi nos; Christe exaudi nos; Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster... Memento congregationis tuæ*, etc. cum oratione « *Defende quæsumus Domine...* » An hæc servari possunt?

Respondendum censemus: 1/ delenda esse verba *Christe audi nos, Christe exaudi nos,* quæ non aliter inserta sunt quam ad concludendas litanias. Hoc autem prohibetur decreto 7 Dec. 1900, in præcedenti responso citato.

2/ Cetera omnia servari posse. Nam verba *Kyrie eleison* etc. jam non pertinent ad litanias sed constituunt formulam consuetam qua incipiunt « preces » quæ in breviario et aliis cæremoniis recitari solent. Oratio autem *Defende* longo usu probata, aptissime convenit familiæ congregationis coadunatæ (2) eique propria censeri potest.

Et ex citato decreto non tantum apparet orationem mutari posse pro temporis diversitate, sed inferri posse videtur litanias stricto sensu absolvi post ultimum *Agnus Dei:* « Litaniæ Lauretanæ *concludendæ* sunt ut in Appendice Ritualis Romani, omissis Christe audi nos, etc.; versiculus autem... *post* dictas Litanias... » Confirmatur ex *Raccolta* (3) quæ concedens indulgen-

(1) Cf. *Coll. Brug.* VII, 160.

(2) « Defende quæsumus, Domine, Beata Maria Virgine intercedente, *istam... familiam et toto corde tibi prostratam...* »

(3) Edit. 1898, n. 139, p. 236.

tias recitationi litaniarum Lauretanarum adnexas, harum litaniarum textum absolvit ad tertium *Agnus Dei*, ceteris omnibus omissis.

C. C.

Libri dijudicantur.

Compendium prælectionum Juris Regularis *Adm. R. P. Piati Montani, ad recentissimas leges ecclesiasticas redactum auctore* P. VICTORIO AB APPELTERN, *ejusdem Ord. et Prov. lectore.* Tornaci Casterman, 1903. In-8°, XXI — 657 p.

Annis 1896-1898 doctissimus Fr. Piatus duplici tomo edidit suas *Prælectiones juris regularis,* cujus operis præclara merita non ignorant lectores hujus periodici (1); hisce autem ultimis annis multum immutatum est jus regulare, maxime quod attinet Instituta votorum simplicium, adeoque complendæ ac immutandæ erant laudatæ Prælectiones in nova editione, quæ mox e prelo exibit. Interim P. Victorius ab Appeltern redegit illarum Prælectionum compendium, usui scholarum juris regularis accommodatum, seu ut ipse præfatur « Manuale hujusce præclari operis, quod breviori extensione tempori parcit, simpliciori rerum expositione menti majorem claritatem affert, dum memoria res ita facilius custodit ».

Hujus compendii indolem breviter describimus. Quoad *formam,* imitatur satis perfecte ipsas *Prælectiones:* videlicet in limine ponuntur fontes seu collectiones et auctores. — Cur ibi non indicatur modo accurato cum anno et loco editio, quæ citatur in libro, quod facili negotio additur et valde utile est, imo sæpe neces-

(1) Cfr. *Collationes Brugenses,* T. IV, p. 318 sqq.

sarium? — In corpore, ut plurimum citantur, et merito quidem, fontes et auctores in notis, et in exponendo doctrinam proceditur per quæstiones et responsa, quæ methodus multis minus placebit. Laudandus tamen est Auctor *Compendii* quod quæstionum numeros disposuerit juxta seriem continuam, ita ut simpliciter per quæstionis numerum citatio fieri jam possit. In fine minus opportune omissa est tabula analytica rerum, quæ ad calcem secundi voluminis *Prælectionum* invenitur.

Quoad *doctrinam* ipsam, vere dici potest *Compendium* exhibere medullam doctrinæ, quam præclare proponit et fulcit et vindicat eximium ac multo celebratum opus Fr. Piati. Dividitur in quinque partes, quarum 1ª agit de natura, origine et varietate status religiosi, ubi parcius omnino tractatur respectus historicus, attentis præsertim recentiorum inquisitionibus circa monachismum; 2ª agit de professione religiosa; 3ª de religiosorum obligationibus; 4ª de eorum gubernatione, ac 5ª de eorum privilegiis. Omittitur pars 6ª *De judiciis, delictis et pœnis* (T. II, p. 365-649). Plures tamen quæstiones in *Prælectionibus* vel non sufficienter expositas vel etiam omissas plenius et magna cura tractat Auctor *Compendii*, quod notatim *ad recentissimas leges ecclesiasticas redactum* merito inscribitur; identidem etiam reliquit, ut minus probabilem, sententiam apud Fr. Piatum propositam.

Quæ brevis descriptio satis ostendit quam utile opus executus sit Cl. P. Victorius ab Appeltern atque adeo quantopere commendandum sit occupatis vel occupandis studio juris regularis.

H. M.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ APOSTOLICÆ DE ACADEMICIS IN SACRA SCRIPTURA GRADIBUS A COMMISSIONE BIBLICA CONFERENDIS.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Scripturæ sanctæ magis magisque in Clero promovere studium, conscientia Nos Apostolici officii in primis admonet hoc tempore, quum eum maxime divinæ revelationis fideique fontem videmus ab intemperantia humanæ rationis passim in discrimen adduci. Id ipsum quum intelligeret Noster fel. rec. decessor Leo XIII, non satis habuit dedisse anno MDCCCXCIII proprias de re biblica Encyclicas litteras *Providentissimus Deus;* nam paucis ante exitum mensibus, editis Apostolicis litteris *Vigilantiæ,* peculiare instituit ex aliquot S. R. E. Cardinalibus pluribusque aliis doctis viris urbanum Consilium, quod, prælucente doctrina et traditione Ecclesiæ, etiam progredientis eruditionis præsidia conferret ad legitimam exegesim biblicam, et simul catholicis præsto esset, tum ad adjuvanda ac dirigenda eorum in hoc genere studia, tum ad controversias, si quæ inter ipsos extitissent, dirimendas.

Nos quidem, ut par est, præclarum istud pontificalis providentiæ monumentum a Decessore relictum, Nostris quoque curis et auctoritate complectimur. Quin etiam jam nunc, ejusdem Consilii seu *Commissionis* navitate confisi, ipsius operam in negotio, quod magni censemus esse momenti ad Scripturarum provehendum cultum, adhibere constituimus. Siquidem hoc volumus, certam suppeditare rationem, unde bona paretur copia magistrorum, qui gravitate et sinceritate doctrinæ commendati, in scholis catholicis divinos interpretentur Libros. Hujus rei gratiâ percommodum pro-

fecto esset, quod etiam in votis Leonis fuisse novimus, proprium quoddam in Urbe Roma condere Athenæum, altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicæ ornatum, quo delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri. At quoniam ejus perficiendæ rei deest in præsens Nobis, non secus ac Decessori, facultas, quæ quidem fore ut aliquando ex catholicorum liberalitate suppetat, spem bonam certamque habemus, interea quantum ratio temporum sinit, id, harum tenore litterarum, exsequí et efficere decrevimus.

Itaque, quod bonum salutareque sit, reique catholicæ benevertat, Apostolica auctoritate Nostra, Academicos Prolytæ et Doctoris in Sacræ Scripturæ disciplina gradus instituimus, a *Commissione* Biblica conferendos ad eas leges, quæ infra scriptæ sunt.

I. Nemo ad Academicos in Sacra Scriptura gradus assumatur, qui non sit ex alterutro ordine Cleri sacerdos; ac præterea nisi Doctoratus in Sacra Theologia lauream, eamque in aliqua studiorum Universitate aut Athenæo a Sede Apostolica adprobato, sit adeptus.

II. Candidati ad gradum vel prolytæ vel doctoris in Sacra Scriptura, periculum doctrinæ tum verbo tum scripto subeant: quibus autem de rebus id periculum faciendum fuerit, *Commissio* Biblica præstituet.

III. *Commissionis* erit explorandæ candidatorum scientiæ dare judices: qui minimum quinque sint, iique ex consultorum numero. Liceat tamen *Commissioni* id judicium, pro prolytatu tantummodo, aliis idoneis viris aliquando delegare.

IV. Qui prolytatum in Sacra Scriptura petet, admitti ad periculum faciendum, statim ab accepta sacræ Theologiæ laurea, poterit: qui vero doctoratum, admitti non poterit, nisi elapso post habitum prolytatum anno.

V. De doctrina examinanda candidati ad lauream in Sacra Scriptura, hoc nominatim cautum sit, ut candidatus certam thesim, quam ipse delegerit et *Commissio* Biblica probaverit, scribendo explicet, eamque postea in legitimo conventu Romæ habendo recitatam ab impugnationibus censorum defendat.

Hæc volumus, edicimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus. — Restat, ut Venerabiles Fratres Episcopi

ceterique sacrorum Antistites in suæ quisque diœcesis utilitatem ex hisce statutis Nostris eum fructum quærant, quem inde Nobis uberem pollicemur. Ideo, quos in suo Clero viderint singularibus Bibliorum studiis natos aptosque, ad promerenda etiam hujus disciplinæ insignia hortentur et adjuvent: insignitos porro habeant potiores, quibus in sacro Seminario Scripturarum magisterium committant.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Februarii, festo S. Petri Damiani, an. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 65).

385. Descendentia, ut ajunt, communis specierum an asserenda sit, necne, quæstio facti est, ut diximus; examinando autem facta, nullam esse hujus hypothesis probabilitatem invenimus; e contrario, plura eidem obstare deteximus. Si nunc theorias seu systemata a cultoribus scientiarum naturæ excogitata supraque exposita, jam qua talia, qua causas rationemque evolutionis explicare conantur, ad trutinam rationis sanæque philosophiæ naturalis revocare volumus, præprimis instar principii sit oportet hæc philosophiæ naturalis inconcussa veritas: scilicet, esse in rebus causas finales. Re quidem vera, non tantummodo in rerum universitate est evidenter ordo, sed et in rebus singulis inest, quæ certis legibus reguntur; neque modo *effectus* est ordo, quod nemo negat, sed est *intentus*, ita ut non tantum sint effectus, quia causæ sunt, sed ideo sint causæ ut effectus obtineantur.

Quod quidem ut in philosophia naturali (1) demonstratum ponimus, et cæterum tam obvium tamque evidens est ut negari nequeat nisi ab illo qui præconcepto errore et præjudiciis ducitur. Reapse finalitati adversantur universim materialistæ et evolutionismi integralis ac monismi propugnatores, aliique omnes qui sive antiquitus Deum creationemque rerum ignorarunt, sive recentius Deum creatorem a priori eliminandum censent, imo potius *quia* ab interventu Creatoris refugiunt. Et si qui philosophi aut rerum naturæ scrutatores sunt qui, creationem atque providentiam causasque finales a priori negare nolentes, nihilominus a consideratione causarum finalium abstinendum esse censent, id demum vel inconscii mutuarunt ab illis atheis, qui Dei interventum ut antiscientificum respuunt, quod supra jam notavimus.

---

(1) V. v. g. T. Pesch, *Philos. nat.*, l. I, disp II, sect. II, § I.

Ordo autem teleologicus maxime apparet in mundo organico, nec finalitas ut mere extrinseca concipienda est, sed vere rebus naturalibus inest : videlicet, non tantum ut sagittæ finalitas a sagittario mere forinsecus motæ, quæ si a via amoveatur vi extrinseca, non redit ; sed finalitas rebus vere inest, quæ propria virtute et nisu in finem agunt, et, si forte deturbentur, propria rursum virtute redeunt. Unde etiam statim deduces quam immerito quidam tendentiam finalem exhorreant, quasi vim afferret forinsecus cursui naturæ.

386. Firma manente hac veritate, nempe inesse rebus naturæ ordinem et finalitatem, extemplo apparet quodcumque systema rejiciendum esse, quod vel aperte negat vel implicite excludit causas finales, propugnando adaptationem mere mechanicam (1). Quod nec ipsi evolutionismi moderati seu spiritualistici sectatores inficiantur. Ita Guibert, postquam ordinem et finalitatem in rebus asseruit, ita prosequitur : « Cet ordre ne s'explique point par les actions du milieu, ni par la sélection naturelle, ni par les lois de croissance et de corrélation des parties : car tous ces facteurs sont impuissants à produire une série harmonieuse, à conserver, à travers mille obstacles, l'harmonie une fois établie..... L'ordre nous apparaissant partout, dans les organes des individus, aussi bien que dans les séries des espèces, nous disons que, si l'évolution a eu lieu, elle s'est faite sous la main de Dieu, et suivant une loi de développement posée par lui. Cette loi peut nous être inconnue, mais elle existe. C'est précisément sous cette forme que se présente l'évolutionisme modéré ou spiritualiste (2). »

Attamen, hoc systema evolutionismi moderati, si tamquam systema nec fidei repugnat, nec rationale principium finalitatis, modo expositum, expresse negat, nihilominus omni probabilitate facti caret, imo vero factis confutatur, ut supra satis superque demonstravimus. Relictis igitur theoriis falsis evolutionismi atque darwinismi, jam conclusionis instar addendum est quo tandem modo distinctio specierum producta sit. Qua in re, ne exspectet lector certam rei solutionem : sicuti enim evolutionistæ suam opinionem ut meram

(1) Cf. T. Pesch, l. c., n. 92.
(2) *Les Origines*, 2e édit., p. 144-145.

hypothesim proferunt, et inter eos ii saltem, qui sapiunt, ignorantiam suam in re valde obscura fatentur; ita nos, qui evolutionismum quemvis, nisi intra eamdem speciem, merito rejicimus, aliquid præterea ratum ac certum asserere non præsumimus, sed varias quæ fieri possunt hypotheses exponemus.

387. « *Prima* est theoria *productionis,* quæ a nonnullis theoria *creationis,* sed minus correcte, dicitur: Deus enim species certe non ex nihilo sed ex materia præexistente effecit; ac proinde ejus operandi actus *productio* et non *creatio* dicendus est, quia creatio supponit productionem ex nihilo. Hæc autem theoria docet, quod Deus, mundi auctor, singulas species ex materia inorganica produxit. Quod ad hujus opinionis veritatem attinet, nihil ostendit eam esse certo improbabilem, nam unica ratio, quæ objici posset, divinarum scilicet actionum nimia multiplicatio, solvi potest dicendo, hunc multiplicem Dei interventum ad mundi formationem necessarium vel saltem convenientem fuisse, et non minorem requiri Dei interventum ut nova species ex inferiori specie quam ex materia inorganica formetur.

Altera theoria est eorum qui dicunt auctorem mundi in producendis speciebus superioribus species inferiores adhibuisse. Si quæratur quid hac de opinione sit dicendum, nihil ostendit eam esse absurdam aut ineptam; non videtur enim cum Dei sapientia ullatenus pugnare ut priores species ad novas formandas adhibitæ fuerint.

Tertia theoria est illa *transformationis.* Hæc autem docet species omnes, quæ nunc existunt, a Deo quidem esse productas sed in statu imperfectiori, easque ope naturalis vis eis inditæ per longa temporis spatia, singulas in speciei suæ ambitu, sese immutasse atque successive varias induisse formas, usquedum ad præsentem statum, in quo nunc versantur, pervenerint.

Hæc sententia etiam non caret aliqua veritatis specie, præsertim ex eo, quod ejus ope facillime explicantur successiva illa inter species fossiles sibi subsequentes similitudo, ascendens specierum per varias ætates gradatio, geographica specierum distributio, atque influxus medii in quo vivitur seu circumstantiarum externarum, uti sunt cœli status, aëris qualitas, lucta pro existentia, organorum usus otiumve et

reliqua omnia quæ Darwinistæ allegare solent. Nec ex rei natura aliquid obstat: cum enim in universum mos naturæ sit, ut in individuis ab imperfectioribus ad perfectiora constanter ascendatur usquedum descendatur, inde nullatenus rationi repugnat, ut supponatur quod in formandis speciebus eadem fuerit servata via, ut nempe species sese per longa temporis spatia in suo ambitu evolverint, sicut individua sese per vitæ spatium evolvunt » (1).

III. *De origine hominis.*

388. De origine specierum viventium quærendo hominem excepimus; nunc de hujus origine longe majoris momenti et propior ad rem nostram quæstio est, quam tamen multo brevius, post superius disputata, solvere licebit.

Et primo quidem, evolutionismi integralis et universim materialismi propugnatores, qui hominem tamquam merum animal, licet cæteris perfectius non tamen ab illis essentialiter diversum habent, scilicet animam spiritualem atque immortalem negantes, hic relinquimus, neque materialismo confutando immoramur: etenim veram hominis naturam, animæ spiritualis et corporis peculiari unione constantem, tum philosophice tum theologice invictis argumentis alibi demonstratam merito ponimus. Qua quidem doctrina in tuto collocata, illico deducitur hominis originem, quod animam attinet, immediate Deo esse adscribendam, cum anima spiritualis nonnisi per se creari possit, et immediate a Deo corpori uniri; eo autem ipso jam *homo,* quidquid sit de modo productionis corporis, a Deo immediate ortum habere asseritur, et vero, duce tum ratione tum fide, omnino asseri debet.

389. Deinde, quod corpus attinet, hujus origo seu modus productionis non ita certo atque extemplo doctrina fidei et scientiæ definitur. Immediate, licet per accidens creatum esse corpus primorum parentum nemo est qui affirmet, cum et ipse Auctor sacer libri Genesis expressis verbis e præjacente materia productum edicat.

---

(1) Ita Ill. ac Rmus Episcopus Lambrecht, Theol. dogm. specialis liber III, *De Deo creatore* etc., opus imperf., p. 409-410.

Itaque inter catholicos, alii litteræ Scripturarum inhærentes, corpus Adæ e limo terræ, id est, ex elementis materialibus, corpus vero Evæ ex corpore Adami, immediate a Deo productum tenent, juxta antiquam traditionalem doctrinam.

Alii, evolutionismi moderati sectatores aliam viam ineunt, et organismum quemdam animalem, evolutione præparatum a Deo assumptum fuisse dicunt, cui animam rationalem infuderit. Quod quidem ita plerique limitant, ut evolutione productum animale corpus Deus nihilominus ipse immediate perficere seu ultima forma quadam et perfectione donare debuerit, cum animam infunderet: siquidem, aiunt, nullum corpus evolutione naturæ productum, propriam perfectamque humanam formam habere potuit. Quod cæterum vel ipse Russel Wallace, qui cum Darwinio theoriam selectionis naturalis maxime illustravit et propugnavit, scientifice demonstrari affirmat (1).

390. Nos quidem, qui supra systemata evolutionismi et darwinismi quævis nulla probabilitate gaudere ostendimus, pluraque in oppositum argumenta solida indicavimus, sine ulla hæsitatione antiquam traditionalem doctrinam merito retineri censemus, qua homo integer, quoad animam quidem per creationem, quoad corpus vero per productionem ex elementis materialibus ante creatis, a Deo immediate ortum habere affirmatur. Neque aliter possumus intelligere sacrum Geneseos textum, qui tam studiose inculcat immediatam a Deo formationem ac productionem corporis Adami et Evæ. Neque tamen ita premendam esse volumus litteram, ut mens Auctoris sacri sit reapse modum materialem productionis asserere, quasi Deus ad modum figuli in re ipsa operatus sit; sed, ut supra interpretati sumus, quod vere Deus, quidquid sit de materiali, physica, sensibili operatione, quod parum ad doctrinam intentam refert, hominem, etiam quoad corpus, immediate produxerit; quod mulierem, non ut quamdam inferiorem creaturam, quasi servam, quasi instru-

(1) Vide ejus argumentationem apud Guibert, *Les Origines*, 2e édit., p. 204 et ss. — *Ibid.*, p. 207 et ss., invenies expositum argumentum *ad hominem*, quod evolvit de Quatrefages, evolutionismi adversarius, quoque ostendit ex ipsis principiis evolutionismi, datis seu acceptis tamquam certis, logice deduci conclusionem oppositam quoad hominem, nempe oppositam descendentiæ animalis organismi humani.

mentum libidinis et rem quamdam viri, qualis apud antiquas gentes nimis sæpe habebatur, sed ut sociam a latere, ut adjutorium vere simile viro, ut ejusdem carnis et eorumdem ossium effecerit. Cætera, quæ non tam litteralem quam potius materialem sensum exhibent, ad modum narrandi pertinere et adhibita fuisse ut omnibus etiam simplicissimis ac rudibus quorumcumque temporum intellectibus adaptarentur, non sine ratione dixeris.

391. Attamen nolumus hypothesi evolutionismi moderati, præsertim intra limites supra definitos, aliquam notam, inspecta fidei doctrina, inuri debere. Quidam enim catholici, ut vidimus, eam amplectuntur, et plures theologi et Scripturæ interpretes catholici eamdem quæstionem, ut supra definitam, liberæ disputationis esse volunt. Sola autem ratione duce, fatendum est evolutionismum illum moderatum rationibus nullius momenti inniti.

Ita primo rationes convenientiæ invocant, quas breviter exhibent verba Guibert : « Dans cette hypothèse, il y aurait une certaine grandeur à considérer le corps humain, qui est le plus parfait des organismes, comme le bourgeon terminal de l'évolution des êtres vivants, comme le terme qu'attendait le Créateur pour donner à la nature son maître intelligent. On comprend mieux alors les relations physiques de l'homme avec le reste de la nature ; on voit tous les êtres enchaînés en un tout harmonieux ; les millions d'espèces qui ont disparu avant l'arrivée de l'homme auraient une raison d'être, si on les considérait comme les éléments d'un arbre puissant au sommet duquel Dieu devait cueillir l'organisme humain (1). »

Atvero, quomodo non æque grande sit Deum immediate, ut diximus, hominem produxisse, postquam sedem ipsi, tamquam regi creationis visibilis, parasset, plane non videmus ; multo minus intelligimus quomodo non sit homini nobilius Deum solum immediatum auctorem habere. Neque minus ægre relationes physicæ hominis cum inferioribus creaturis in nostra sententia explicantur : harmonia universi perfecte consistit, qua homo utrumque mundum materialem et spiritualem conjungit, et materialis cum sit, quoad corpus,

(1) Op. cit., p. 203.

perfectissimum organismum animalem, quo cæteris animalibus participat quidem, simul vero eminet, a Deo immediate receperit; sicut species singulæ per gradus suos suum a Deo acceperunt organismum minus perfectum, et adeo intra limites speciei magis perfectibilem et evolutioni seu transformationi cuidam, magis quam humanum, subjectum. Quod autem spectat milliones, ut aiunt, specierum exstinctarum, ratio redditur hujusmodi disparitionis in nostra sententia facillime, qualiscumque evolutio sive admittatur sive non: scilicet, dicendo illas species exstinctas pro tempore aliisve circumstantiis suam utilitatem sine dubio habuisse, cum pro tempore apparitionis hominis futurum fuisset, ut inutiles aut et nocivæ essent.

392. Cæterum, vel ipsi evolutionismi moderati seu spiritualistici sectatores, et qui in eum inclinant ut Guibert (1), fatentur haud magni ponderis esse hujusmodi rationes convenientiæ; majoris vero quædam argumenta alia, præprimis illud quod ex organis rudimentariis, ut aiunt, ducitur. Cum autem istud argumentum supra cum cæteris sedulo ponderatum fuerit, et inventum minus habens, huic rei non est immorandum. Unum tamen advertimus, quod singulatim hominem attinet: nempe, summum artificem, cum organismum summum conderet, merito non solam utilitatis sed et pulchritudinis rationem præprimis ante oculos habuisse; et præterea, cum mente rationali et voluntate hujusmodi organismum regi destinaret, plura quæ facultatem motivam præcipue respiciunt, minus automatice, ut ita dicam, quam in animantibus, movenda, et quod functiones utiles et operationes attinet, magis a rationis et voluntatis imperio, ope organorum corporalium perfectiorum, puta, manuum, pendere merito voluit; ac similiter rationi hominis reliquit sibi in quibusdam necessitatibus providere, in quibus reliquis animalibus, ratione expertibus, providit ipse. Quibus attentis facile intelliges organa partesque quæ evolutionistæ in homine enumerant rudimentaria (2), nequaquam tribui debere atrophiæ quæ in quadam specie animali contigerit, a qua homo descendat. Neque hoc prætereundum est, quod sola

(1) V. op. cit., p. 203 in fine, et p. 213.

(2) Supra, agentes de eo argumento, ista enumeravimus.

fide novimus, hominem in statu integritatis conditum fuisse, et culpa sua in præsentem statum decidisse. Atqui, in primæva illa conditione, multo minores erant necessitates, et contra imperium in corpus multo perfectius. Et si Deus, in statu reparato, prædictum imperium restituere noluit, atque necessitates tamen seu indigentias hominis non abstulit, id propter optimas rationes, ut jam vidimus, ita disposuit; sed et hanc rationem jure merito hic addimus, quæ et in statu naturæ puræ valeret, scilicet Deum admonere voluisse hominem officii sui, imperium rationis exercendi in partem animalem; hoc autem debitum vividius sentire non poterat homo, quam patiendo necessitates et indigentias, quas ratione et voluntate vincere aut linire cogeretur, dum animalia natura providente ab iisdem immunes cerneret.

393. Quod tandem quidam evolutionistæ catholici auctoritatem Augustini et Thomæ appellant (1), nemini non videbitur mirum. Tamquam testimonium præcipuum citant verba S. Thomæ, II *Sent.*, d. XII, q. 1, a. 2: « Augustinus enim vult, in ipso creationis principio, quasdam res per species suas distinctas fuisse in natura propria, ut elementa, corpora cœlestia et substantias spirituales; alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas et homines, quæ omnia postmodum in naturis propriis producta sunt. » Quis non videt in his quæstionem nostram præsentem ne attingi quidem? Nonne et nos dicimus cum S. Augustino, eumque referente S. Thoma, in principio creationis, per species suas distincta fuisse sola corpora elementaria (ut omittamus substantias spirituales, et corpora cœlestia quæ ab antiquis tamquam simplicia et incorruptibilia habebantur), et postea ex elementis producta fuisse in natura propria animalia, plantas ipsumque hominem quoad corpus, ita ut initio creationis non extiterint per species suas in natura propria, sed solum ut quodammodo secundum rationes seminales contenta generatim in præjacentibus elementis materialibus, e quibus postea fuerunt producta?

---

(1) Citat Guibert (*Les Origines*, 2e édit., p. 203, in nota) P. Zahm, *l'Évolution et le dogme*, t. II, p. 233, lequel, *ait*, prétend que « l'origine du corps d'Adam par dérivation est une conception qui s'harmonise avec les principes énoncés par le grand évêque d'Hippone et l'Ange de l'École. »

394. Hæc de origine hominis sufficiant. Antequam tamen præsens parergon absolvamus, et redeamus ad historiam libri Genesis, de propagatione generis humani jam acturi, opportunum erit unum adhuc breviter inquirere:

Quid de unitate speciei humanæ et de origine totius generis humani ex primis parentibus e scientiis humanis eruatur.

Libri quidem sacri clare proponunt et fides docet ex uno omne genus humanum esse propagatum.

Nemo autem ignorat diversas nunc esse hominum stirpes. Quas distribuere in diversas classes valde difficile est, nec conveniunt periti, aliis alium characterem distinctivum ut dominantem eligentibus; quod quidem nullum characterem certo et clare dominantem inveniri satis indicat, jamque innuit diversas stirpes quoad plures characteres ita in invicem incurrere, ut de diversitate saltem speciei sermo esse nequeat.

Nunc satis communiter tres vel quatuor stirpes statuunt, quas præter alia color distinguit et color denominat, stirpes nempe alba, flava, nigra, et rubra.

Quibus positis, ad statum quæstionis quod attinet, ante exorta evolutionis systemata, una quæstio erat unitatis speciei et unitatis originis, cum nemo dubitaret esse ejusdem speciei individua, quæ communem ex primitivo aliquo pare originem ducerent; et vicissim, quæ ejusdem speciei sunt, ex iisdem majoribus descendere, atque quin ex uno tandem pare descenderent nihil obesse.

Postquam vero notio speciei ab evolutionistis obscurata fuit, ut suo loco ostensum est, melius nunc, abstrahendo a speciei unitate, directe quæritur de unitate originis; qua cæterum integra quæstio continetur, etiam nobis qui ex unitate originis ad unitatem speciei concludimus. Videlicet, quocumque nomine, varietatis, stirpis, speciei vocent illi diversas hominum classes, tota quæstio est num ex scientiis humanis aliquid eruatur quod obstat communi generis humani origini, quam docet S. Scriptura, ex pare hominum primitivo.

395. Jamvero, hæ sunt hodiernæ scientiæ conclusiones, de quibus non est inter modernos seria difficultas seu dissensio: « En appliquant aux groupes humains les lois biologiques qui gouvernent les animaux et les végétaux, on arrive

aux résultats suivants : 1° les différences qui caractérisent les races humaines sont moins importantes que les différences qui distinguent les races animales et végétales dont l'identité d'origine est certaine ; 2° entre les groupes humains existent des ressemblances anatomiques, physiologiques et psychologiques dont l'unité d'origine peut seule rendre compte ; 3° enfin, les facteurs qui concourent à créer les races animales et végétales agissent aussi sur l'homme, et leur action est très suffisante pour expliquer qu'un type primitif unique ait pu donner naissance aux races divergentes que nous connaissons (1).

Post longum parergon jam via plana regredimur ad primævam historiam, nempe propagationis generis humani ex primis parentibus.

(Continuabitur).

(1) Ita Guibert, *Les Origines*, 2e édit., p. 255. — Eundem auctorem adeat, qui harum conclusionum explicationem et demonstrationem legere cupit.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii

—

I

Interpretare Luc. III 16-17.

II

Explica quomodo intelligendus sit ille inter Adamum et posteros *nexus* vi cujus ex voluntario actu protoparentis privatio gratiæ in infantibus habeat rationem *voluntarii:* quæ ratio requiritur ut privatio gratiæ sit vere *peccatum*.

III

Expone et vindica generalia principia de occisione innocentis.

IV

An et cur licita est occisio malefactoris?

V

Licitum est propriam tueri vitam etiam cum occisione injusti aggressoris, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Explica et proba.

VI

Quel est, au point de vue juridique, le caractère du décret de 1809?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Explica Luc. I, 76-79.*

R. I. **Argumentum.** Hi quatuor versiculi exhibent alteram partem cantici quod Zacharias sacerdos, die octavo (1) postquam miraculose Elisabethæ uxori sterili natus erat filius Joannes, repletus Spiritu sancto prophetavit (I, 5-68). In priore parte (vv. 68-75) propheta Deum laudat ob adventum Messiæ et bona quæ secundum Dei promissa et oracula prophetarum per eum afferuntur; in hac altera parte Zacharias filium suum compellat ejusque munus præcursoris Messiæ prophetice describit.

II. **Explicatio textûs.** v. 76. *Et tu puer:* καὶ σὺ δὲ, παιδίον = sed etiam tu, puerule. Particulæ καὶ — δὲ novam inducunt notionem, quæ quidem partim cum antecedente conveniat (καὶ), partim verò ab ea discrepet (δὲ): ipse quoque puer partes habet suas in salute messianica instauranda (καὶ), licet a Messiæ munere diversas (δὲ).

vocaberis uti v. 32 « filius Altissimi *vocabitur* » i. e. eris, agnosceris cum nominativo prædicati seu attributi *(propheta).* Sc. significatur non Joannem reapse hoc nomine prophetæ vocatum iri, sed habiturum esse at-

---

(1) Canticum enim arcte ad v. 64 est adnectendum « *loquebatur benedicens Deum* ». Voluerit præoccupatione quadam narrationem absolvere (vv. 65 et 66) antequam canticum inseruerit. Cfr. Knabenbauer, *Comment. in evang. secundum Lucam*, Parisiis 1895, p. 95. — Plummer, *A critical and exegetical commentary on the gospel according to S. Luke*, Edinburgh, 1901, p. 38.

tributum quod illo nomine exprimitur et qua prophetam agnitum iri (1).

propheta Altissimi. i. e. nuntius Dei summi, supremi (2), qui missione a Deo accepta ejusque nomine mandata Dei ad homines defert. Non tantum is qui futura prædicit græce *propheta*, hebraice *nabi* vocatur, verum etiam is qui divinæ voluntati internuncius est, aut oraculorum mysteriorumve divinorum interpres: proprie tamen is solus, qui id facit immediate a Deo missus et instructus (3). Erit propheta sensu eminentiore, quia cùm aliorum prophetarum fuisset Messiam venturum a longe annuntiare, ejus est advenientem proxime præcedere:

præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus i. e. præcursoris instar præcessurus es Dominum, Messiam (4), ad præparandas (5) vias (6) ejus; sc. ad removenda apud Judæos obstacula ordinis moralis, ità ut, prædicatione justitiæ ac pœnitentiæ, Judæorum animi advenienti Messiæ præparentur (Mt. III, 2 s. — Jo. I, 23). His verbis describitur munus præcursoris in se, vers. seqq. verò in effectibus suis:

v. 77 *ad dandam scientiam salutis plebi ejus* (τοῦ δοῦναι

---

(1) Grimm, *Lexicon græco-latinum in libros Novi Test.* Lipsiæ, 1903, p. 224.

(2) ὑψίστου absque articulo. Inter varia nomina quæ in Scripturis Vet. Test. Deo tribuuntur sæpe occurrit Elion gr. ὑψίστος (*Num.* XXIV, 16; *Dan.* IV, 21; *Ps.* XC, I, etc.) absque addito.

(3) Lucas Brug. in *Mt.* I, 22. Ità meritò angeli verba (*Luc.* I, 13-17) interpretatur Zacharias.

(4) Quidam Auctores ut Plummer, *o. c.*, p. 42, et Weiss (*Die Evangelien des Marcus und Lukas*, Göttingen, 1901, p. 294) Dominum (κυρίου) intelligunt Jehovah venientem in persona Messiæ. Vix non ad idem revenit. Attamen « Dominus » videtur opponi « Altissimo ». Cfr. Weiss, *ibid.*

(5) Infinitivus « *parare* » videtur potius finalis esse quam simpliciter epexegeticus (*parando* vias ejus). In idem recidit quoad sensum. Cfr. Van Kasteren, *Revue Biblique*, Paris 1894, p. 55.

(6) Cfr. *Malach.* III, 1; *Isa.* XL, 3. Allusio est ad mores regum orientalium qui iter facturi præcursores præmittebant ad præparandas vias.

γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ): finis muneris a Joanne obeundi distinctius exprimitur, ità ut una significetur qua ratione ille paraturus sit vias Domini (1). Joannes parabit vias Domini ad dandam scientiam salutis plebi ejus, i. e. ad docendum (2) populum Domini (Israëlitas) salutem (messianicam) *in remissionem peccatorum* (ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν). Hæc ultima verba jungimus ad vocem *salutis* (3) ità ut sensus sit: ad docendum populum Israël salutem messianicam *quæ salus consistit* in remissione peccatorum (4). Proin muneris erat præcursoris docere indolem spiritualem salutis messianicæ, quod cæteroquin præclare præstitit prædicatione sua: *pœnitentiam agite* (Mt. III, 2). *Eorum* pro suorum vel ipsorum: hoc pronomen referendum est ad præcedens nomen collectivum: *plebi ejus;* constructio est quam « ad sensum » vocant.

V. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri:* quæ remissio peccatorum concedetur (non propter opera sive

---

(1) Cfr. Liagre, *Comment. in S. Lucam*, Tornaci, 1889, p. 52, qui ritè notat « Infinitivus nominascens in Genitivo, cujusmodi est τοῦ δοῦναι frequenter occurrit apud scriptores tam sacros (*Rom.* VI, 6; *Philip.* III, 10) quam profanos ad finem seu scopum actionis indicandum ».

(2) Van Kasteren, *o. c.*, p. 55, ut probabilem habet hanc explicationem: præibis ante faciem Domini parare vias ejus (ad hoc) ut *(ipse Dominus)* det scientiam salutis plebi suæ in remissionem peccatorum eorum. Sed nimis inexpectatus videtur ille transitus ab uno subjecto ad aliud, eo vel magis quod altera strophe (v. 78 s.) hujus secundæ partis Christi missionem exhibeat.

(3) Quidam hæc verba referunt ad vocem *scientiam* sc. ad dandam in remissione peccatorum scientiam salutis. Verùm *scientia* salutis nonnisi sensu valde improprio consistit in remissione peccatorum. Alii illa verba exponunt ut complementum verbi δοῦναι. Attamen Joannes remissionem peccatorum non elargiebatur.

(4) « Nominat autem remissionem peccatorum, non quod in sola remissione peccatorum salus et justitia sita sit; quod vult Calvinus cum suis, sed quod remissio peccatorum, principium et fundamentum totius salutis sit; præter quam requiri lumen gratiæ, quo faciente dirigantur pedes in viam rectam, docent sequentia ». Luc. Brug. apud Migne, *Scripturæ sacræ cursus completus*, T. XXII (Parisiis 1862) p. 375.

merita propria sed) propter (1) eximiam (2) misericordiam Dei nostri, *in quibus* (sc. *visceribus misericordiæ:* qua eximia misericordia impellente) *visitavit* (3) *nos* (auxilium ferens) *Oriens ex alto. Visitare* (ἐπισκέπτομαι, inviso, inspicio) Deus in N. T. (4) per anthropopatheiam dicitur quando hominibus beneficium confert.

Oriens ex alto. Oriens non participium sed nomen est, ut liquet ex voce græca ἀνατολή quæ proprie *ortum solis* (et stellarum) designat: quam notionem in præsenti esse admittendam, omnino suadet metaphora lucis v. seq. usurpata. Hîc autem ponitur ortus solis pro ipso sole, cujus lumen *ex alto* venit (5). Et hoc quidem nomen, *sol oriens*, bene congruit Messiæ qui a Malachia (IV, 2) *sol justitiæ*, ab Isaia (LX, 1-3) *lumen* dictus fuit (6). Cœlestis origo Messiæ hoc loco haud obscure innuitur.

v. 79 *Illuminare* est infinitivus scopi pendens a verbo *visitavit,* ergo: ad illucescendum *his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (7). Vide Is. IX, 1 et Ps. CII, 10.

---

(1) Quidam, uti Van Kasteren, *l. c.*, verba: *per viscera misericordiæ* etc. referunt ad verbum princeps: *præibis enim*; vel ad *totam* sententiam præcedentem (Plummer, *l. c.*, Weiss, *o. c.*, p. 295). Attamen plerique censent illa verba adjungi immediate præcedentibus ut *causa* indicetur per quam remissio peccatorum conceditur.

(2) σπλάγχνα ἐλέους (genitivus qualitatis); σπλάγχνα = viscera (sc. intestina thoracis seu nobiliora, ut cor, pulmones, jecur) ab Hebræis teneriorum affectuum, maxime caritatis, benevolentiæ, misericordiæ, sedes ponebantur. Cfr. Grimm, *o. c.*, p. 406 s. L. conjungens *viscera* et *misericordiæ* intimum seu summum commiserationis affectum significat.

(3) Lectio probabilior habet ἐπισκεψεται: visitabit. Cfr. E. Nestle, *Novum Testamentum græce.* Stuttgart, 1901 in h. l. — Plummer, *o. c.*, p. 43.

(4) In V. T. sumitur etiam in malam partem de Deo puniente. Ità *Jer.* XIV, 10, 11, 22, etc.

(5) Dictio *ex alto* jungi quidem potest cum *visitavit*; verùm nectenda potius cum *oriens* propter usurpatam metaphoram solis. Quoad sensum, eodem recidit.

(6) Et postea a Joanne (*Evang.* I, 9; VIII, 12) *lux vera* quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *lux mundi* vocabitur. Cfr. Liagre, *o. c.*, p. 53.

(7) Rectè notat Luc. Brug. in *h. l.* « participium καθημένοις (sedentibus) rectius servasset interpres, nam et seipsum comprehendit Zacharias, quod constat ex verbis subsequentibus ».

Sedere (sicut ambulare vel habitare) *in tenebris et in umbra mortis* dictio solemnis est Hebræis significans versari in *tenebris densissimis,* i. e. in maximis calamitatibus et miseriis (1) quæ tristissimam mortis imaginem referant. Metaphora dempta, *tenebræ* ex contextu intelliguntur esse misera conditio religiosa, intellectualis et moralis in qua populus judaicus languebat. Hoc sensu S. Paulus ad Ephesios (V, 8) scribit: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Ad dirigendos (infin. τοῦ κατευθῦναι notat finem in quem Messias lumen attulerit) *pedes nostros* (2) i. e. actus nostros, vitam, conversationem, *in viam pacis* sc. in via (sanctitatis et justitiæ v. 75) (3) quæ ducit ad veram pacem. *Pax* autem intelligenda est integra salus ac felicitas (4) a Messia hominibus allata, in specie pax oriunda ex Hebræorum ex errore et iniquitate conversorum reconciliatione cum Deo suo. Bonum illud messianicum pacis a prophetis multoties fuerat prædictum (5).

III. **Paraphrasis** Luc. 76-79. V. 76 (Sed) et tu puer (partes habebis in salute messianica instauranda, nam) propheta Altissimi eris et agnosceris: (instar præcursoris) enim præcessurus es Dominum (Messiam) ut præpares vias ejus; 77 docendo populum ejus (Israelitas) salutem (messianicam quæ consistit) in remissione peccatorum; 78 (quæ remissio concedetur) propter eximiam misericordiam Dei nostri, qua visitabit nos (auxilium afferens) sol oriens ex alto (Messias veniens e cœlo), 79 ut illucescat his qui in densissimis tenebris (spiritualibus) languent, et (suo lumine) dirigat actus nostros

---

(1) Cfr. Van Steenkiste, *Evangelium secundum Matthæum*, Brugis, 1903. T. I, p. 180.

(2) Licet jam in via pacis constitutus (v. 6) cæteris se annumerat Zacharias, loquens sc. in persona populi judaici. — Nota quomodo sibi ex opposito respondeant: *sedere* in tenebris... et *pedes* dirigere.

(3) Cfr. *Ephes.* V, 8 s.

(4) Cfr. Grimm, *o. c.*, p. 126. — Comp. « via salutis » *Act.* XVI, 17.

(5) *Is.* IX, 7; *Mich.* IV, 3, V, 5; *Ps.* LXXI, etc. Cfr. *Luc.* II, 14; X, 5; XXV, 36.

in viam (quæ ducit ad) pacem (ac felicitatem salutis messianicæ).

A. C.

II

Q. *Demonstra angelos evectos fuisse ad ordinem supernaturalem.*

R. **Prænotandum**. Hic vocabulum *ordo* sumitur concrete, nempe ad designandum complexum rerum ordinatarum (1): ordo igitur supernaturalis est complexus rerum seu donorum supernaturalium recte inter se dispositorum.

Ut propositæ quæstioni fiat satis, non requiritur ut demonstretur singula dona supernaturalia, quæ aliunde cognoscimus, angelis fuisse collata, nec ad rem pertinet ut solvatur quæstio utrum angeli *in ipso creationis instanti* receperint gratiam sanctificantem aliaque dona supernaturalia, sed sufficit ut demonstretur angelos fuisse *destinatos ad finem ultimum supernaturalem.*

Porro demonstrabimus angelos destinatos fuisse *ad visionem Dei intuitivam,* quæ cognitio, uti nunc supponimus, est omnino supernaturalis (2).

Demonstratio. 1. ex S. Scriptura: A. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.* Matth. XVIII, 10.

Hic loquendi modus, *videre faciem* patris mei, sensu obvio intellectus, significat habere de Deo cognitionem *immediatam.* Qui enim alicujus faciem videt eum *immediate*, nullo interposito medio, intuetur. Quod ut melius perspiciatur, notandum est duplicem distingui cognitionem, tum sensitivam, tum intellectivam, ratione modi quo objectum cognitum attingitur a cognoscente: ete-

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 229.

(2) Cf. S. Thomas, I, Q. XII, a. 4; Billot, *De Deo Uno et Trino* Romæ, 1897, Thes. XIII, p. 131.

nim quum quis v. gr. in speculo aliquid videt, *immediate* intuetur *imaginem* quæ mediante speculo producitur, sed *mediate,* h. e. mediante imagine, videt *objectum* cujus est hæc imago. Pariter in cognitione intellectiva: quando quis ex uno objecto cognito cognoscit aliud, de hoc secundo objecto habet cognitionem *mediatam:* ita v. gr. homo non aliam habet naturaliter de Deo cognitionem quam cognitionem quæ ex creaturis, prouti sunt effectus Dei, deducitur: hæc de Deo cognitio est *mediata,* fit nempe mediante objecto quo cognito cognoscitur aliud. Porro quando dicitur angelos *videre faciem* Dei, hac metaphora indicatur cognitio *immediata* Dei, seu cognitio *intuitiva.*

Quod talis sit sensus hujus dicti *confirmatur* ex 1 Cor. XIII, 12: « *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Quo in loco Apostolus evidenter opponit cognitionem *mediatam* (nempe *per speculum*) et consequenter obscuram (*in ænigmate*) cognitioni *immediatæ (facie ad faciem)* et consequenter claram ac perfectam *(cognoscam sicut et cognitus sum).* Jamvero ad immediatam seu intuitivam de Deo cognitionem designandam utitur Apostolus eadem metaphora qua Christus utebatur loquens de cognitione quam Angeli in cœlis habent de Deo.

Stat igitur hæc conclusio quod *quidam* angeli de facto gaudent visione Dei intuitiva.

Hæc conclusio *confirmatur* ex hoc quod angeli exhibentur ut partem habentes in cœlesti beatitudine: « Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et Seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: dignus est Agnus... etc. » Apocal V, 11-12. Jamvero aliunde cognoscimus beatitudinem cœlestem pro hominibus consistere essentialiter in Dei visione intuitiva: quum hîc exhibeantur multi angeli ut eadem cum hominibus fruentes beatitudine oportet ut et ipsi visione Dei

intuitiva gaudeant: abyssus enim esset inter homines intuitiva Dei visione donatos et angelos *naturalem* tantum de Deo cognitionem habentes.

B. Hucusque demonstravimus *multos* angelos gaudere visione Dei intuitiva: ex hoc inferimus *omnes* angelos destinatos fuisse ad hunc finem ultimum supernaturalem. Porro recta est hæc illatio: etenim vi ipsius naturæ angelicæ ultimus finis seu beatitudo angelorum, *objective* est ipse Deus, *subjective* ipsa possessio Dei per cognitionem (1). Si ergo constat multos angelos gaudere visione Dei *intuitiva* recte concludimus ipsam naturam angelicam, in præsenti Providentiæ ordine, fuisse destinatam ad hunc finem supernaturalem. Et sane finis ultimus non est aliquid quod respiciat individuum qua tale, sed ipsam naturam, et ratione naturæ competit singulis individuis naturæ. Ergo omnes angeli destinati fuerunt ad visionem Dei intuitivam.

Hæc conclusio confirmatur ex modo quo in S. Scriptura sermo fit de angelis qui peccato ultimum finem amiserunt: *Diabolus in veritate non stetit*, Jo. VII, 44; *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit* (Jesus), Jud. 6. « Tales enim expressiones: *in veritate non stetit, non servaverunt suum principatum,* præsertim si cum reliquis, » quæ ex Sacra Scriptura citavimus, conferuntur, sublimissimam et supernaturalem dignitatem, ad quam angeli elevati erant, exprimunt. Indicatur videlicet, magnam dignitatem etiam angelis malis quondam concessam, et per peccatum amissam esse. Ista vero dignitas non consistit in donis naturalibus, quas angeli mali haud amiserunt: proinde continetur gratia sanctificante et donis supernaturalibus, quæ per peccatum deperdita sunt » (2).

(1) Cf. S. Thomas, I-IIæ, Q. II, a. 8; Q. III, a. 4; *Collat. Brug.*, T. III, p. 363.

(2) Jungmann, *De Deo Creatore*, n. 99.

2. Ex Traditione. Plura afferri possunt e Patrum scriptis testimonia quibus patet eorum persuasio, supernaturalem esse angelorum conditionem (1). Duo in exemplum hic transcribimus: « Quod angeli sunt, ab opifice Verbo, universorum conditore habent; eis vero sanctitatem Spiritus sanctus impertivit » (2). Atqui sanctitas, quam Spiritus sanctus, impertit, est supernaturalis, et ordinata ad visionem Dei intuitivam.

« Confitendum cum debita laude creatoris non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis angelis dici posse, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus est eis » (3). Tandem eadem doctrina proponitur in *Cathechismo Concilii Tridentini ad parochos:* « Spiritualem naturam immunerabilesque angelos, qui Deo ministrarent atque assisterent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiæ suæ et potestatis munere auxit atque ornavit » (4).

3. *Confirmatur* ex ratione theologica, nempe ex convenientia: si enim Deus, in præsenti Providentiæ ordine, humanam naturam destinaverit ad ultimum finem supernaturalem, a fortiori, ut videtur, angelicam naturam, quæ humanam multo superat in perfectione, ad eumdem finem destinaverit, ita ut omnia entia, intellectu prædita, ad Deum *facie ad faciem* et *sicut est* videndum, sint creata.

J. V. D. M.

---

(1) Cf. Jungmann, op. c., n. 101.

(2) S. Basilius, in Ps. XXXII, n. 4.

(3) S. Augustinus, *De Civitate Dei*, XII, 9. Cf. Einig, *De Deo Creante*, Treveris, 1898, p. 159.

(4) P. I, a. 1, n. 18.

III

Q. *Quid in jure nostro habetur circa rescissionem venditionis in casu læsionis, et quomodo hæ legis dispositiones foro conscientiæ applicantur?*

R. **Ad 1um.**

Ut jam obiter innuimus supra p. 175, in jure nostro conceditur actio rescissoria venditori rei immobilis, læso ultra septem-duodecimas pretii (de plus de sept douzièmes). Cfr. C. c., a. 1674 sqq.

Explicatur.

a/ *Cuinam conceditur actio?*

Generatim in casu læsionis non datur locus rescissioni contractuum, nam alias, cum vix unquam obligationes contrahentium sint prorsus æquales, nulli jam contractui ob hanc inæqualitatem standum foret. Attamen pro venditione statuitur exceptio in favorem venditoris, et jure merito: venditor enim opus habens pecunia, quam sola venditio ipsi procurare valet, sæpe sæpius vili pretio bona sua cedere cogeretur. Hæc autem exceptio non extenditur ad emptorem (a. 1683). Venditor vero illa frui potest, etiamsi in ipso contractu huic juri suo renuntiasset (a. 1674), quod pariter rationi est congruum: nam eadem necessitate qua compelleretur ad vendendum vili pretio, juri suo renuntiare deberet. Actio rescissoria, quam habet venditor adversus emptorem, aut tertium rei detentorem, post duos annos extinguitur, (a. 1676).

b/ *In quanam venditione?*

Rescissioni tantum datur locus in venditione *immobilium* (a. 1674), quibus comprehenduntur jura immobilia. Attamen non conceditur actio rescissoria in venditionibus aleatoriis; neque in illis, quæ juxta legem fieri nequeunt nisi auctoritate publica, (a. 1684); neque tandem in omni immobilium venditione, in qua venditoris jura læduntur, sed oportet ut læsio excedat

septem-duodecimas justi pretii infimi tempore venditionis. (a. a. 1674-1675) (1).

c/ *Quisnam est effectus actionis venditori concessæ?*

Si actio illa admittatur, seu, ut accuratius loquamur, si bene fundata judicetur, illius effectus est rescissio contractus; consequenter tenetur emptor ad rei vel juris immobilis restitutionem, repetendo pretium solutum. Nihilominus, ex. a. 1681, conceditur ipsi facultas sese ab ista obligatione liberandi, supplendo quod justo pretio deest, deducta tamen pretii totalis decima parte.

d/ *Quoad probationem læsionis,* cfr. C. c., a. 1677-1680. (2).

Ad 2um.

a/ Quando conceditur a lege beneficium rescissionis, unusquisque illo uti potest in conscientia; dispositiones enim illæ legis civilis non modo nihil injustum includunt, sed æquitati omnino consonæ apparent.

b/ Sed, ut plurimum, non conceditur actio in rescissionem, puta pro mobilibus, nec quoad immobile pro læsione infra septem-duodecimas pretii; quo in casu contractus non est rescindibilis, nisi ex errore vel fraude talis reddatur (3).

Nihilominus generatim (4), quamvis parti læsæ actio

---

(1) Pretium intelligendum est infimum, quia emptor poterat non emere nisi infimo, et proinde tantum infra tale pretium censetur adesse vera læsio. Æstimatio autem facienda est secundum valorem, quem habebat res tempore contractus, quia tunc existere debuit æqualitas. Cfr. Carrière, *De Contract.*, (Parisiis. 1844) T. II, p. 323.

(2) Hæc omnia fusius explicata invenies apud jurisperitos: Aubry et Rau, *Cours de Droit Civil Français*, T. IV, p. 413 ss.; Thiry, *Cours de Droit Civil*, T. III, p. 615 ss.; Duranton, *Cours de Droit Civil*, (Bruxelles 1841), T. IX, p. 158 ss.; Toullier et Duvergier, *Le Droit Civil Français*, (Paris 1835), T. II, (continuation), p. 96, ss; Troplong, *Le Droit Civil*, (Bruxelles 1844), p. 362, ss.; etc. etc.

(3) Quoad errorem et fraudem in contractu, cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *Tract. de Just.*, (Brugis 1886), T. I, p. 262 sqq.

(4) Dicimus *generatim*, nam nulla adesset injustitia, si contrahentes quadam donationis specie unus alteri favere intenderent, vel daretur specialis titulus, ob quem vendere liceret supra summum pretium aut emere infra infimum. Cfr. Marres, *De Justitia*, (Ruræmundæ 1888), T. II, p. 321 sqq.

in foro externo denegetur ne coram judice multiplicentur lites et jurgia, quoties æqualitas non servatur, sive venditoris sive emptoris jura lædantur, injustitia habetur, et proinde in foro conscientiæ exsurgit obligatio restituendi excessum supra summum pretium, vel defectum infra infimum (1); quod præclare, pro more suo, explicat S. Thomas, 2ª, 2ᵉ, q. 77, a. 1, ad 1ᵘᵐ: « Lex humana, inquit, populo datur, in quo sunt multi a virtute deficientes, non autem datur solum virtuosis; et ideo lex humana non potuit prohibere, quidquid est contra virtutem: sed ei sufficit ut prohibeat ea, quæ destruunt hominum convictum; alia vero habeat quasi licita, non quia ea approbat, sed quia ea non punit; sic ergo habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emptor vilius emat.... Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium; unde secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emptione et venditione non sit æqualitas justitiæ observata; et tenetur ille qui plus habet, recompensare ei qui damnificatus est ».

A. D. C.

IV

Q. *Quandonam venditor vitia rei venditæ manifestare tenetur?*

R. **Prænota.**

1° Circa res quæ venduntur, triplicis generis vitia considerari possunt: *vitium circa substantiam*, v. gr. si vendatur pro gemma vitrum, pro auro aurochalcum, etc.; *vitium circa quantitatem*, i. e. circa numerum, pondus aut mensuram; et denique *vitium circa quali-*

(1) Si de venditore agatur, excessus computandus est a summo pretio, quia venditor potuit vendere supremo pretio, et emptor dici nequit læsus nisi in eo quod excedat tale pretium; si vero agatur de emptore, ob similem rationem defectus computandus est a pretio infimo. Cfr. Carrière, *l. c.*, p. 327.

tatem, nempe circa accidens, rei usum et utilitatem plus minusve afficiens (1).

Ulterius autem distinguendum censemus inter *vitium substantiale* et *accidentale:* vitium substantiale vocamus defectum illius, quod primario et principaliter ab emptore intenditur, sive sit substantia sive accidens; vitium accidentale, quod versatur circa aliquid nonnisi secundario et accidentaliter intentum. Unde liquet hanc distinctionem cum præcedenti non esse confundendam.

2° Si spectentur mercium vitia relate ad jus nostrum civile, *alia sunt redhibitoria,* sic vocata, quia ex illis emptori nascitur actio in venditorem ad rursus habendum pretium, seu ad rescindendum contractum; *alia non redhibitoria,* de quibus nihil statuit legislator civilis.

Vitium redhibitorium ex a. 1641 definitur vitium occultum, quod tempore venditionis aderat, et rei usum aut tollit, aut adeo minuit ut emptor, si illud vitium ei notum fuisset, rem aut nullatenus aut non tanti emisset. Exinde jam intelligitur errorem circa vitium redhibitorium comprehendere non tantum errorem circa substantialia contractus, propter quem venditio ne existere quidem reputatur, sed etiam circa accidentalia, seu circa qualitates secundario intentas, quæ rei usum et utilitatem saltem notabiliter minuunt. Unde vitium redhibitorium juris nostri civilis ne confundas cum vitio *circa substantiam,* imo attende non coincidere omnino cum *vitio substantiali,* ut supra.

Quoad hæc vitia redhibitoria cfr. C. c., a. 1641-1649, cum modificationibus circa venditionem aut permutationem animalium domesticorum statutis lege 25 Aug. 1885, edicto regio 3 Sept. 1885, et lege 3 Jul. 1894. Præscindimus autem ab his legis civilis dispositionibus, tum quia generatim referunt jus naturæ, tum quia de illis infra speciatim sermo erit.

---

(1) Cfr. S. Thom. 2ª 2æ, q. 77, a. 2, in corp. art.

3° Satis apertum est venditorem obligari ad vitandam omnem fraudem, qua emptor injuste deciperetur. Fraudem vero, ut ait Billuart, adhibere potest vel *positive*, vel *negative* tantum : positive, quando verbis aut factis, puta mendaciis aut fuco, conatur occultare vitia suæ mercis ; negative, quando non manifestat vitia mercis, quoties ea manifestare tenetur (1) ; et quoad hanc fraudem negativam principia juris naturæ exponere intendimus.

Itaque **respondemus.**

I. *Vitium circa substantiam*, regulariter ex stricta justitia manifestare debet venditor. Etenim hujusmodi vitium generatim afficit substantiam contractus (2), ideoque prorsus impedit emptoris consensum, ad contractus existentiam requisitum. Unde venditor tale vitium non manifestans, tenetur non tantum restituere pretium, sed etiam compensare damna modo aliquatenus fuerint prævisa.

Dicitur vero « *generatim,* » nam si vitium illud circa rei substantiam esset tantum vitium accidentale, tunc nisi dolus dederit causam contractui, satis esset restituere pretii excessum ; immo non semper injustitiæ reus erit, qui tradit, ut aiunt, *quid pro quo*, nempe pro una re aliam æque vel fere æque utilem, sed, ut monet S. Alphonsus, n. 821, oportet ut venditor sit certus non dubius de tali æqualitate virtutis, et diminuat pretium in quantum res tradita forte minoris valeat.

II. *Vitium circa quantitatem* tenetur venditor manifestare, minuendo saltem pretium pro quantitatis defectu. Hoc vitium plerumque afficit tantum accidentalia contractus ; quamvis igitur contractus non sit

---

(1) Cfr. Billuart, *Tract. de Contract.*, a. 6. — Hæc tamen intellige, ut addit ipse Billuart, cum isto moderamine quod dolus non sit communis, nec notus emptoribus, alioquin non censentur illo decipi, sicut omnibus notum est mercatores generaliter extollere merces, et solere aliquantulum illas fucare, et meliores exterius apponere.

(2) Aliis verbis, tale vitium generatim etiam erit vitium substantiale.

inexistens, modo salvus maneat consensus circa substantiam, neque etiam de se rescindi possit ad nutum emptoris, nisi dolus fuerit antecedens, certo tamen contractus illicitus et injustus est ratione dolosi excessus in pretio, qui proinde emptori restitui debet (1).

III. Quoad *vitium circa qualitatem.*

1° Venditor, *expresse de determinato vitio interrogatus,* ex stricta justitia illud emptori manifestare tenetur, nisi sit parvi momenti, quo cognito emptor æque fuisset empturus. Et hæc, ut ait Lessius (2), est communis theologorum doctrina. Emptor enim jus strictum habet ad ea cognoscenda, propter quæ rem aut nullatenus aut non tanti emere vult, et bona fides, in contractibus ex justitia servanda, postulat ut ei secundum veritatem respondeatur. Quodsi emptor *tantum in genere interroget,* obligatio manifestandi non ita urget, modo res sit ad finem emptoris utilis, et vitii ratio habeatur in statuendo pretio.

2° *Si non interroget emptor.*

a/ *Manifestum rei vitium* (illud nempe quod communi diligentia potest adverti) etiamsi rei usum aut tollat, aut notabiliter minuat, ex stricta justitia non tenetur aperire venditor, modo minuatur pretium pro rata defectus. Et ratio est, quia tunc non fit injuria emptori, nec ratione pretii quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non advertat emptor sibi imputare debet. Attamen teneretur ex justitia monere emptorem, quem physica impossibilitate (v. gr. ob visus debilitatem) rei vitium detegendi laborare videret, cum vitium in se manifestum respectu talis emptoris esset occultum (3).

---

(1) Ita fere ad verbum Van Egeren, *fasc.* 4, p. 55; insuper advertit probabiliter excipi casum, quo venditor recta mensura utens, non possit consequi justum pretium propter injustitiam taxæ legalis, vel propter injustum monopolium emptorum inter se convenientium ne justum pretium offerant. Hoc nempe in casu, ex plurium opinione, licite potest uti mensura in tantum manca, in quantum ad pretium, infimum tamen dumtaxat, perveniat, atque ita juste se liberet ab injusta vexatione.

(2) l. II, cap. 21, dub. 11.

(3) Cfr. Billuart, *l. c.*

Præterea charitas quandoque postulat ut venditor admoneat emptorem, qui ex ignorantia manifesti vitii damnum caperet; nam quilibet ex charitate damnum alienum præcavere debet, quod charitatis officium venditorem tamen non ligat cum majore aut æquali sui ipsius damno (1).

b/ *Vitium occultum et simul notabile* ex justitia manifestare debet: nempe vitium, quod rem venalem reddit aut nocivam aut emptori prorsus vel notabiliter inutilem, ad communem rei usum, vel ad specialem finem ab emptore intentum et sive explicite sive implicite ex rerum adjunctis significatum. Nam cum res, ad dictum usum in re ipsa inutilis, nihilominus ad illum usum utilis esse videatur, venditor hanc utilitatem tacite confirmat reticendo vitium occultum, ideoque malitiosa fraude emptorem ad contrahendum inducit, et sine justa causa occasionem præbet damno proximi; quare etiam omnia damna ex tali dolosa venditione exorta reparare tenetur. Injustitia tamen levis erit, ubi propter hujusmodi vitium subtrahatur quantum oportet de pretio, ac emptor possit de facili et sine incommodo rem alteri usui accommodare, vel æquali pretio aliis revendere (2).

c/ *Si vitium est occultum, sed non notabile,* nulla justitiæ lege constringitur venditor ad illud manifestandum, modo servet pretium proportionatum, quod communiter theologi docent et abunde constare videtur ex communi etiam timoratorum usu et praxi, circa quam emptores rationabiliter inviti esse non possunt, secus enim tota inter cives negotiatio subverteretur in societatis detrimentum (3). Iterum vero obligare potest charitas ad monendum emptorem post contractum, si nempe vitium ignorans rem diutius servare vellet quam servari possit, vel eam revendere tertio pluris quam valeat.

---

(1) Cfr. Marres, *De Justitia,* (Ruræmundæ 1888), II, p. 345.

(2) Cfr. S. Thom, *l. c.,* a. 3; Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia,* (Brugis 1885), I, p. 449; Van Egeren, *o. c.,* p. 59.

(3) Cfr. S. Thom., *l. c.* — Gousset, *Code civil commenté,* ad a. 1641.

Denique *quoad modum, quo obligationi vitia manifestandi satisfiat,* notetur venditorem liberari vel sincere et nominatim vitia revelando (1); vel merces vendendo in talibus adjunctis, ut illarum defectuositas per se intelligi, aut præsumi debeat, v. gr. vendendo qua veteramentarius, aut circumferendo merces (als rondleurder); vel aperte declarando se nolle vendere mercem nisi ut jacet, seu modo aleatorio, tunc enim regulariter satis admonetur emptor ut sibi consulat. Inde merito (quod ex Tamburini tradit S. Alph., n. 823) toleratur consuetudo, alicubi vigens, præsertim in nundinis magnis, quod ita vendantur animalia, etiamsi vitia sint occultissima: ratio, quia ad tollendas lites ob commune bonum satis hoc cohonestari potest a consuetudine, dummodo res ultra prètium justum saltem summum non vendatur, habita ratione illius vitii occulti (2).

A. D. C.

V

Q. *Quid dicendum de obligatione venditoris bona fide mercis venditæ vitia ignorantis?*

R. Exponendum ad quid teneatur venditor ex jure naturæ, ad quid ex jure nostro civili.

I. De jure naturæ.

Distinguendum est inter errorem substantialem, versantem nempe circa aliquid primario et per se ab emptore intentum, et errorem accidentalem.

1° Si agatur *de errore substantiali,* venditio est ipso jure naturæ inexistens, cum desit consensus; unde venditor pretium solutum reddere tenetur in quantum

(1) Advertunt AA. communiter, non excusari a dolo venditorem, si dicat: vendo tibi equum, v. gr. pro cæco, claudo, furioso, et omnibus vitiis affecto, etiamsi inter alia vitia falsa enumeret illud verum, quando ex ipso modo respondendi magis occultatur verum vitium dictum cum illis, quæ emptor clare videt esse falsa. Cfr. De Lugo, *De Just. et Jure,* Disp. XXVI, sect. 8, n. 133, Billuart, *l. c.*

(2) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.;* Theol. Mechl., *De Jure et Just.,* (Mechl. 1896), p. 327.

illud adhuc vel in se vel in æquivalenti detineat (1), damna autem, quæ forte occasione hujus contractus emptori obvenerint, resarcire non debet, quia nulla fraus adhibita fuit (2).

2° *Si error fuerit accidentalis tantum,* venditio generatim firma consistit. Nihilominus vitio cognito ex justitia obligatur venditor ad restituendum pretii excessum, juxta verum mercis valorem determinandum, ut servetur æqualitas quæ est lex hujus contractus. Dicitur « generatim », quia venditio est rescindibilis in casu erroris antecedentis, si qualitas de qua agitur assecurata fuit.

Nota.

Tali venditori, vitia mercis ignoranti, æquiparandus videtur ille, qui vitia rei cognoscens bona fide se ea posse reticere putat.

II. **De jure civili.**

Ut in præc. resp. jam notavimus, jus civile agit tantum de vitiis redhibitoriis; illa definit a. 1641, sed quænam vitia in particulari redhibitoria sint censenda, lex non decernit, id ex consuetudinibus locorum et prudentia judicum est determinandum, excepta tamen animalium domesticorum venditione aut permutatione, circa quam legibus specialibus supra indicatis vitia redhibitoria nominatim assignantur.

Emptori vero ratione vitii redhibitorii duplex conceditur actio: altera *redhibitoria,* nempe ad rescindendum contractum, altera vero *quanti minoris*, ad recuperandum pretii excessum juxta æstimationem peritorum, a. 1644. (3)

---

(1) Applicandæ enim sunt leges generales de possessore bonæ fidei.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, supra p. 33, ubi ostenditur, quænam sit in conscientia efficacitas actus ipso jure naturæ inexistentis.

(3) Iterum excipitur venditio aut permutatio animalium domesticorum, de quibus lex 25 Aug. 1885. Pro hac conceditur tantum actio redhibitoria, forte ad removendas lites circa determinationem excessus pretii restituendi. Pro cæteris rebus inter utramque actionem eligere potest emptor, sed *electa una via excluditur altera.*

Ex his jam de facili deducitur obligatio venditoris:

1° *Quoad actionem redhibitoriam.*

Venditor, qui vitium redhibitorium bona fide non manifestavit, quia ipse illud ignorabat, tenetur emptori restituere rei pretium, et compensare dispendia emptionis et rei traditionis, in quantum ea solvit (1).

Quodsi quæratur, utrum illa obligatio in foro conscientiæ urgeat ante sententiam judicis, respondemus:

a/ si agatur de vitio, quod ex ipso jure naturæ contractum vel inexistentem vel rescindibilem reddit, venditor post emptoris petitionem ad restitutionem tenetur (2);

b/ contra si sermo sit de vitio accidentali, quod nullatenus contractui causam dederit, illa obligatione non constringitur venditor nisi post sententiam judicis (3).

2° Quoad actionem *quanti minoris*.

Venditor, qui bona fide rem supra justum pretium vendidit, vitio cognito obligatur, etiam ante judicis sententiam, ad eam pretii partem restituendam, quam propter rei vitium absque titulo recepit (4).

A. D. C.

---

(1) Aliud dicendum esset de venditore malæ fidei, nam ille insuper teneretur reparare damna ex tali contractu emptori oborta. Censetur vero malæ fidei, licet vitia non certo cognoverit, si tenebatur ea cognoscere ratione sui officii, vel si habuerit rationes ea saltem suspicandi et satis diligenter non inquisierit.

(2) Ratio est, quia, licet legislator (cfr. a. 1648), supponat sententiam judicis, in quo, ut supra notatur p. 33, non contradicit juri naturæ, non videtur tamen emptor cogi posse ad subeunda incommoda et expensas litis, cum contractus jure naturæ inexistens nullam vim in conscientia habeat, et contractus jure naturæ rescindibilis, ad nutum emptoris rescindi debeat.

(3) Hæc dispositio juris civilis, qua conceditur actio redhibitoria ratione vitii, quo cognito emptor, licet minoris, tamen empturus fuisset, manifeste superaddit juri naturæ. Ita forte statuit legislator ad removendam omnem litem de eo, quod vitio cognito facturus fuisset emptor, scil. utrum fuisset empturus, necne; quæ quæstio sane difficilis est, cum ab ipso emptore pendeat.

(4) Cfr. Marres, *o. c.*, p. 342, sqq.; Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, p. 457.

VI

Q. *Les traitements des succursalistes et des vicaires sont-ils concordataires et pourquoi?*

R. **Remarque préliminaire.**

Pour qu'un traitement soit dit concordataire, il ne faut nullement que les offices ecclésiastiques dont ils sont la dotation, aient été créés en 1802, par application immédiate des art. 2 et 9 du Concordat; mais il suffit qu'ils aient été institués postérieurement dans les limites de cet acte et conformément à ses prescriptions. Il n'y a entre ces deux catégories, qu'une différence, celle de la date de leur érection. (1)

Réponse.

Les traitements des succursalistes et des vicaires sont concordataires. En se plaçant dans la lettre du Concordat, les premiers le sont explicitement, les seconds implicitement et tous deux ont ce caractère quand on se place dans l'esprit de cette convention.

1° *Quant aux succursalistes.* — Le Concordat (2) et les décrets d'exécution émanés du Saint Siège (3) ne

---

(1) Cf. Caulet, *L'avocat du clergé*, Paris, 1897, p. 56; *Revue du clergé français*, T. XXIX, 1901, p. 80; Crouzil, *Les traitements ecclésiastiques*, Paris, 1903, p. 36-40, où il cite l'argumentation très juste de M. Waldeck-Rousseau dans sa réponse aux conclusions contraires du rapporteur du budget des cultes en 1900.

(2) M. Lauwers, *Du caractère légal des traitements payés par l'État au clergé catholique*, Bruges, 1879, p. 41, définit très bien le caractère juridique du Concordat. Pour transmettre à l'État les droits antérieurs de l'Église « il a fallu, dit-il, un contrat bilatéral, opérant entre les parties; une novation civile du droit de répétition ou de revendication, en un droit de créance et substituant à la propriété abandonnée sous cette condition, une rente, un service d'indemnités et de prestations annuelles, perpétuel et irrévocable ».

(3) Art. 9, 14 du Concordat; Bulles de Pie VII: *Ecclesia Christi* du 15 Août 1801, et *Qui Christi dominici* du 30 Nov. 1801; le décret général d'érection du cardinal Caprara du 9 Avril 1802. (Voir ces actes ap. Bon, *Législation des paroisses*, Bruxelles, 1841, p. 73-110); décrets spéciaux d'érection des diocèses (*Rev. théol.*, S. I, 1856, p. 339 ss.).

parlent que d'une espèce de paroisses, dont les éléments étaient, d'après le droit commun de l'Église: un territoire à limites fixes, déterminées par le souverain pontife ou l'évêque, avec un peuple certain ayant un recteur unique et perpétuel pour lui administrer les sacrements et autres secours spirituels, *jure proprio*. La détermination du nombre des paroisses et leur délimitation devaient se faire par les évêques, suivant les prescriptions du droit canonique sauf consentement du pouvoir civil (a. 9).

Vinrent les articles organiques (1) du 18 Germinal an X, qui basés sur les principes du Gallicanisme et s'inspirant de la constitution civile du clergé, établirent une organisation des paroisses bien différente de celle qu'exigeait une application juste du Concordat. (2).

Bonaparte dans le but de dominer le clergé inférieur, en réduisant le plus possible le nombre des curés inamovibles et de vaincre l'opposition très vive que la restauration du culte catholique rencontrait au Tribunat et au Corps législatif, en se montrant économe

---

(1) On ne peut confondre le Concordat avec les articles organiques du Concordat, (texte ap. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can. civ. Compend.*, T. I, en appendice, nº 3). Ceux-ci inspirés par le mauvais génie que fut Talleyrand dans toute l'affaire du Concordat, et élaborés par Portalis furent convertis en loi le même jour 8 Avril, et au même titre que la célèbre convention. Aux yeux de l'Église, ces articles faits sans elle et à l'encontre d'elle, sont sans valeur pour vice d'incompétence, en tant qu'ils légifèrent sur des matières ecclésiastiques. Ils valent comme loi d'État, en tant qu'ils sont une application des principes du Concordat, et ont une valeur interprétative des intentions du gouvernement français. Voir: De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. I, p. 91-92, nº 77; Daris, *L'Église et l'État en Belgique*, le Mémorial, T. VIII, 1864, col 167 ss.; André, *Dictionnaire de droit canonique*, Paris, 1844, Vº Articles organiques, Concordat.

(2) Rinieri, *La diplomatie pontificale au XIXe s.*, Paris, 1903, p. 297 ss., 459 ss.; Mathieu, *Le Concordat de 1801*, Paris, 1903, p. 326-333; Daris, *o. c.*, le Mémorial, T. VII, 1863, col. 376-400.

jusqu'à l'avarice, (1) s'empressa de prendre l'initiative de cette érection.

Il y aura, décréta-t-il, *au moins* une paroisse dans chaque justice de paix et il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger (a. 60 des organ.). Les succursalistes seront des vicaires du curé de canton (a. 31) sauf qu'il appartiendra à l'évêque de les nommer (a. 63); ils seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés et le montant de ces pensions et le produit des oblations formeront *leur traitement* (a. 68). Mais la situation a changé. Les évêques érigèrent les succursales comme de véritables paroisses et établirent les succursalistes comme de vrais curés mais amovibles (2) et *cela du consentement du gouvernement* (3). Agissant ainsi, ils usaient des pouvoirs que leur avait conférés l'art. 9 du Concordat, dont toutes les prescriptions étaient observées. (4) Donc au point de vue légal, les succursales sont devenues des cures et les titulaires de ces offices ecclésiastiques ont concordatairement droit au traitement stipulé a l'art. 14. Aussi le gouvernement français dès le 31 Mai 1804 (5) leur assura un traitement moins mesquin que celui qui leur était

---

(1) Taine, *Les origines de la France contemporaine*, Paris, 1879-1894. *Le régime moderne*, T. I, p. 238; T. II, chap. I, II, où en de fortes pages il montre comment l'État envahissant et centralisateur a mis la main sur l'Église et y agit comme en pays conquis. Voir p. 39-47 les modifications apportées dans la hiérarchie de l'Église; Rinieri, *o. c.*, p. 434-443.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. I, p. 408-409, nº 492; Feye, Tractat. autogr. *de Parochis*, p. 239 sqq.

(3) De mutiples documents prouvent la chose. Voir; Feye, *o. c.*, p. 243-244; Daris, *o. c.*, le Mémorial, T. VIII, col. 145-147; De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*; *Collat. Brug.*, T. I, p. 348 ss.; Crouzil, *o. c.*, p. 48-49. La seule différence qui, au point de vue civil, existe entre les curés de 1e où de 2e classe et les désservants ou succursalistes est une différence de nom et de quotité de traitement.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, p. 481 ss., nº 1161.

(5) De Champeaux, *Recueil général du droit civil-ecclésiastique français*, Paris, 2e éd., T. II, p. 311-312; voir les décrets du 26 Déc. 1804 et du 22 Fév. 1805 (*ibid.*, p. 321-325), du 25 Janv. 1807 (*ibid.*, p. 362-363), du 15 Mars 1814 (*ibid.*, p. 470) etc.

garanti par les organiques, mais payé de la même manière que celui des curés et qui dès 1807 (1) s'appelle du même nom de dotation. (2)

Au reste, en faisant abstraction des considérations qui précèdent et à considérer seulement la situation des desservants sous les organiques, l'opinion qui soutient que ces ecclésiastiques auraient encore droit à un traitement concordataire est solidement fondée. Les arguments sont de même nature que ceux que nous apporterons pour établir la seconde partie de la réponse.

2° *Quant aux vicaires.* — Le gouvernement avait à l'art. 14, assumé l'obligation d'assurer un traitement *convenable* aux évêques et aux curés. Le mot traitement comme l'indiquent la formule latine « *sustentationem quæ cujusque statum deceat,* » et les organiques (titre IV, Sect. III) ne signifie pas seulement une somme d'argent, mais tout ce qui était requis à ces anciens bénéficiaire pour vivre avec décence et remplir avec dignité toutes les obligations de leur état (3). Or d'après le droit canon, et la pratique générale avant le Concordat, quand le besoin des âmes l'exige, les curés sont tenus de s'adjoindre des auxiliaires qui ont droit en cette qualité, à une honnête sustentation représentée par une portion congrue à prélever principalement sur les fruits et revenus des bénéfices curiaux. (4) Or c'est

---

(1) De Champeaux *l. cit.*, p.377-382; Daris, *La liberté de la religion catholique*, Liège, 1865, p. 43.

2 La solution de cette question est indépendante du fait que Rome ne protesta point, par la voix de son légat, contre cette nouvelle organisation des paroisses. Les articles 67 et 68 furent néanmoins l'objet des protestations du Cardinal Antonelli, Rinieri, *o. c.*, p. 620.

(3) Rapport de Portalis au conseil d'État. De Champeaux, *loc. cit.*, p. 70; Sévestre, *L'histoire, le texte, et la destinée du Concordat de 1801*, Angers, 1903, p. 105.

(4) Deneubourg, *Etude canonique sur les vicaires paroissiaux*, Tournai, 1871, p. 336-338; *Traité des vicaires paroissiaux* dans les *Analecta Juris Pontificii*, S. V, T. III, p. I, col. 877 ss. et 980 ss.; Van den Berghe, Tract. autogr. *de vicariis parochialibus*, p. 22; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. I, p. 432, n° 518; Crouzil, *Paroisses de l'ancien régime et paroisses actuelles*, Revue cath. des Institutions et du Droit, t. XXXII, 1904, p. 12.

précisément aux revenus des anciens bénéfices que du consentement des deux parties ont été subrogées les dotations des curés, et c'est pourquoi le gouvernement en exécutant le Concordat devait ou augmenter en proportion ces traitements ou payer directement les vicaires. C'est ce second parti qu'il a pris. (1)

Au reste telle a bien été l'intention des contractants.

La lettre adressée par Mgr Spina au premier consul, le 15 Novembre 1800 (2), le premier projet de traité émané du gouvernement et proposé par Bernier à la signature du négociateur pontifical, le 26 Novembre (3), le projet Romain du 15 Avril 1801 (4), tous ces actes mentionnent explicitement l'obligation du gouvernement d'assurer la subsistance de *tous* les ministres du culte. Voici ce que Bernier autorisé par le ministre, écrivait le 15 Juin 1801 à Mgr Spina, lors des discussions très vives suscitées par la rédaction de l'art. 1, dans le projet Romain. Vous voulez, dit-il en se méprenant sur les intentions de Rome, que la religion catholique soit déclarée nationale et dominante ; mais ce que vous voulez, le traité le renferme d'un bout à l'autre « car que faut-il pour qu'une religion soit protégée solennellement par un gouvernement? Que le gouvernement *reconnaisse ses ministres, les dote*, leur donne des églises, des séminaires pour former des clercs etc. : tout cela peut-il se faire sans un culte libre, protégé, soutenu, public et civilement reconnu ? Tout cela néanmoins appartient *à l'essence du nouveau*

---

(1) Crouzil, *o. c.*, p. 58-59 ; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, p. 361, nº 1068 ; Daris, *l'Église et l'État en Belgique*, le Mémorial, T. VIII, col. 140-141.

(2) Mathieu, *o. c.*, p. 93. — D'après le cardinal Maury, Bonaparte, dans les propos qu'il tint au cardinal Martiniana après la bataille de Marengo, aurait déjà parlé d'une dotation en biens fonds de *tout* le clergé. *Ibid*, p. 6-7.

(3) *Coll. Brug.*, T. IX, p. 179.

(4) Rinieri, *o. c.*, p. 79.

Concordat et tout cela dit plus que les expressions exigées pour le 1er article » (1).

Aussi les lois d'application du Concordat, les organiques en tête (2), suivis d'une série de décrets et de décisions (3) parlent d'un véritable traitement (4) des vicaires, traitement qui leur était du et à titre d'indemnité et à titre de subvention nécessaire au culte catholique qui ne pouvait subsister sans ministres, quel que soit le procédé que le gouvernement ait suivi, pour satisfaire à son obligation. (5) Donc, si l'on rapproche les prescriptions de la discipline bénéficiale de l'Église, des déclarations et actes tant antérieurs que postérieurs à la signature du Concordat, il appert qu'il faut com-

---

(1) Mathieu, *o. c.*, p. 218.

(2) a. 68 des organiques. Que telle est l'interprétation à leur donner, apparait clairement des déclarations de Portalis et de Siméon. Voir : le discours sur l'organisation des cultes et l'exposé des motifs du projet de loi relatif à la convention passée entre le gouvernement français et le pape, lu devant le Corps législatif par le conseiller d'État Portalis à la Séance du 5 Avril 1802 (De Champeaux, *o. c.*, T. II, p. 100) ; le rapport de Portalis au Conseil d'État, sur les articles organiques et le Concordat (*ibid.*, p 70-71); le rapport au Tribunat par M. Siméon, au nom de la commission chargée de l'examen du projet de loi relatif au Concordat (*ibid.*, p. 119-120); le rapport présenté au gouvernement de la République par Portalis, le 22 Septembre 1803 (*ibid.*, p. 289).

(3) Les arrêtés du 18 Germinal, an XI ; 11 Fructidor, an XI ; 30 Décembre 1809, a 38 ss. ; l'avis du Conseil d'État du 19 Mai 1811 etc. De Champeaux, *o. c.*, p. 296, 299, 497, 436.

(4) En fait les pensions payées par la Constituante, étaient l'équivalent d'un traitement; par les organiques, ajoutées aux oblations, elles le deviennent en droit. Cette subvention était sans doute insuffisante ; mais comme le remarque judicieusement Taine, personne ne s'entend mieux que Napoléon à faire des bons marchés, c'est-à-dire, à donner peu pour recevoir beaucoup. D'ailleurs il devait ménager le groupe nombreux de révolutionnaires athées qui rejetaient toute entente avec l'Église. Plus il se sent le maître, plus il travaille à reconstruire la fortune ecclésiastique et à restaurer le culte, tout en épargnant la fortune de l'État et en assujettissant le clergé, pour le faire servir à sa politique. Voir la série de ces actes dans le recueil cité de De Champeaux, T. II, p. 1-470.

(5) Voir en ce sens les déclarations très nettes de M. Waldeck-Rousseau, lors de la discussion du budget des cultes en 1900, ap. Crouzil, *o. c.*, p. 56-58; Sévestre, *o. c.*, p. 58 ss.; Caulet, *o. c.*, p. 54 ss.; Tainè, *o. c.*, T. I, p. 235.

prendre dans les mots *évêques et curés* de l'art. 14, leurs auxiliaires indispensables.

(3) Notari potest eamdem esse disciplinam quoad colorem *conopei* tabernaculi, quod potest esse vel coloris albi vel, convenientius, ejusdem coloris, cujus sunt antipendium et cetera paramenta altaris, præter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo, in exequiis defunctorum (Decr. S. R. C. 21 Julii 1855, n. 3035, ad 10, antiq. n. 5221, ad 12).

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Recordatio Gregorii Magni, recurrente decimo tertio ab ejus obitu centenario, Pontifici in præsentibus quibus premitur anxietatibus et sollicitudinibus, animum addit et fiduciam.

Jucunda sane accidit recordatio, Venerabiles Fratres, magni et *incomparabilis viri* (1), Gregorii Pontificis hujus nominis primi, cujus, vertente anno millesimo tercentesimo ab ejus obitu sæcularia solemnia celebraturi sumus. Nec absque singulari Dei providentia, qui *mortificat et vivificat..., humiliat et sublevat* (2), factum esse arbitramur, ut, inter, apostolici ministerii Nostri pæne innumerabiles curas, inter tot animi anxietates ob plurima eaque gravissima, quæ universæ Ecclesiæ per Nos regendæ debemus, inter sollicitudines queis premimur, ut et vobis, Venerabiles Fratres, in apostolatus Nostri partem vocatis, et fidelibus omnibus curæ Nostræ commissis quam optime satisfiat, vel a Nostri summi Pontificatus exordiis, in sanctissimum hunc et illustrem Decessorem, Ecclesiæ decus atque ornamentum, oculorum aciem converteremus. Erigitur quippe animus ad magnam fiduciam in ejus patrocinio penes Deum validissimo, et eorum, sive quæ sublimi magisterio præcepit, sive quæ sancte gessit, memoriâ recreatur. Quod si ipse et præcepto-

(1) *Martyrol. Rom.* 3 Sept.
(2) *1 Regum* II, 6, 7.

rum vi et fecunditate virtutum in Ecclesia Dei tam ampla, tam alta, tam firma vestigia signavit, ut jure ab æqualibus et a posteris *Magni* nomen sit consequutus, apteturque illi vel hodie, tot sæculorum intervallo, ipsius inscripta sepulcro laudatio: *innumeris semper vivit ubique bonis* (1), fieri profecto non potest, ut admiranda illius exempla sectantibus, divina opitulante gratia, non liceat, quantum humana sinit infirmitas, sua officia tueri.

Gregorio pontificatum inchoante, summa erat rerum publicarum perturbatio;

Ea persequi vix opus est quæ ex historiæ monumentis nota sunt omnibus. Summa erat publicarum rerum perturbatio quo tempore supremum inivit pontificatum Gregorius; exstincta prope vetus humanitas, romani ruentis imperii dominatus omnes barbaries invaserat. Italia vero, à Byzantinis imperatoribus derelicta, facta fere Langobardorum præda fuerat, qui, suis nondum compositis rebus, huc illuc excurrebant, omnia ferro flammâque vastantes, luctu omnia cædibusque complentes. Hæc ipsa Urbs, minis hostium exterius perculsa, interius afflicta pestilentiâ, eluvionibus, fame, eo miseriæ devenerat, ut jam procurandæ incolumitatis, non modo civium, sed confertæ multitudinis se intus proripientis, ratio nulla suppeteret. Cernere namque erat sexus omnis et conditionis homines, episcopos, sacerdotes sacra vasa rapinis erepta portantes, religiosos viros, intemeratas Christi sponsas, fuga se, vel ab inimicorum gladiis, vel a perditorum hominum turpi violentia subducere. Romæ autem Ecclesiam ipse Gregorius appellat: *vetustam navim vehementerque confractam... undique enim fluctus intrant, et quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonant* (2). At quem Deus suscitaverat nauta manu pollebat, et clavo tractando præpositus, non modo inter æstuantes procellas ad portum appellere, sed navim a futuris tempestatibus præstare tutam valuit.

misera nimis Urbis conditio.

Vere miranda perfecit Gregorius, ut Ecclesiæ et Reipublicæ consuleret,

Ac mirum quidem quantum ipse perfecit spatio regiminis annorum vix supra tredecim. Exstitit enim christianæ vitæ instaurator universæ, excitans pietatem fidelium, observantiam monachorum, cleri disciplinam, sacrorum antistitum pastoralem sollicitudinem. *Prudentissimus paterfamilias Chri-*

(1) Apud Joann. Diac., *Vita Greg.*, IV, 68.
(2) *Registrum* I, 4 ad Joann. episcop. Constantinop.

sti (1), Ecclesiæ patrimonia custodivit, adauxit, egenti populo, christianæ societati et singulis ecclesiis, pro sua cuique necessitate, large copioseque suppeditans. Vere *Dei consul factus* (2), actuosæ voluntatis fecunditatem ultra Urbis mœnia porrexit, totamque in bonum consortii civilis impendit. Byzantinorum imperatorum injustis postulationibus restitit fortiter; exarcharum et imperialium administrorum fregit audaciam, sordidamque avaritiam coercuit, publicus justitiæ socialis adsertor. Langobardorum ferociam mitigavit, minime veritus ad portas Urbis obviam ire Agilulfo, ut ipsum ab ea obsidione dimoveret, quod idem cum Attila Leo Magnus pontifex egerat; nec a precibus blandisque suasionibus, aut ab agendo sagaciter ante destitit, quam formidatam eam gentem tandem aliquando pacatam vidit, æquiore reipublicæ forma constituta, eandemque catholicæ fidei additam, operâ in primis piæ reginæ Theodolindæ, in Christo filiæ suæ. Quare Gregorius jure sibi vindicat nomen servatoris et liberatoris Italiæ, hujus nempe *terræ*, quam ipse suaviter vocat *suam* (3). Pastoralibus ejus, nunquam intermissis curis, in Italia, in Africa errorum reliquiæ exstinguuntur, Ecclesiæ res ordinantur in Galliis, Visigoti in Hispaniis inchoatæ conversionis incrementa suscipiunt, Britannorum inclyta gens, quæ, *dum in mundi angulo posita in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc usque remaneret* (4), et ipsa ad veracem Christi fidem accedit. Cujus tam pretiosæ acquisitionis accepto nuntio Gregorius eo gaudio perfunditur, quo carissimi filii complexu pater, Jesu Servatori accepta referens omnia, *cujus amore*, inquit ipse, *in Britannia fratres quærimus, quos ignorabamus; cujus munere, quos nescientes quærebamus, invenimus* (5). Ea vero gens adeo se memorem Pontifici sancto probavit, ut ipsum usque appellarit: *magistrum nostrum, Apostolicum nostrum, Papam nostrum, Gregorium nostrum*, seque tamquam sigillum apostolatus ejus existimarit. Denique tanta in ipso fuit operæ vis, tanta salubritas, ut rerum ab

tum in Italia,

tum apud alias nationes,

maxime in Anglia, cujus ad fidem Christi conversionem procuravit.

---

(1) Joann. Diac., *Vita Greg.*, II, 51.
(2) *Inscr. sepulcr.*
(3) *Registr.* V, 36 (40) ad Mauricium Aug.
(4) Ibid. VIII, 29 (30) ad Eulog. episcop. Alexandr.
(5) Ibid. XI, 36 (28) ad Augustin. Anglorum episcop.

eo gestarum memoria alte insederit in animis posterorum, media ætate potissimum, quæ spiritum quodammodo ab eodem infusum ducebat, ejus verbo quasi alimentum trahebat, ejus ad exempla vitam moresque conformabat, succedente feliciter in orbe terrarum christianæ societatis humanitate adversus romanam, quæ, sæculorum emensa cursum, esse omnino desierat.

Felicem operum suorum successum totum, præ humilitatis sensu Deo tribuit;

Hæc mutatio dexteræ excelsi! Ac vere quidem affirmare licet, sic persuasum fuisse Gregorio, non aliam nisi Dei manum talia patrasse. His enim verbis de Britanniæ conversione sanctissimum monachum Augustinum affatur, quæ sane de ceteris omnibus in ministerio apostolico ab ipso gestis intelligi possunt. *Cujus opus hoc est,* inquit, *nisi ejus qui ait: Pater meus usque nunc operatur et ego operor?* (1) *Qui ut mundum ostenderet, non sapientia hominum, sed sua se virtute convertere, prædicatores suos, quos in mundum misit, sine litteris elegit; hoc etiam modo faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari* (2). Equidem Nos minime latent, quæ sancti Pontificis oculis, de se abjecte sentientis, omnino fugiebant, et rerum gerendarum peritia, et in cœptis ad exitum perducendis ingenium sagax, et in rebus disponendis mira prudentia, et sedula vigilantia et non intermissa sollicitudo. At compertum pariter est, ipsum, non qua hujus mundi principes, vi et potentia fuisse progressum, qui in altissimo illo pontificiæ dignitatis fastigio primus voluerit appellari: *Servus servorum Dei*, non profana tantum scientia aut *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* (3) viam sibi munivisse, non prudentiæ tantum civilis consiliis, non instaurandæ societatis rationibus diuturno studio præparatis ac deinde in rem deductis, non denique, quod admirationem habet, mente concepto sibique proposito vasto aliquo tramite, in apostolico ministerio sensim percurrendo; quum contra, ut notum est, in ea esset cogitatione defixus, qua putaret imminere mundi finem, adeoque modicum tempus reliquum esse ad grandia facinora. Gracili admodum et infirmo corpore, diuturnis afflictatus morbis, ad extremum sæpe vitæ discrimen, incredibili tamen

nec in prudentia humana,

(1) Joann. V, 17.
(2) *Registr.* XI, 36 (28).
(3) *1 Cor.* II, 4.

pollebat animi vi, cui nova semper alimenta suppeditabat vivida fides in Christi verbo certissimo in ejusque divinis promissis. Maximam quoque fiduciam collocabat in collata divinitus Ecclesiæ vi, qua ipse rite posset suo in terris fungi ministerio.

sed in Christi promissis et in divinitus Ecclesiæ collata vi fiduciam maximam collocabat.

Quare hoc illi propositum in omni vita fuit, quale singula dicta ejus factaque comprobant, ut eandem fidem ac fiduciam et in se ipse foveret et in aliis vehementer excitaret, dumque supremus sibi dies adveniret, quantum hic et nunc liceret, optima quæque sectaretur.

Inde sancti viri firma voluntas in communem salutem derivandi uberrimam illam cælestium donorum copiam, qua Deus Ecclesiam ditavit, cujusmodi sunt et revelatæ doctrinæ certissima veritas, et ejusdem, quà patet orbis, efficax prædicatio, et sacramenta, quæ vim habent sive infundendi sive augendi animæ vitam, ac denique, superni præsidii auspex, gratia precum in Christi nomine.

Harum rerum recordatio, Venerabiles Fratres, mire Nos recreat. Qui si ex hoc Vaticanorum vertice mœnium circumspicimus, eodem quo Gregorius, ac majore fortasse metu vacare non possumus; tot undique coactæ tempestates incumbunt, tot premunt hostium instructæ phalanges; adeoque sumus humano quovis præsidio destituti, ut nec illas propulsandi nec horum impetum sustinendi ratio suppetat. Verum reputantes Nostri ubi sistant pedes, quo loco sit pontificia hæc Sedes constituta, in arce Ecclesiæ sanctæ tutos Nos esse sentimus. *Quis enim nesciat*, ita Gregorius ad Eulogium patriarcham Alexandrinum, *sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur?* (1) Divina Ecclesiæ vis nullo temporis decursu excidit, neque Christi promissa exspectationem fefellerunt; ea sic perseverant, quemadmodum Gregorii animum erexere; quin etiam ex tot sæculorum comprobatione, ex tanta rerum vicissitudine multo Nobis validius roborantur.

In præsentium malorum colluvie, eædem rationes Pii X animum recreant,

quæ eò validiores apparent quò plurium sæculorum comprobatione firmantur:

Regna, imperia dilapsa; sui famâ nominis et humanitatis laude florentissimæ gentes occiderunt; sæpe, quasi senio confectæ, ipsæ se nationes diremerunt. At Ecclesia, suapte

nam cum corruerint et

(1) *Registr.* VII, 37 (40).

evanuerint quæ ex adverso erant regna et errores. Ecclesia ejusque doctrina immotæ persistunt.

natura non deficiens, nexu nunquam dissolvendo cum cælesti Sponso conjuncta, heic non caduco flore viget juventutis, eodem instructa robore quo prodiit e transfosso Christi corde in cruce jam mortui. Potentes in terris adversus eam sese extulerunt. Evanuere hi, sed illa superfuit. Philosophandi vias pene infinita varietate excogitarunt magistri de se gloriose prædicantes, quasi Ecclesiæ doctrinam tandem aliquando expugnassent, fidei capita refellissent, ejus magisterium omne absurdum demonstrassent. Eas tamen historia, singulas obliteratas recenset funditusque deletas; quum interea lux veritatis ex arce Petri eodem fulgore coruscet, quem Jesus ortu suo excitavit aluitque divina sententia: *cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* (1).

Quare necesse est ad Ecclesiam confugere omnes.

Hac Nos fide alti, hac petra solidati, dum sacri principatus munia omnia gravissima, simulque manantem divinitus vigorem animo sensuque percipimus, tranquilli expectamus quoad voces conticescant tot obstrepentium, actum esse de catholica Ecclesia, ejus doctrinas æternum cecidisse; brevi eo deventuram, ut cogatur aut scientiæ atque humanitatis Deum rejicientis placita excipere, aut ab hominum consortio demigrare. Inter hæc tamen facere non possumus quin cum ipso Gregorio in mentem omnium, sive procerum sive inferiorum, revocemus, quanta cogat necessitas ad Ecclesiam confugere, per quam detur et sempiternæ saluti, et paci atque ipsi terrestris hujus vitæ prosperitati consulere.

Quamobrem, ut sancti Pontificis utamur verbis, *mentis gressus in ejus petræ soliditate, sicut cæfistis, dirigite, in qua Redemptorem nostrum per totum mundum fundasse nostis Ecclesiam, quatenus recta sinceri cordis vestigia in devio itinere non offendant* (2). Sola Ecclesiæ caritas et cum ipsa conjunctio *divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat* (3). Retinendum firmiter, *neminem recte posse terrena regere, nisi noverit divina tractare, pacemque reipublicæ ex universalis Ecclesiæ pace pendere* (4). Hinc summa necessitas perfectæ concordiæ inter ecclesiasticam et civilem potestatem, quam utramque Dei

et civilem potestatem cum ecclesiastica

(1) Matth. XXIV, 35.
(2) *Registr.* VIII, 24 ad Sabinian. episcop.
(3) Ibid. V, 58 (53) ad Virgil. episcop.
(4) Ibid. V, 37 (20) ad Mauric. Aug.

providentia voluit mutuâ sese ope juvare. *Ad hoc enim potestas... super omnes homines cælitus data est, ut qui bona appetunt adjuventur, ut cælorum via largius pateat, ut terrestre regnum cælesti regno famuletur* (1).

concordiam servare.

Ex hisce principiis invicta illa Gregorii fortitudo manabat, quam, opitulante Deo, imitari curabimus, Nobis proponentes modis omnibus, sarta tectaque jura et privilegia tueri, quorum Pontificatus romanus custos ac vindex est, coram Deo et coram hominibus. Quare idem Gregorius ad patriarchas Alexandriæ atque Antiochiæ, quum de juribus agatur Ecclesiæ universæ, *etiam moriendo,* scribit, *debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus* (2). Ad Mauricium autem Augustum: *Qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem atque contra statuta Patrum suam cervicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit* (3). Atque ad Sabinianum diaconum: *Ante paratior sum mori, quam beati Petri apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes, quia diu porto; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado* (4).

Gnaviter jura Ecclesiæ tueri sibi proponit Pius, Gregorii fortitudinem imitando.

Ejusmodi edebat Gregorius pontifex potissima monita, erantque dicto audientes ii quibus ea nuntiabantur. Ita, dociles aures præbentibus quum principibus tum populis, mundus veræ salutis repetebat iter, et ad humanitatem grassabatur eo nobiliorem ac fecundiorem quo firmioribus innixam fundamentis ad rectum usum rationis et ad morum disciplinam, vim hauriens omnem a divinitus revelata doctrina et ab evangelii præceptis.

Gregorii monita principes et populi docili animo sequebantur, indeque mundus fructum salutis et humanitatis uberrimum hauriebat.

Sed eo tempore populi, etsi rudes, inculti atque omnis humanitatis expertes, erant vitæ appetentes; hac autem donari a nemine poterant nisi a Christo per Ecclesiam: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant* (5). Habuerunt quidem vitam, eamque affluentem. Nam, quum ab Ecclesia non alia possit nisi supernaturalis vita procedere, hæc vitales

Sed tunc temporis populi vitam appetebant, vitam veram seu supernaturalem, quam Ecclesia procreat.

---

(1) Ibid. III, 61 (65) ad Mauric. Aug.
(2) *Registr.* V, 41 (43).
(3) Ibid. V, 37 (20).
(4) Ibid. V, 6 (IV, 47).
(5) Joann. X, 10.

etiam naturalis ordinis vires in se includit ipsa fovetque. *Si radix sancta, et rami,* sic Paulus ethnicæ genti;... *tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es* (1).

At nostra ætas vitam illam respuit, ejusque fontem Ecclesiam supprimere contendit.

At nostra ætas, etsi tanta christianæ humanitatis luce fruatur, ut nulla ratione possit cum ævo Gregoriano comparari, videtur tamen eam vitam fastidire, a qua præcipue, sæpe unice, quasi a fonte, tot, nedum præterita, sed etiam præsentia bona sunt repetenda. Nec modo, ut quondam subortis erroribus ac dissidiis, se ipsa detruncat quasi ramum inutilem, sed vel imam arboris radicem petit, id est Ecclesiam, conaturque vitalem exsiccare succum, quo certius illa corruat nullum in posterum emissura germen.

Rejiciunt enim omnem ordinem supernaturalem; ipsaque argumenta quibus Dei existentia demonstratur impetunt.

Hodiernus hic error idemque maximus, unde ceteri fluunt, causa est cur tantam æternæ hominum salutis jacturam ac tam multa religionis detrimenta doleamus, plura etiam, nisi medica adhibeatur manus, impendentia extimescentes. Negant enim quidquam esse supra naturam; esse Deum rerum conditorem, cujus providentia cuncta regantur; fieri posse miracula; quibus de medio sublatis necesse est christianæ religionis fundamenta convelli. Impetuntur ipsa argumenta, quibus Deum esse demonstratur, atque incredibili temeritate, contra prima rationis judicia, repudiatur invicta illa argumentandi vis, qua ex effectibus causa colligitur, id est Deus ejusque attributa, nullis circumscripta limitibus. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas* (2). Facilis inde aditus patet ad alia errorum portenta, rectæ rationi repugnantia æque ac bonis moribus perniciosa.

Inde falsa critica historica, quæ, quidquid supernaturale audit, repudiat,

Enimvero gratuita supernaturalis principii negatio, quæ propria est *falsi nominis scientiæ* (3), fit postulatum critices historicæ pariter falsæ. Quæ ordinem rerum supra naturam ratione quavis attingunt, sive quod illum constituant, sive quod cum illo conjuncta, sive quod ipsum præsumant, sive denique quod nisi per ipsum explicari multa non queant, ea omnia, nulla investigatione instituta historiæ paginis era-

(1) *Ad Rom.* XI, 16, 17.
(2) *Ad Rom.* I, 20.
(3) *1 Tim.* VI, 20.

duntur. Ejusmodi sunt Jesu Christi divinitas, mortalis ab eodem assumpta caro Sancti Spiritus operâ, sua Ipse virtute a mortuis excitatus, omnia denique fidei nostræ cetera capita. Qua falsa semel inita via, nulla jam lege critica scientia cohibetur, suoque marte quidquid non arridet aut rei suæ demonstrandæ adversari putatur, id omne sacris libris adimitur. Sublato enim supernaturali ordine, longe alio fundamento exstrui necesse est historiam de Ecclesiæ originibus, ideoque suo lubitu novarum rerum molitores monumenta versant, ea non ad sensum auctorum, sed ad suam ipsorum voluntatem trahentes.

suisque fallaicis multorum fidem in discrimen adducit.

Magno istorum doctrinæ apparatu et argumentorum speciosa vi multi sic decipiuntur, ut, vel a fide desciscant, vel in ea valde infirmentur. Sunt etiam qui, sua in fide constantes, critices disciplinæ, quasi demolienti, succensent, quæ quidem ipsa per se culpa vacat, legitimeque adhibita conducit ad investigandum felicissime. Neutri tamen animum advertunt ad ea quæ perperam ponunt ac præsumunt, hoc est ad falsi nominis scientiam, a qua profecti, necessario ad falsa concludenda ducuntur. Falso nempe philosophiæ principio corrumpi omnia necesse est. Hi autem errores satis refelli poterunt nunquam, nisi acie mutata, hoc est, deductis errantibus a suæ critices præsidiis, ubi se munitos existimant, ad legitimum philosophiæ campum, quo relicto, errores hauserunt.

Tædet interim ad subtili mente viros eosdemque solertes Pauli verba convertere, increpantis illos, qui a terrenis hisce ad ea quæ oculorum aciem fugiunt non assurgerent: *Evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (1). Stultus enim omnino dicendus quicumque vires mentis insumit ut fabricet in arena.

Nec minus inde hominum mores ac societatis civilis vita labefactantur.

Nec minus dolendæ ruinæ quæ moribus hominum vitæque societatis civilis ex ea negatione proveniunt. Etenim, opinione sublata, præter adspectabilem hanc rerum naturam esse divinum aliquid, nihil plane superest, quo excitatæ cupiditates vel turpissimæ coerceantur, quibus mancipati animi ad pessima quæque rapiuntur. Itaque *tradidit illos*

(1) *Ad Rom.* I, 21, 22.

Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis (1). Ac vos quidem, Venerabiles Fratres, minime latet, quam undique perditorum morum exundet lues, cui continendæ impar erit civilis potestas, nisi ad altioris, quem diximus, ordinis præsidia confugiat. Sed neque ad sanandos ceteros morbos humana quidquam valebit auctoritas, si memoria excidat aut negetur omnem potestatem a Deo esse. Tunc enim, unico freno, vi cuncta gerentur, quæ vis neque adhibetur constanter nec in manu semper est; quo fit ut populus occulto quasi morbo laboret, omnia fastidiat, jus prædicet arbitrio suo agendi, seditiones conflet, reipublicæ conversiones interdum turbulentissimas paret, divina omnia et humana jura permisceat. Amoto Deo, nulla civitatis legibus, nulla vel necessariis institutis constat reverentia, justitia contemnitur, ipsa opprimitur quæ juris est naturalis libertas; eo usque devenitur, ut domesticæ societatis compages, civilis conjunctionis primum fundamentum atque firmissimum, dissolvatur. Quo fit ut, infensis hisce Christo temporibus, difficilius aptentur efficacia remedia, quæ ad populos in officio continendos Ecclesiæ suæ ipse comparavit.

Ad Christum igitur, in quo solo est salus, redeundum.

Non aliunde tamen quam in Christo salus: *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (2). Ad Ipsum ergo redire necesse est, ejus advolvi pedibus, ex ore illo divino verba vitæ æternæ haurire; solus quippe potest instaurandæ salutis indicare viam, solus vera docere, solus ad vitam revocare, qui de se dixit: *Ego sum via et veritas et vita* (3). Tentata denuo est mortalium gestio rerum seorsim a Christo; ædificari cœpit reprobato angulari lapide, quod Petrus iis exprobrabat, qui Jesum cruci affixerant. Ecce autem rursus exstructa moles ruit ædificantium cervices infringens. Jesus interim superest, humanæ societatis angularis lapis, iterum comprobata sententia, non esse nisi in ipso salutem: *Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus* (4).

(1) Ibid. I, 24.
(2) *Act.* IV, 12.
(3) Joann. XIV, 6.
(4) *Act.* IV, 11, 12.

Ex his facile intelligetis, Venerabiles Fratres, quanta unumquemque nostrum urgeat necessitas, animi vi qua possumus maxima quibusque pollemus opibus, hujusmodi supernaturalem vitam in omni ordine humanæ societatis excitandi, ab infimæ sortis opifice, cui panis apponitur diuturno sudore comparatus, ad arbitros terrarum potentes. In primisque privata prece ac publica exoranda Dei misericordia, ut potenti auxilio suo adsit, qua voce olim tempestate jactati clamabant Apostoli: *Domine, salva nos, perimus* (1).

atque omni ope vita supernaturalis in quovis ordine societatis humanæ restauranda:

præprimis oratione,

Quamquam nec ista satis. Gregorius enim vitio tribuit episcopo, quod, sacri amore secessus et orandi studio, in aciem non prodeat, pro Domini causa strenue dimicaturus, inquiens: *Vacuum episcopi nomen tenet* (2). Ac jure quidem; lux enim est afferenda mentibus jugi prædicatione veritatis et valida refutatione pravarum opinionum per veram solidamque philosophiæ ac theologiæ scientiam et per auxilia omnia, quæ ex genuino historicæ investigationis incremento provenerunt. Oportet insuper omnibus apte inculcentur tradita a Christo morum documenta, ut discant sui imperium exercere, motus animi appetentes regere, tumentem superbiam deprimere, parere auctoritati, justitiam colere, omnes caritate complecti, disparis in civili convictu fortunæ acerbitatem christiana dilectione temperare, a terrenis bonis avocare mentem, quam Providentia dederit sortem eâ esse contentos, suisque tuendis officiis benigniorem efficere, ad futuram vitam contendere spe sempiternæ mercedis. Illud autem præcipue curandum, ut hæc se insinuent animisque penitus insideant, quo vera et solida pietas altiores radices agat, sua quisque et hominis et christiani officia, non ore tenus, sed re profiteatur, et fiduciâ filii ad Ecclesiam confugiat ad ejusque ministros, quorum ministerio impetrent admissorum veniam, Sacramentorum gratiâ roborentur, vitam ad christianæ legis præcepta componant.

sed et veritatis prædicatione atque errorum confutatione solida;

inculcando insuper tradita a Christo morum documenta.

Sacri muneris præcipuas has partes comitetur oportet Christi caritas, cujus instinctu nemo sit quem jacentem non erigamus, quem lugentem non consolemur, necessitas nulla cui non occurramus. Hujusmodi nos caritati totos devovea-

Quæ sacri muneris partes præstentur cum charitate perfecta, qua quis

(1) MATTH. VIII, 25.
(2) *Registr.* VI, 63 (30). Cfr. *Regul. past.* I, 5.

omnibus omnia fiat.

mus, huic res nostræ cedant omnes, huic propriæ utilitates posthabeantur et commoda, ut *omnibus omnia facti* (1), salutem omnium quæramus vel ipso vitæ pretio, ad Christi exemplum ab Ecclesiæ pastoribus id postulantis: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (2). Insignibus his documentis referta sunt quæ Gregorius scripta reliquit, multiplici exemplo vitæ admirandæ multo expressa potentius.

Errant profecto qui humanæ potissimùm prudentiæ consilia sequuntur, sive falsi nominis scientiæ multa concedendo,

Quia vero ista, quum e principiorum christianæ revelationis natura, tum ex intimis nostri apostolatus proprietatibus necessario fluunt, jam videtis, Venerabiles Fratres, quanto in errore versentur qui existimant bene se de Ecclesia mereri ac frugiferam operam in æternam hominum salutem conferre, si profana quadam prudentia, falsi nominis scientiæ multa largiantur, vana spe ducti, posse ita facilius errantium sibi gratiam conciliare, re autem vera ipsi se perditionis periculo committentes. Sed veritas una est nec dividi potest; eadem æterna perdurat, nullis obnoxia temporibus: *Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in sæcula* (3).

sive christianæ professionis officia gravissima silentio tegendo.

Illi etiam valde falluntur qui in collocandis publice beneficiis, præsertim popularium causam agentes, quæ ad corporis victum cultumque pertinent ea maxime curant, animorum salutem et christianæ professionis officia gravissima silentio prætereunt. Nec eos pudet interdum summa quædam evangelii præcepta quasi velis obtegere, veriti ne forte minus audiantur aut prorsus deserantur. Alienum quidem a prudentia non erit, etiam in proponenda veritate, sensim procedere, ubi res agatur cum iis, qui a nostris institutis abhorrent a Deoque sunt omnino sejuncti. *Resecanda vulnera,* ita Gregorius, *leni prius manu palpanda sunt* (4). Verum hæc ipsa industria speciem prudentiæ carnis assumet, si ad agendi normam assurgat constantem atque communem; eoque magis quod per eam divina gratia parvi haberi videatur, quæ non sacerdotio tantum conceditur ejusque ministris, sed Christi fidelibus omnibus, ut ipsorum animos dicta nostra et facta percellant. Fuit autem ejusmodi prudentia

(1) *1 Cor.* IX, 22.
(2) JOANN. X, 11.
(3) *Ad Hebr.* XIII, 8.
(4) *Registr.* V, 44 (18) ad Joannem episcop.

ignota Gregorio, quum in prædicatione evangelii, tum in ceteris ab eo mire gestis ad proximos relevandos miseriis. Is Apostolorum vestigia constanter est persequutus, quorum, cum primum peragrandum terrarum orbem susceperunt nuntiaturi Christum, fuit ista vox: *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (1). Atqui si tempus ullum exstitit, quo humanæ præsidia prudentiæ maxime opportuna viderentur, illud profecto fuit, quum ad excipiendam tam novam doctrinam, communibus cupiditatibus tam repugnantem, tam oppositam græcorum et romanorum florentissimæ humanitati, nulla esset animorum præparatio. Nihilominus id genus prudentiam Apostoli a se alienam duxerunt, quibus divina erant comperta decreta: *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (2). Ea stultitia, quemadmodum semper, sic adhuc *iis... qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est* (3). In *scandalo* crucis, uti antea, sic in posterum arma suppetent omnium potentissima; ut olim, sic deinceps nobis erit in eo signo victoria.

Talis prudentia ignota Gregorio, sicut et Apostolis.

Hæc tamen arma, Venerabiles Fratres, vim exuent omnem nec erunt profutura quidquam, si tractentur ab iis, qui interiorem vitam cum Christo non agant, qui non sint vera firmâque pietate instituti, qui Dei gloriæ ejusque regni amplificandi studio non flagrent. Quæ omnia Gregorius adeo esse necessaria putabat, ut maximam curam impenderet in episcopos et sacerdotes creandos, qui divini honoris hominumque veræ salutis magno desiderio tenerentur. Idque sibi proposuit in libro, qui *Regula pastoralis* inscribitur, ubi, ad cleri salubrem institutionem et ad sacrorum antistitum regimen normæ traduntur, non iis modo temporibus sed etiam nostris aptissimæ. Idem, prout ejus enarrator vitæ describit, *velut Argus quidam luminosissimus per totius mundi latitudinem suæ pastoralis sollicitudinis oculos* (4) circumferebat, ut si quid in clero vitii aut negligentiæ deprehenderet, in id statim animadverteret. Quin etiam vel ipsa periculi cogitatio, ne forte illuvies et corruptelæ in mores clericorum irreperent,

Maxime autem necessaria in Episcopis et sacerdotibus vitæ sanctitas et zelus.

Qua de re sollicitum nimis sese exhibebat Gregorius.

(1) *1 Cor.* I, 23.
(2) Ibid., I, 21.
(3) Ibid., I, 18.
(4) Joan. Diac. lib. II, c. 55.

trepido metu eum afficiebat. Si quid vero contra Ecclesiæ disciplinam actum comperisset, ea re vehementer angebatur, nec ullo poterat pacto quiescere. Tunc cerneres admonere, corrigere, canonicas pœnas minitari violatoribus, has interdum ipsemet irrogare, indignos, nulla interjecta mora, nulla rerum hominumve habita ratione, ab officio identidem prohibere.

Multa præterea monebat, quæ his verbis in scriptis ejus frequenter expressa leguntur: *Qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit?* (1) — *Si ergo in ejus opere passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?* (2) — Quinam poterunt in Christi fidelibus exspectari fructus, si veritatis præcones *quod verbis prædicant, moribus impugnant?* (3) — *Profecto diluere aliena delicta non* valet *is, quem propria devastant* (4).

Veri sacerdotis exemplar ab ipso descriptum.

Veri sacerdotis exemplar hujusmodi censet, atque ita describit: *Qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postposuit; qui nulla adversa perlimescit, qui sola interna desiderat;... qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur; qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur; qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat; qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur; sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus lætatur; qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat; qui sic studet vivere ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare; qui orationis usu et experimento jam didicit, quod obtinere a Domino quæ poposcerit possit* (5).

Quare nonnisi cum maturitate consilii Episcopus levitis manus impo-

Quam serio igitur, Venerabiles Fratres, episcopo secum et coram Deo est reputandum, antequam novis levitis manus imponat! *Neque gratia alicujus,* inquit Gregorius, *neque supplicatione, aliquos ad sacros ordines audeat promovere nisi eum, quem*

(1) *Reg. past.* I, 10.
(2) *Reg. Past.* I, 9.
(3) Ibid. I, 2.
(4) Ibid. I, 11.
(5) Ibid. I, 10.

vitæ et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit (1). Quanta eidem opus est maturitate consilii, antequam recens inunctis sacerdotibus apostolatus munia committat! Qui, nisi justo fuerint experimento probati sub vigili custodia prudentiorum sacerdotum, nisi habeant unde plane constet de honeste acta vita, de prono in pietatem ingenio, de animo ad obediendum parato iis omnibus quæ vel Ecclesiæ consuetudo induxerit vel diuturna experientia comprobarit vel quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei* (2) ipsi præceperint, sacerdotio fungentur, non in plebis christianæ salutem, sed in perniciem. Nam et jurgia serent, et plus minus latentes ciebunt rebelliones, triste sane spectaculum populo exhibentes quasi discrepantium in cœtu nostro voluntatum, quum deploranda hæc paucorum superbiæ et contumaciæ sint adscribenda. Procul, oh procul ab omni officio sunto excitatores discordiarum; nec enim his apostolis eget Ecclesia, neque hi pro Christo cruci adfixo apostolatum gerunt, sed ipsi sibi apostoli sunt.

nata autrecens ordinatis sacerdotibus apostolatus munia committat.

Adhuc ante oculos versari nostros imago Gregorii videtur, in Lateranensi pontificio Consilio coactorum undique antistitum corona septi, adstante clero Urbis universo. Quam fecunda ex ejus ore fluit adhortatio de officiis clericorum! Quanto ardoris æstu consumitur! Illius oratio, instar fulminis, pravos homines percellit; sunt ejus verba quasi totidem flagella, queis excutiuntur inertes; divini amoris flammæ sunt, quibus vel ferventissimi animi suaviter corripiuntur. Perlegite, Venerabiles Fratres, et clero vestro legendam, considerandam, in sacro potissimum annuo recessu, proponite admirabilem istam sancti pontificis homiliam (3).

Commendatur Gregorii homilia de officiis clericorum,

Idem, non sine animi magna tristitia, hæc inter cetera queritur: *Ecce, mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator; quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus* (4). Ac vere quidem, quantum hodie virium Ecclesia colligeret, si operatores tot numeraret, quot sacerdotes? Quam uberes fructus ex divina

(1) *Registr.* V, 63 (58) ad universos episcopos per Hellad.
(2) *Act.* XX, 28.
(3) *Hom. in Evang.* I, 17.
(4) Ibid., n. 3.

Ecclesiæ vita hominibus provenirent, si eidem explicandæ vacarent singuli? Hujusmodi in agendo alacritatem naviter excitavit Gregorius, dum vixit, suoque impulsu effecit ut posterioribus temporibus eadem vigeret. Quare, quæ media intercessit, ætas, Gregoriana quasi nota distinguitur, quod ci pontifici accepta omnia fere essent referenda, sive regulæ cleri regendi, sive caritatis et beneficentiæ publice exercendæ multiplex ratio, sive perfectioris sanctimoniæ magisterium et vitæ religiosæ instituta, sive denique ceremoniarum et sacri ordinatio concentus.

quorum in agendo alacritatem naviter excitavit et cum multo fructu.

Verum longe alia temporum ratio successit. Quod sæpe diximus, in vita Ecclesiæ immutatum est nihil. Ipsa enim hæreditate acceptam a divino Institutore ejusmodi vim possidet, qua ætatibus omnibus, quamvis inter se dissimillimis, valeat, non animis tantum, quod sui muneris est, providere, sed plurimum etiam ad veræ humanitatis incrementa conferre, quod quidem ex ipsa ministerii sui natura consequitur.

Etiamnùm plurimum valet Ecclesia non tantum pro bono animarum sed etiam ad veræ humanitatis incrementa.

Nec sane fieri potest ut quæ revelata divinitus Ecclesiæ custodienda commissa sunt, eadem quidquid verum, bonum, pulchrum in terrestri rerum natura conspicitur, non maxime provehant, eoque efficacius, quo magis hæc ad summum totius veritatis, bonitatis, pulchritudinis principium, Deum, referantur.

Christiana enim religio multum confert,

Magnus ex divina doctrina humanæ scientiæ proventus, sive quod per illam latior patefiat campus novis rebus etiam naturalis ordinis expedite cognoscendis, sive quod per eandem rectum investigationi sternatur iter, erroresque circa disciplinæ rationem viamque eam adipiscendi amoveantur. Sic in portu emicans ignis e turri, dum nocturno itinere navigantibus multa pandit, quæ tenebris involuta laterent, simul de vitandis scopulis admonet, ad quos allisa navis naufragium pateretur.

ad humanæ scientiæ proventum,

Quæ autem de moribus disciplinæ sunt, quandoquidem Servator Dominus supremum nobis perfectionis exemplar divinam ipsam bonitatem proponat, Patrem suum (1), eccui non patet, quanta inde incitamenta illis addantur, ut insculpta in omnium animis naturæ lex altius et perfectius retineatur, adeoque tum singuli, tum domestica societas, tum

ad morum institutionem,

(1) MATTH. V, 48.

denique hominum universa communitas prosperiore vita fruantur? Fuit ista profecto vis quæ barbaros homines ex ferocitate ad humanitatem transtulit, mulieris projectam dignitatem vindicavit, servitutis jugum excussit, ordinem, remissis cum æquitate vinculis quibus variæ civium conditiones invicem continentur, instauravit, jura restituit, veram animi libertatem promulgavit, domesticæ ac publicæ tranquillitati tuto prospexit.

Denique artes ad æternum exemplar omnis pulchritudinis, Deum, assurgentes, unde species et formæ singulæ, quæ sunt in rerum natura, dimanant, facilius a vulgari sensu recedunt, conceptamque animo rem, in quo artis vita consistit, exprimunt multo potentius. Ac vix quidem dici potest quantum attulerit boni ratio adhibendarum artium in famulatum religionis, quo Numini offertur quidquid ipso dignius ubertate et copia, venustate atque elegantia formæ præseferant. Hinc artis origo sacræ, quo fundamento nixa est profana quævis ars, et nititur adhuc. Rem nuperrime attigimus peculiari *Motu proprio*, de romano cantu ad majorum instituta revocando, ac de sacris concentibus. Atqui ceteræ artes, pro sua quæque materia, iisdem legibus continentur, ita ut, quæ dicuntur de cantu, eadem et pingendi et sculpendi et exstruendi artibus conveniant, quas humani ingenii nobilissimas faces Ecclesia semper excitavit et aluit. Hac specie sublimi universum hominum genus enutritum templorum erigit moles, ubi, in domo Dei, tamquam in propria sede, inter artium omnium splendidissimam copiam, inter augustas ceremonias, inter suavissimos concentus, mentes ad cælestia revocantur. ad artium culturam.

Hæc, uti diximus, beneficia potuit ætati suæ ac posterioribus afferre Gregorius. Eadem, his quoque temporibus, qua fundamenti soliditate consistimus et quibus mediis instructi sumus, consequi licebit, si, quæ adhuc bona, Dei gratia supersunt, omni studio retineantur, quæ vero instituta a recto tramite deflexerint *instaurentur in Christo* (1).

Placet Nostris hisce Litteris finem imponere iisdem verbis, quibus ipse Gregorius memorabilem illam in Lateranensi pontificio Consilio habitam orationem absolvit: *Hæc, Fratres,* Conclusio.

(1) *Ad Ephes.* I, 10.

vobiscum sollicite cogitate, hæc et proximis vestris impendite; omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio quod accepistis parate. Sed ista quæ dicimus melius apud vos orando quam loquendo obtinebimus. Oremus: *Deus, qui nos pastores in populo vocare voluisti, præsta quæsumus, ut hoc quod humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus* (1).

Dum vero confidimus, deprecatore pontifice sancto Gregorio, Deum supplicibus his votis benignas aures admoturum, cælestium donorum auspicem ac paternæ Nostræ benevolentiæ testem, Apostolicam Benedictionem vobis omnibus, Venerabiles Fratres, clero ac populo vestro peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum IV Idus Martias an. MDCCCCIV, die festo S. Gregorii I Papæ et Ecclesiæ Doctoris, pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

(1) Hom. cit., n. 18.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

DE ECCLESIÆ LEGIBUS IN UNUM REDIGENDIS

Arduum sane munus universæ Ecclesiæ regendæ ubi primum, arcano divinæ Providentiæ consilio, suscepimus, præcipua Nobis mens fuit et quasi lex constituta, quantum sinerent vires, instaurare omnia in Christo. Hanc voluntatem vel primis encyclicis Litteris ad catholici orbis Antistites datis patefecimus; ad hanc veluti metam omnes animi nostri vires hactenus intendimus; huic principio cœpta Nostra conformanda curavimus. Probe autem intelligentes ad instaurationem in Christo ecclesiasticam disciplinam conferre maxime, qua recte ordinata et florente uberrimi fructus deesse non possunt, ad ipsam singulari quadam sollicitudine studia Nostra animumque convertimus.

Equidem Apostolica Sedes sive in Œcumenicis Conciliis sive extra Concilia nunquam intermisit ecclesiasticam disciplinam optimis legibus instruere pro variis temporum conditionibus hominumque necessitatibus. At leges, vel sapientissimæ, si dispersæ maneant, facile ignorantur ab iis qui eisdem obstringuntur, nec proinde, uti par est, in usum deduci possunt. Hoc ut incommodum vitaretur, atque ita ecclesiasticæ disciplinæ melius consultum esset, variæ sacrorum canonum Collectiones confectæ sunt. Antiquiores prætereuntes, commemorandum heic ducimus Gratianum, qui celebri *Decreto* voluit sacros canones non modo in unum colligere, sed inter se conciliare atque componere. Post ipsum Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, Clemens V cum Joanne XXII, Decessores Nostri, Justinianeum opus imitati pro Jure romano, Collectiones authenticas Decretalium confecerunt ac promulgarunt, quibus postremis tribus cum Gratiani Decreto vel hodie *corpus* quod dicitur *juris canonici* præsertim coalescit. Quod quum Tridentina Synodus et novarum legum promulgatio impar reddiderint, Pontifices Romani Gregorius XIII,

Xystus V, Clemens VIII, Benedictus XIV, animum adjecerunt sive adornandis novis corporis juris canonici editionibus, sive aliis sacrorum canonum Collectionibus parandis; quibus novissime Collectiones authenticæ decretorum accesserunt sacrarum quarundam Congregationum romanarum.

Verum per hæc si quid allatum est quo pro temporum adjunctis difficultates minuerentur, rei tamen haud satis prospicitur. Ipsa namque Collectionum congeries non levem difficultatem parit; sæculorum decursu leges prodiere quamplurimæ, in multa congestæ volumina; non paucæ, suis olim aptæ temporibus, aut abrogatæ sunt aut obsoleverunt; denique nonnullæ, ob immutata temporum adjuncta, aut difficiles ad exequendum evaserunt, aut communi animorum bono minus utiles.

His incommodis pro nonnullis juris partibus quæ urgentioris erant necessitatis, occurrere curarunt ex Decessoribus Nostris præcipue Pius IX et Leo XIII sa. me., quorum alter per Constitutionem « *Apostolicæ Sedis* » censuras coarctavit latæ sententiæ, alter leges de publicatione ac censura librorum temperavit per Constitutionem « *Officiorum et munerum* »; et normas constituit Congregationibus religiosis cum votis simplicibus per Constitutionem « *Conditæ a Christo* ». At illustres Ecclesiæ Præsules, iique non pauci etiam e S. R. E. Cardinalibus, magnopere flagitarunt ut universæ Ecclesiæ leges, ad hæc usque tempora editæ, lucido ordine digestæ, in unum colligerentur, amotis inde quæ abrogatæ essent aut obsoletæ, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis; quod idem plures in Vaticano Concilio Antistites postularunt.

Hæc Nos justa sane vota probantes ac libenter excipientes, consilium cepimus eadem in rem tandem deducendi. Cujus quidem cœpti quia Nos minime fugit quanta sit amplitudo et moles, idcirco motu proprio, certa scientia et matura deliberatione decernimus et perficienda mandamus quæ sequuntur.

I. Consilium, sive, ut aiunt, *Commissionem* Pontificiam constituimus, quam penes erit totius negotii moderatio et cura, eaque constabit ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus, a Pontifice nominatim designandis.

II. Huic Consilio ipse Pontifex præerit, et Pontifice absente, Cardinalis decanus inter adstantes.

III. Erunt præterea justo numero Consultores, quos Patres Cardinales e viris canonici juris ac theologiæ peritissimis eligent, Pontifice probante.

IV. Volumus autem universum episcopatum, juxta normas opportune tradendas, in gravissimum hoc opus conspirare atque concurrere.

V. Ubi fuerit constituta ratio in hujusmodi studio sectanda, Consultores materiam parabunt suamque de ipsa sententiam in conventibus edent, præside illo, cui Pontifex mandaverit Consilii Cardinalium esse ab actis. In eorum deinde studia et sententias PP. Cardinales matura deliberatione inquirent. Omnia denique ad Pontificem deferantur, legitima approbatione munienda.

Quæ per has Litteras a Nobis decreta sunt, ea rata et firma volumus, contrariis quibusvis etiam speciali aut specialissima mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum XIV Cal. April. die festo S. Josephi, Sponsi B. M. V., MDCCCCIV Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii

—

I

Explica proæmium Actuum Apostolorum I, 1-3.

II

Explica quomodo peccatum originale recte dicatur peccatum *naturæ*.

III

Da notionem famæ et honoris.

IV

An et quare licita est revelatio criminis occulti?

V

An licet revelare crimen publicum? Adde rationem.

VI

Quænam cæremoniæ speciales servandæ sunt ad offertorium, consecrationem et communionem missæ privatæ, quando particulæ sunt consecrandæ?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Explica Luc. II, 29-35.*

R. I. **Argumentum.** Simeon 1° Deum benedicens (v. 28), brevi cantico gratiarum actionis confitetur se læte et tranquille expectare mortem quia juxta promissum divinum voti compos vidit Messiam, Salvatorem mundi universi (vv. 29-32); 2° Jesu parentibus gratulatur et simul matri prædicit fore ut filius, occasio salutis ac ruinæ multorum, persecutiones sustineat et ipsa acerbissimos patiatur dolores (vv. 33-35).

II. **Explicatio.** V. 29. *Nunc* (ad emphasim initio positum) postquam denique Messiam aspexi, *dimittis* (me) *servum tuum, Domine* (ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, Δέσπότα) ut juxta naturæ inclinationem in mortem decidat. Singula hæc verba figuram denotant a liberatione servi e statu servitutis vel e duro labore desumptam. Vita cogitatur quasi servitus Deo præstanda, ob ejus ærumnas sæpe dura, e qua homo per mortem liberatur. Ponitur tempus præsens loco futuri instantis, *dimittis* (1) pro dimittes, quasi significaret: dimittes, expleto munere, quandocumque tibi placuerit dimittere, quod brevi fiet, cùm vita mihi non alia de causa quam ut Christum viderem, producta esse videatur (2).

---

(1) Ἀπολύω adhibetur de morte Abrahæ (*Gen.* XV. 2), Aaronis (*Num.* XX, 29), Tobiæ (*Tob.* III, 6) et martyris (II Mac. VII, 9). Cfr. Plummer, *A critical and exegetical Commentary on the Gospel according to S. Luke.* Edinburgh, 1901, p. 68.

(2) Tempus præsens igitur denotat rem adeo certam ac proximam ut jam adesse videatur. Cfr. Maldonatus, *Comment. in evang. S. Luc , h. l.*

Secundum verbum tuum (jungendum cum *dimittis in pace*) i. e. promissum tuum « me non visurum mortem, nisi prius viderem Christum Domini » (v. 26); *in pace* (nectendum cum *dimittis*): placide et cum lætitia, animo læto supremi voti compote et jam nihil ultra hac in vita desiderante. Cùm enim Deus Simeoni promisit se illum non dimissurum, nisi Christum vidisset, promisit se illum, Christo viso, dimissurum in pace.

v. 30. *Quia* (causam adducit perfectæ pacis quacum jam potest, nihil amplius desiderans, e vita discedere) *viderunt oculi mei:* vidi non jam mente ac fide quemadmodum patres mei, sed hisce corporalibus oculis (1), *salutare tuum* (2) i. e. salutem messianicam a te constitutam seu Salvatorem a te missum (3).

Postquam Simeon in priore Cantici strophe statuit quid Messias *sibi* fuerit, jam exponit quid *mundo* sit futurus.

v. 31 *quod* sc. *salutare* seu quem Salvatorem *parasti* i. e. præparasti, proposuisti (4) (tanquam solem) *ante faciem* (in conspectu) *omnium populorum* totius mundi, tùm Judæorum, tùm ethnicorum (5), ut omnes qui velint salutem ab eo accipiant.

v. 32. Utramque vocem *lumen* et *gloriam* merito habueris pro apposito ad nomen *salutare*. Salutem messianicam a Deo omnibus populis proponi ait; sed quod omnibus est commune, gentibus et Judæis, id utrisque appropriat ratione speciali singulis propria (6). Itaque futurus est *lumen ad revelationem gentium* i. e. ad il-

---

(1) Emphasis igitur est in hoc quod dicit: *oculi mei.*

(2) gr. τὸ σωτήριον σου: genitivus auctoris.

(3) Abstractum ponitur pro concreto quia non tam persona cogitatur quam salutis medium. Cfr. Liagre, *Comment. in S. Luc.*, Tornaci 1887, p. 73.

(4) Loquitur prophetice de re per prædicationem futura, tanquam de præterita.

(5) Uti statim *v. seq.* 32 exponit. Universalitas salutis messianicæ peculiari modo proponit Lucæ evangelium ethnico-christianis destinatum.

(6) Knabenbauer, *Comment. in evang. sec. Luc.* Parisiis 1896, p. 134.

lustrationem gentium (1) ignorantiæ ac idololatriæ tenebris offusarum, et *gloria plebis tuæ Israel* i. e. decus populi tui Israel. Insignis quippe prærogativa et gloria est Israeliticæ gentis, quod Christus ex Israelitis ortus est secundum humanam naturam, et inter illos natus est et conversatus est (Rom. IX, 5), apud eos solos miracula fecit, prophetias eis datas implevit et per illos gentibus innotuit (2).

v. 32. *Et erat* gr. ἦν in singulari positum licet duo subjecta enumerentur, quod alibi (Mt. XVII, 3; XXVII, 61) occurrit ubi verbum subjectis præponitur quæ quasi singillatim cogitantur. *Pater:* græcè *Joseph* substitutum esse videtur ab iis quos immerito nomen patris offenderit. V. 48 tamen sine codicum varietate, Joseph ab ipsa Virgine *pater* Jesu appellatur. Et optimo quidem sensu vocari poterat pater, non solum quia ab omnibus tùm temporis mysterii adhuc ignaris pater æstimabatur adeoque ita opinio exprimebatur vulgi quæ vere historiæ lex est, sed potissimum quia, ut Toletus h. l. observat, verus conjux erat Beatæ Virginis, quæ Christi *mater* erat. Si enim adoptione efficitur quispiam filius alterius, licet non genuerit, multo magis matrimonio ipso quod cum matre contrahitur. Erat autem matrimonium verum inter Beatam Virginem et S. Joseph.

Mirantes super his quæ dicebantur de illo (a Simeone). Admiratio non nisi rei novæ, et ab eo qui admiratur prius incognitæ esse solet. Jamvero Simeon non solum agnovit Messiam, sed etiam nova de filio Jesu profert quæ angelus Mariæ non nuntiavit, sc. profitetur ipsum fore salvatorem omnium, lucem gentium, gloriam Israel (3).

---

(1) Cfr. *Is.* IX, 2; XXV, 7; XLII, 6; XLIX, 6; LII, 10; LX, 3.

(2) Cfr Maldonat. *l. c.* — Liagre, *l. c.*

(3) Ad rem Maldonatus : « Erat quidem Maria ab angelo docta mysterii summam, maximeque quod ad immaculatam ipsius conceptionem pertinebat; sed nec singulas mysterii partes edocta fuerat, neque

v. 34. *Et benedixit* i. e. gratulatus est *eis* Mariæ sc. et Joseph qui talis pueri parentes esse meruerint, *et dixit ad Mariam matrem ejus* quæ cum dilecto filio esset passura: *ecce positus est hic* (κεῖται: jacet, ordinatus est) *in ruinam* (in occasionem lapsus ac spiritualis interitus) *et resurrectionem* i. e. in auctorem resurrectionis spiritualis ac salutis *multorum in Israel* seu multorum Israelitarum (1). — Effectus potius quam finis positionis seu manifestationis Christi significatur. Sc. occasione manifestationis Christi multi Israelitæ, propria culpa (2) et voluntaria excæcatione et incredulitate, (*I Pet.* II, 7 s.) ad eum tanquam ad lapidem offendentes (3) spiritualiter cadent ac salute excident; multi pariter in tenebris ignorantiæ ac peccatorum sedentes (I, 79) Christo innixi spiritualiter resurgent ac salutem consequentur. Quia autem Deus, prævisa hac multorum offensione et ruina Christum nihilominus misit ac constituit in Israel (4) ad hujus salutum procurandam, ideo absolute dicitur *posuisse* illum etiam *in ruinam multorum:* non quod hanc directe, ut multorum salutem, intenderet qui, quantum in se est, omnes homines vult salvos fieri (*I Tim.* II, 4); sed quod illam certo secuturam permittere decreverit (5).

Et (positus est hic) in signum cui contradicetur (6):

---

erat necessarium a Deo illi revelari. Crescebat enim sicut Christus hominum opinione,ità etiam ipsa revera sapientia et ætate. Ejusmodi ergo mysterii partes, et ut dicam mysteriorum mysteria cùm enucleatius et distinctius audiebat, admirabatur ». Cfr. v. 50. Admirationem suam parentes verbis probabilius significaverint.

(1) *Multorum* tam ad *ruinam* quam ad *resurrectionem* est referendum, differenter tamen: nam proprium erat Christo erigere seu salvare, accidentale vero perdere.

(2) Non enim Christus præbuit eis ruinæ *causam,* qui nihil intactum reliquit quo ipsos ad fidem in se ac salutem adduceret; verùm illi pervicaciter eum rejicientes, fide et salute exciderunt.

(3) Cfr. *Rom.* IX, 33: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali*, coll. *Rom.* XI, 11-12; *I Pet.* II, 7 et *Is.* VIII, 14.

(4) Et in mundo universo; cfr. *Jo.* I, 9; III, 14-17.

(5) Cfr. Liagre, *o. c.* p. 75.

(6) gr. ἀντιλεγόμενον: cui contradicitur.

Christi persona dicitur futura *signum* seu nota (1) qua omnibus salus messianica conspicua exhibetur, sed signum quod multi agnoscere renuent ipsi non verbis tantum sed re et factis contradicentes (2). Quibus verbis Simeon contradictiones seu omnigenas persecutiones quas Christus aliquando a Judæis perpessurus esset, prædicere apparet.

v. 35. *Et tuam ipsius* (3) *animam pertransibit gladius:* quin et ex eo quod Filio tuo ità contradicetur, tuam propriam animam transfodiet gladius (4) acerbissimi doloris. Prædicit nempe Simeon Mariam Filii persecutionis ac diræ passionis per affectum maternæ compassionis fore consortem.

Ut revelentur etc. Refertur hæc propositio non tam ad incisum præcedens quam ad totum illud quod præcedit: *Ecce positus est* etc. Particula *ut* (ὅπως ἄν) notat non solum eventum et consecutionem, sed causam et finem quare Deus Christo exhibito, permiserit ut multi Judæorum ipsi contradicerent et ità salute exciderent, puta ut manifestentur *ex multis cordibus* (ex multorum animis) *cogitationes* quæ antea latebant: ut sc. pateret quo animo quisque erga Christum ac Deum esset, pio an impio, fideli an infideli (5).

---

(1) Cfr. B. Weiss, *Die Evangelien des Markus und Lukas*, Göttingen. 1901, p. 311. Ex innumeris quæ propositæ fuerunt interpretationibus, hanc omnino præferendam ducimus. Ità nullo modo quadrat epitheton ἀντιλεγόμενον (cui contradicitur) in sagittariorum *scopum*, cui plures Christum hoc loco comparari volunt. Nec ullibi in N. T. vox σημεῖον significat scopum.

(2) Hoc inciso causa subjicitur cur Christus futurus sit *in ruinam multorum:* in hoc enim consistit *ruina* quod *signum* indubium, conspicuum nihilominus non agnoscitur, imò *contradictione* impugnatur.

(3) gr. αὐτῆς; igitur ad Mariam hoc incisum referendum est.

(4) ῥομφαία: gladius major; pr. jaculum oblongum gentis Thracum. Cfr. Grimm, *Lexicon græco-latinum in libros N. T.* Lipsiæ 1903, p. 392.

(5) **Nota.** Plura indicia hujus pericopæ (*Luc.* II, 29-35) authentiam et caracterem historicum eminenter commendare videntur. Ità parce omnino Simeon de puero Jesu loquitur; ne verbum quidem habet de prodigiis quæ nativitatem ejus signaverant neque de miraculis quæ

III. **Paraphrasis** Luc. II, 29-35. V. 29 : *Nunc* (jam me) *servum tuum, Domine*, (quem in hac vita retinere usque dum Messiam Israel vidissem), *promiseras*, (supremi voti compotem factum morte) *dimittes* lætum ac tranquillum, 30 *quia* (non tantum fide, ut patres mei, sed) corporeis *oculis vidi Salvatorem a te* missum, 31 quem exhibuisti in conspectu *omnium populorum* totius mundi, ut *lumen ad* illuminandas (luce veritatis) *gentes* (tenebris ignorantiæ offusas), et ut decus populi tui electi *Israel*. 32 *Et erant pater* (putativus Christi) *et mater mirantes super his quæ dicebantur* a Simeone *de illo*. 33 *Et* gratulatus est parentibus *Simeon, et dixit ad Mariam matrem* Christi: *Ecce* a Deo ordinatus est *hic,* Messias in occasionem *ruinæ* spiritualis et auctorem salutis *multorum Israelitarum, et in signum* salutis *cui* (tamen multi verbis et factis) *contradicent,* 35 et tuam propriam animam (mater) transfodiet *gladius* (acerbissimi doloris): (Deus autem Messiam ità constituit) ut manifestentur *multorum* erga Christum cogitationes seu sensus.

A. C.

II

Q. *Exposita notione* loci *explica qua ratione angelus possit esse in loco.*

R. I. Ab omnibus obvie concipitur *locus* ut aliquid continens corpus, ut aliquod corporis receptaculum;

---

vitam ejus publicam insignem reddiderunt : hujusmodi autem mirabilia sermo fictitius post eventum excogitatus silentio non præteriisset. Conditio populi judaici, qualis ex cantico apparet, non in finem sæculi I sed omnino in Christi nascentis epocham perfecte quadrat, ità ut meritò dixerit Godet (apud Plummer, *o. c.* p. 69) : « C'est le pur accent primitif ». Præterea unice de lætitia ac sua in Deum gratitudine testificanda senex sollicitus apparet, ità ut ad parentes tunc tantum verba fecerit, quando de ejus dictis admirationem palam ostenderant.

sed ita quidem ut illud receptaculum sit *immobile,* licet corpus sit mobile et possit motu suo relinquere illud receptaculum et varia successive acquirere alia (1).

Inde locus definitur: *continentis* (seu ambientis) *terminus immobilis primus* (2).

Dicitur *continentis terminus* ut indicetur locum esse ipsam *superficiem* corporis *ambientis* rem quæ dicitur locata. Locum enim concipimus ut vas quoddam immobile: vas autem non est spatium vacuum inter ejus parietes, sed ipsi *parietes* continui vas constituunt (3). Ita v. gr. locus est ultima superficies aëris qua tangitur et concluditur homo hac in terra, vel etiam ultima superficies aquæ qua tangitur et concluditur piscis in mari.

Additur *immobilis:* « locus enim concipitur permanere, tametsi ibi non permaneant corpora quæ illum acquirunt vel amittunt » (4); si ipse locus moveretur cum corporibus quæ continet, ipsa semper in eodem loco manerent. — Inde differt locus a vase mobili in quo continetur aliquod corpus, v. gr. aqua. « Loci immobilitas accipitur per ordinem ad aliquod centrum fixum, ita navis in flumine dicitur esse in eodem loco, licet aqua, quæ eam ambit, fluat, ideoque loco moveatur, accipitur igitur locus navis in flumine per ordinem ad totum flumen » (5).

Tandem adjungitur *primus*, ut designetur locus cuique corpori *proprius,* superficies nempe quæ *immediate* ambit corpus locatum; et distinguatur a loco pluribus corporibus *communi:* v. gr. cubiculum est locus *communis* respectu rerum quæ in illo propria sua loca occupant.

---

(1) Cf. Schiffini, *Institutiones philosophicæ in Compendium,* Augustæ Taurinorum, 1893, n. 491; De Jaegher, *Instituliones Philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 338.

(2) Aristoteles, Physic. textu 41.

(3) Cf. Pignataro, *De processione creaturarum a Deo,* autogr. p. 39.

(4) Schiffini, op. c., n. 492.

(5) Pignataro, op. c., l. c.

II. Ex dictis apparet locum esse *extrinsecum* rei locatæ et præsentiam in loco nihil aliud esse quam statum qui consequitur conjunctionem cum loco.

1. Porro duplex distinguitur modus conjunctionis cum loco vel præsentiæ in loco: unus habetur per contactum *quantitatis,* alter per contactum *virtutis.*

Primus modus præsentiæ in loco habetur quando res contenta coextendit suas dimensiones ad dimensiones corporis continentis, ita ut diversis loci partibus respondeant diversæ locati partes. Quod sic loco conjungitur dicitur esse in loco *localiter* seu *circumscriptive:* quia corpus sic commensuratur dimensionibus loci continentis quæ illud undequaque ambiunt.

Circumscriptive seu localiter esse in loco competit tantum *corpori:* ens enim corporeum solum habet quantitatem ac dimensiones et consequenter potest coextendere suas partes partibus superficiei corporis immediate ambientis seu tangentis: inde intelligitur quomodo hæc in loco præsentia recte vocetur per contactum *quantitatis* (1).

Alter modus præsentiæ in loco habetur quando aliqua substantia (spiritualis) locum, vel potius corpora, in loco localiter constituta, attingit sua virtute: tunc enim spiritualis substantia est ibi ubi corpus est quod attingit. Hic modus essendi in loco non convenit nisi *analogice* cum priori modo: quare spiritualis substantia dicitur esse in loco *non localiter.*

Porro si virtus illa est finita et consequenter non potest operari nisi in aliquid corpus vel in aliquot corpora ac proinde limitata est sphæra activitatis hujus entis, tunc illud ens dicitur esse in loco *definitive.*

---

(1) Ut aliquid sit in loco localiter « duæ requiruntur conditiones: prima, ut res sit dimensionata; altera, ut per dimensiones suas loco applicetur, contingatque terminos ejus contactu quantitatis. Quarum conditionum si vel una desit, non datur esse in loco *localiter,* quod etiam dici solet, esse in loco *circumscriptive* ». Billot, *De Sacramentis,* Romæ, 1893, T. I, p. 409.

Si vero virtus illa est infinita, uti est Dei virtus, tunc dicitur hæc virtus esse in loco *non definitive* (1). Hi sunt, ut videtur, soli modi præsentiæ possibiles in ordine naturali (2).

2. Quum angelus sit purus spiritus nequit esse in loco *localiter* seu *circumscriptive:* non enim habet quantitatem molis qua dimensiones suas coextendat ad dimensiones superficiei ambientis.

Angelus ergo nequit esse in loco nisi *non localiter:* quod autem hoc modo possit in loco esse constat ex hoc quod angelus potest agere in corpora: potest enim movere illa. « Natura corporalis, ait S. Thomas, spirituali naturaliter obedit ad motum localem » (3). In illis igitur locis est angelus in quibus sunt corpora quibus angelus applicat virtutem suam. Inde si angelus pluribus corporibus, inter se distantibus, applicat simul virtutem suam, est revera in illis diversis locis sed hæc reputantur, respectu angeli, ut unus locus ejus, licet non constituant aliquid continuum (4).

Ex dictis etiam magis elucet aliter omnino angelum

---

(1) « Hinc si proprium sensum vocum attendas, *definitive* non dividitur contra *circumscriptive,* sed magis se habet ad illud sicut genus ad speciem subalternam. *Circumscriptive* enim nominat talem definitionem in loco, quo totum est in toto, et pars in parte; cui e regione opponitur alia definitio in loco, qua totum est in toto et totum in partibus etiam singulis (sic anima est in corpore); sed quia ille modus non habet speciale nomen, ideo retinuit commune nomen generis. Simili quodam modo, nomen *angelus* significat quandoque totum genus substantiarum separatarum; quandoque vero, ultimum ordinem ultimæ hierarchiæ ». Billot, op. c., p. 414.

(2) Cf. Pignataro, op. c., p. 40. — Dicimus *in ordine naturali:* nam habetur alius præsentiæ in loco modus in ordine supernaturali; ille nempe præsentiæ modus qui est *per modum substantiæ,* non ratione operationis, et qui consequitur ad *transsubstantiationem.* Cf. Billot, op. c. p. 412. Non fecimus sermonem de opinione Scoti, quia censemus non dari locum *intrinsecum.* Scotus opinionem suam exponit in II, D. II, Q. 6; hanc propugnat Palmieri, *De Deo Creante,* Romæ, 1878, Thes. XIX, n. V, p. 182.

(3) I-IIæ, Q. LXXX, a. 2.

(4) Cf. S. Thomas, I, Q. LII, a. 2; Jungmann, *De Deo Creante,* n. 95.

et aliter corpus esse in loco. Angelus enim non continetur à loco: « nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream continet ipsam, et non continetur ab ea; anima enim est in corpore ut continens et non ut contenta, et similiter angelus dicitur esse in loco corporeo non ut contentum, sed ut continens aliquo modo (1).

Diximus angelum in loco esse formaliter *per applicationem virtutis* ad corpus locatum. Non omnes eodem modo intelligunt hanc virtutis applicationem. Alii enim intelligunt hoc de qualibet applicatione virtutis ad operandum etiam effectu non secuto; alii vero hoc intelligunt de operatione effectu secuto. Priorem sententiam tenet Sylvius ac explicat sequentibus verbis: « Quibus consideratis ex mente S. Doctoris esse dicimus, quod ratio veluti formalis secundum quam angelus est in loco, non sit operatio proprie dicta, quodque non requiratur ulla talis operatio ad hoc ut in loco aliquo existat: sed satis sit, quod virtutem suam operativam (eo modo quo ipsi convenire potest) applicet ad aliquem locum, sive quod eum locum immediate contingat, sitque idcirco *in proxima potentia* ad illic operandum..... Cujus applicationis aliquale exemplum afferri potest ex pluribus hominibus qui ad trahendam molem aliquam ingentem se virtutemque suam applicant, sed quia nimium est gravis, illa *non trahitur*. Ibi enim applicatio ad trahendum non tantum est prior tractu, sed etiam est ab illo separata, cum tractus impediatur propter excessivam gravitatem molis » (2). Sed, ut videtur, etiamsi *in corpore* non habeatur actu *motio* proveniens ab angelo, tamen omnis applicatio virtutis est aliqua *operatio* et consequenter angelus non aliter est in loco quam per *operationem* suam. Hæc videtur esse sententia S. Thomæ asserentis: « Si quis autem velit virtutis

(1) S. Thomas, I, Q. LII, a. 1.
(2) In I, Q. LII, a. 1, concl. 3.

contactum operationem vocare, propter hoc quod *operari* est *proprius effectus* virtutis, dicatur quod Angelus est in loco per operationem: ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio sed quæcumque unitio, qua sua virtute se corpori unit, præsidendo vel continendo, vel quocumque alio modo » (1).

Tandem animadvertamus non solum operationes angelorum esse in loco, sed ipsam eorum substantiam: ubi enim operantur angeli, ibi sunt.

Nota. Jungmann (2) hæc habet: « Certum igitur est angelos in loco esse; tum quia substantia existens non potest nullibi esse, sed debet alicubi existere... » Hæc ratio non admittenda videtur: etenim si locus recte definitur: *continentis terminus immobilis primus,* non datur locus *realis* nisi sint duo corpora quorum superficies unius immediate tangit superficiem alterius: inde si Deus creavisset tantum puros spiritus non essent in loco reali. Quærenti autem *ubi* tunc essent angeli respondendum est: nego suppositum. Inde etiam, si unum tantum corpus existeret. præter Deum non esse posset in loco reali.

J. V. D. M.

III

Q. *Quænam sunt generales obligationes tum heri erga domesticos suos et operarios, tum domestici et operarii erga herum suum?*

R. **Prænota.**

Duplex distinguenda est relatio herum inter et servum, una quæ ex ipso contractu oritur, nempe *relatio conductoris ac locatoris,* altera quæ mediante contractu ex Supremi omnium Gubernatoris, Dei, dispositione ortum ducit, *relatio superioris et inferioris;* cui duplici

(1) Quodlibetum I, a. 4.
(2) Op. c., n. 95.

relationi duplicis quoque generis correspondent obligationes reciprocæ. Præterea distinguimus *famulos domesticos* ab *operariis:* famulos domesticos vocamus illos qui in domum ac familiam recipiuntur, vitæque familiaris fiunt participes; operarios vero seu mercenarios, qui extra domum heri, puta in agris, officinis, fabricis, operam præstant.

1ª Pars. De obligationibus heri.

I. *Erga famulos domesticos.*

1° Herus, *qua conductor,* tenetur justam de opera et mercede inire conventionem, illamque, dummodo famulus debitas præstiterit operas, fideliter exsequi (1). Cfr. Ap. ad Coloss. IV, 1. Unde requiritur

a/ ut hæres famulo præbeat alimentum, tectumque conveniens;

b/ ut eum invitum non gravet operis indebitis, i. e. operis quas talis famulus juxta mores et consuetudines locorum nullatenus præstare debet, nisi aliter expresse conventum sit;

c/ ut stipendium promissum rite persolvat, nec quidquam de eo subtrahat, aut ejus solutionem diutius differat. Inhumanum etiam, et æquitati saltem adversum videtur famulo brevi tempore ægrotanti, aliquid de salario detrahere, nec id habet praxis apud nos recepta.

Et hæ quidem sunt obligationes justitiæ, ex genere suo graves, atque ita ut gravis earum neglectus, et speciatim « fraudare quemquam mercede debita grande piaculum sit, quod iras e cœlo ultrices clamore devocat (2) ». Cfr. Tob. IV, 15; Levit. XIX, 13; Jac. V, 4; Deut. XXIV, 15.

2° Herus, *qua superior,* seu ut caput familiæ domesticæ, tenetur

(1) Si vero famulus debitas operas non præstiterit, resolvendum erit pro diversitate causæ ex qua defectus executionis operarum provenerit, de quo cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *Tract. de Just.*, I, p. 474, sqq.

(2) Litt. Encycl. *Rerum Novarum.*

a/ famulos, sive infirmos, sive sanos benigne tractare, habens illos non tam pro servis proprie dictis, sed pro fratribus et conservis Dei in Christo. Cfr. Ap. ad Philem. 16; ad Ephes VI, 9;

b/ curam habere de eorum salute corporali, saltem in quantum illa salus cum ipso statu famulatus domestici est connexa. Hinc oportet ut e domo, operibusque exsequendis, quæ sanitati, membrorum integritati, etc, periculosa sunt, in quantum fieri potest removeat, nec illos morbo laborantes sine misericordia sorti suæ relinquat;

c/ diligenter procurare eorum salutem spiritualem. Cfr. Ap. I ad Tim. V, 8. Unde debet illos monere de vita Christiana, opportune, et prout utiliter fieri possit; ipsis concedere tempus, mediaque ad officia religiosa rite adimplenda, ac invigilare ut famuli periculose ægrotantes sanctis exeuntium Sacramentis reficiantur. Præterea dimittat famulos, qui liberos, aliosque domesticos exemplo aut moribus pravis corrumpunt, et facta reprehensione paterna non emendantur; nec unquam permittat ut temerarie adeant proxima peccandi pericula, cum illud impedire valeat.

II. *Erga operarios seu mercenarios*

1° Quæ obligationes hero, qua conductori, incumbunt erga famulos domesticos, ipsi quoque incumbere dicendæ sunt erga operarios, ratione tamen habita disparis eorum conditionis. Herus enim, seclusa speciali conventione ipsis præter mercedem non debet alimenta et tectum, et ob laborem omissum etiam ad breve tempus (puta ad mediam diem), subtrahere potest pro rata omissionis partem salarii juxta praxim receptam, salvo tamen semper charitatis debito.

2° Licet herus, qua superior, erga operarios, cum ad domesticæ vitæ consortium non admittantur, non omnia officia habeat, quæ erga famulos, nihilominus in quantum etiam eorum superior est, in tantum ad ipsum spectant superioris officia: « non habendi sunt

mancipiorum loco opifices; vereri in eis æquum est dignitatem personæ, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Illud vero turpe et inhumanum abuti hominibus pro rebus ad quæstum, nec facere eo pluris, quam quantum nervis polleant, viribusque. Similiter præcipitur religionis et bonorum animi habere rationem in proletariis oportere; quare dominorum partes esse efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex, non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum, illecebrisque peccandi (1) ».

2ª Pars. De obligationibus famulorum et operariorum erga herum.

I. *De obligationibus famulorum domesticorum*

1° Famuli, *qua locatores*, tenentur in locando servitio suo justam servare mercedem, atque per totum locationis tempus hero suo fideliter præstare obsequia locata. Hinc

a/ operas ex tenore conventionis, aut locorum consuetudine a talibus famulis debitas, rite exsequantur, nec ante pactum locationis terminum absque legitima causa discedant (2);

b/ curam gerant earum rerum, quæ ipsis conservandæ aut adhibendæ committuntur;

c/ omnes res, quæ peculiari eorum curæ sunt commissæ juxta tenorem contractus aut naturam specialem famulatus, serio tueantur adversus furta aut damnificationes (3), nec ipsi unquam sub vano quodam prætextu

(1) Litt. Encycl. *Rerum Novarum*. Ergo etiam patronus, ut explicat S. Pont., debet benigne tractare operarios propter dignitatem eorum humanam ac christianam, et procurare eorum salutem tum corporalem, tum spiritualem.

(2) Quoad dimissionem, aut discessum famulorum ante completum locationis terminum, cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, p. 475 sqq.

(3) Utrum vero famuli universa domini bona custodire teneantur, non convenit inter auctores. Probabilius dicendum videtur, illos non teneri neque erga extraneos saltem ex justitia, salva tamen speciali conventione, cum hodiedum divisio laboris ita invasit mores nostros, ut etiam famuli non ultra limites specialis operæ pactæ sese obligare intendant. Cfr.

utantur compensatione occulta, quæ reapse furto æquivalere censetur (1).

2° *Famuli, qua subditi,*

a/ præstare debent reverentiam patrifamilias, ejusque uxori et liberis, singulis pro gradu suo in familia. Cfr. I Tim. IV, 1 sqq. Unde prohibentur contumeliæ, detractiones, contemptus, divulgatio arcani familiæ, turbatio pacis domesticæ, etc.;

b/ dominis obedire tenentur in iis, quæ ad rectam christianamque domus gubernationem pertinent. Cfr. I Petri II, 18 sqq.; ad Eph. VI, 5-6.

II. *De obligationibus operariorum*

1° Operarii, qua locatores, « quod libere et cum æquitate pactum operæ sit, id integre, et fideliter reddere tenentur: non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum, in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam: nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose jactantibus, quod fere

---

Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, T. II. n° 305; Marrès, *De Justitia*, (Ruræmundæ, 1889) I, p. 307; Theol. Mechl., *Tract. de Jure et Just.*, p. 127.

(1) Merito damnata est ab Innoc. XI sequens propositio: « *Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt* ». (Prop. 37, Decreto 2 Mart. 1679; cfr. Enchiridion, Denziger, Wirceburgi, 1900, p. 261). Hæc enim propositio in sua generalitate viam panderet innumeris injustitiis, ac publici ordinis perturbationibus. Ex hac tamen damnatione minime sequitur quamlibet compensationem occultam velut injustam esse reprobandam, de quo cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, II, p. 186 sqq. Unum animadvertere liceat cum Van Egeren, *Notationes* fasc. 5: doctrinam de justa compensatione occulta ineptam prorsus esse materiam publicæ fidelium instructionis, eamque potissimum explanari ad manuductionem confessarii, qua judicis, pro foro interno. Quinimmo ipsum confessarium, ubi hujusmodi casus compensationis a famulo exponitur, cautissimum esse oportet, ita ut ante factum eam vix unquam consulat, aut positive permittat. At vero post factum, ubi compensatio occulta fuerit justa sed illicita (puta si alia via satisfactio obtineri potuerit), famulum corripiat, quin tamen ad restitutionem obstringat; ubi autem compensatio fuerit et justa et licita, famulum nec increpet, nec laudet.

habet pœnitentiam inutilem; et fortunarum ruinas consequentes (1) ».

2° Quanquam specialis illa reverentiæ et obedientiæ obligatio, quæ famulos domesticos urget, eis non incumbit, nisi in quantum forte vitæ familiaris sint participes, nihilominus neque patronis, qua superioribus, congruum obsequium præstare recusent, neque in illos « observantiam et fiduciam ullo modo exuant (2) ».

Hæ sunt generales obligationes mutuæ herorum et famulorum, aut opificum (3); nullum vero dubium quin legibus suis, ut communi bono consulat, intervenire possit respublica, licet « non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio vel periculi depulsio requirat (4) ».

Denique notare juvat cum Theol. Mechl. *quæstionem, socialem* dictam, *de æqua operariorum sorte* non apte solvi nisi quando dominus, non tantum qua operariorum conductor justitiæ leges servat, at etiam qua operariorum patronus, juxta charitatis præcepta eorum spiritualis et corporeæ salutis curam habet, et vicissim operarii obsequente ac fidente animo accipiunt quæ ipse in eorumdem utilitatem suscipit, in angustiis etiam memores exempli Christi Domini, qui tanquam operarius pauper plures vitæ suæ annos degere voluit. *Neque illud est ultimum,* ait Leo XIII in cit. litt. 10 jul. 1895, *efficere ut qua plane decet verecundia obtemperetur summis Dei consiliis, qui in communitate*

---

(1) Litt. Encycl. *Rer. Nov.*

(2) Cfr. litt. Leonis XIII, 10 Jul. 1895 ad Episc. Belgii.

(3) Totam hanc quæstionem fusius expositam invenies apud Van Egeren, *notat.* fasc. 5, p. 61 sqq. Cfr. etiam Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, p. 474 sqq.; Marres, *o. c.*, II, p. 405 sqq.; Theol. Mechl. *o. c.*, p. 364 sqq.; Antoine, *Cours d'Economie Sociale,* (Paris 1896), p. 291 sqq.

(4) Litt. Encycl. *Rerum Novarum.* Quoad varias leges in Belgio de hac materia latas, cfr. A. Vermeersch, *Manuel Social,* 2de Ed (Louvain 1904). Vide speciatim legem 10 Mart. 1900 (loi sur le contrat de travail); quæ generatim juri naturæ optime congruit; cfr. opusc. *La loi sur le contrat de travail.* Mavaut (Bruxelles, 1900).

generis humani esse jussit classium disparitatem et quamdam inter ipsos ex amica conspiratione æquabilitatem: ita, neque opifices observantiam et fiduciam ullo modo exuant in patronos, neque ab his quidquam erga illos desit justæ bonitatis, curæque providæ.

A. D. C.

IV

Q. *Quid est contractus ludi, et quænam conditiones tum ad justitiam tum ad honestatem ludi requiruntur?*

R. I. **Notio.**

Ludus generatim sumptus est omne dictum vel factum ad animi relaxationem inserviens, de quo agunt theologi ubi de virtute temperantiæ, secuti S. Thomam 2ª 2ᵉ, q. 168; loquimur vero in præsenti de ludo in ordine ad justitiam, et hoc sensu definitur: *contractus quo ludentibus proponitur quædam res, qua præmium victori addicenda.* Hic contractus est vel *gratuitus,* si ex unius contrahentis sive ludentis sive non ludentis liberalitate exponatur præmium, quod alter obtinere potest, quin ullum damni periculum subeat; vel *onerosus,* bilateralis, aleatorius, si ab utraque parte periculum damni et spes lucri habeatur ob præmium a victo victori solvendum (1).

Triplex distinguitur hujusmodi ludorum species: prima est ludorum, qui mere pendent a ludentium industria ac peritia; secunda, eorum qui omnino pendent a fortuna seu casu fortuito, et tertia demum, mixta, eorum qui partim industria partim fortuna reguntur.

II. *Conditiones* **ad justitiam ludi** *requisitæ* (2).

---

(1) Cfr. *Coll. Brug.*, T. II, (1897), p. 256, de obligatione oriunda ex ludo, spectato foro tum externo, tum interno.

(2) Hæc omnia tantum ludos onerosos respiciunt, nam ad justitiam in ludo gratuito sufficit ut serventur leges a proponente præmium statutæ, et non adhibeantur fraudes; ideoque quoad illum contractum nulla difficultas.

1° *Oportet consensus ludentium sit liber,* quod deducitur ex principiis generalibus omni contractui applicandis. Hinc jure naturæ irritus est contractus cum semiebrio initus, et utraque pars ad lucri restitutionem tenetur. Quodsi unus alterum injuste aut vi aut metu ad ludendum induxit, neuter juxta sententiam, quæ nobis videtur probabilior, obligatur ad restituendum lucrum. Etenim, ut arguit de Lugo « vis aut metus etiam injustus non irritat de jure naturæ contractum, cum adhuc maneat voluntarium simpliciter, sufficiens ad ejus valorem »; neque contractus ille ad nutum injustitiam passi rescindi potest, nam « uterque ludens dat alteri spem et facultatem lucrandi pro spe simili et facultate quam ab eo accipit; hæc autem spes et facultas lucrandi quam tractus habuit et acceptavit non potest restitui trahenti, cum tamen esset pretio æstimabilis, et quidem digna toto pretio dato, supponimus enim æqualem fuisse utriusque conditionem et spem » (1). Fundamentum igitur obligationis restituendi lucrum tantum peti posset ex titulo damni injuste illati; ast hic titulus postulat, ut actio injusta sit *efficax* damni alterius causa. Sed, ut animadvertit S. Alphonsus, l. III, n. 880, damnum alterius non provenit ex vi aut metu incusso, sed ex infortunio et casu, ita ut coactio victoris fuerit quidem occasio, non autem causa efficax damni alterius ludentis; unde neque metum incutiens ad lucrum restituendum obligatur (2).

2° *Requiritur ut de rebus quas exponunt juste disponere possint.*

---

(1) Hucusque de Lugo, (*De Just. et Jure,* disp. XXXI, n° 28), qui tamen contendit incutientem metum ad lucri restitutionem teneri, quia propter injustam coactionem causa fuit injusti damni alterius.

Teneretur, ut patet, si aut imperitum aut minus peritum ad ludendum coegisset, non vero ratione metus, sed ratione injustitiæ non servando conditiones ludi justi.

(2) Cfr. Marres, *De Justitia,* II, p. 491; Molina, Tract. II, Disp. 516.

Hinc sequitur injustitiæ reum esse, qui mala fide rem alienam, puta furtivam, commodatam, aut apud se depositam ludi discrimini objicit; alter vero, mala fide eam obtinens, semper ad restitutionem, rei domino faciendam, obligatur, sed justum lucrum sibi ab altero contrahente exigere potest; ideoque etiam rem alienam exponens lucrum retinere poterit. Pari modo justitiam lædit, qui rem suam exponit, sed cujus jactura se imparem reddit ad justitiæ obligationi satisfaciendum: ut puta si quis rem mutuo acceptam exponit, cum periculo illam non amplius reddendi, aut si quis res suas perdendo se debitis solvendis imparem reddit (1).

Præterea qui ludit cum minorenni, vel aliis qui liberam bonorum dispositionem non habent, lucrum retinere non potest, neque ipse minor ullum titulum habet servandi lucrum, cum nullum subierit periculum et consequenter defecerit æqualitas (2).

3° *Requirunt pariter theologi ut serventur ludi leges ex conventione vel consuetudine statutæ.*

Qui igitur fraude injusta, aliis nociva, utitur, injustitiæ fit reus, atque restituere debet, uti communiter docent auctores, non solum lucrum perceptum, sed etiam quanti valebat spes lucri in eo qui est deceptus (3). Alter vero, si fraudibus utentem illicitis vincat, lucrum servare potest, cum is sincere ludat, et propter alterius culpam non debeat fraudari præmio suæ victoriæ.

4° *Servetur demum æqualitas inter ludentes,* spectatis simul tum conditionibus ludi, tum rebus expositis, tum (in ludo non mere aleatorio) ludentium peritia.

---

(1) Cfr. Marres, *o. c.*, p. 489.

(2) Excipiendæ tamen sunt res modicæ, quæ eorum dispositioni relictæ censentur.

(3) Sunt quædam fraudes licitæ seu toleratæ. Ut secernantur ab illicitis, recurrendum est ad leges ludi, ad consuetudinem, ad conventiones ludentium, et ad judicium peritorum in hac materia. Cfr. de Lugo, *l. c.*, n° 34; Billuart, *Tract. de contract.*, disp. VI, art. V, § 2.

Hujus conditionis necessitas sequitur ex eo quod ludus sit contractus onerosus, in quo periculum perdendi compensari debet spe lucrandi. Attamen, ut merito notat Marres (1), omnis injustitia evanescit, quando ludentes libere consentiunt in ludi inæqualitatem sibi notam, quia scienti et volenti non fit injuria, et qui gratis alteri rem suam cedere potest, eamdem etiam inæquali oneroso contractu tradere valet.

III. *Conditiones* **ad honestatem ludi** *requisitæ.*

1° *Finis ludi sit honestus.* Hinc intendi potest honesta recreatio post laborem, corporis exercitatio, proximi levamen; immo nec per se, seu *ex natura rei,* illicitum est præcipue aut unice lucrum sibi comparandum intendere, cum etiam justum lucrum sit honestus ludi finis, quanquam per accidens seu *ex ludentium natura,* vix deerit peccatum.

2° *Summa exposita sit modica, proportionata ludentium viribus,* adeo ut nec familia nec pauperes detrimentum patiantur, nam ludentes etiam illæsa justitia pietatem familiæ debitam atque charitatem lædere possunt. Præterea etsi nemini ullum immineat detrimentum, experientia teste constat in iis præsertim ludis in quibus magna pecuniæ summa exponitur, etiam maxima occurrere mala atque pericula.

3° *Ex adjunctis personarum, temporis, loci ac modi nulla malitia accedat.* Unde in casibus specialibus semper attendantur variæ circumstantiæ, cum hujusmodi practicæ quæstiones non abstractim sint definiendæ, sed ex circumstantiis. Semper autem ludus ad normam virtutis instituetur, si servetur quod licet, quod decet, quod expedit (2).

A. D. C.

---

(1) De Justitia, *l. c.*

(2) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia,* (Brugis 1885). T. I, p. 486 sqq.; Carrière, *De Contract.,* (Parisiis 1847), T. III, p. 19 sqq.

V

Q. *An licitum est ex negotiis aleatoriis sibi brevi tempore ingens lucrum quærere?*

R. **Prænota.**

Negotiis aleatoriis, quibus brevi tempore comparari potest ingens lucrum, præcipue intelligenda sunt ludi et sponsiones, ac variæ operationes bursæ commercii, quæ vulgo « *speculationes bursæ* » vocantur (1).

Respondetur.

I. *Principia* **juris naturæ.**

1° Illa negotia aleatoria in se considerata non sunt illicita. Etenim non sunt illicita ex objecto, nam de se inhonestum non est subire damni periculum cum spe lucri; neque ex fine cum lucrum intentum sit referibile ad ulteriorem finem legitimum, puta ad sustentationem familiæ, etc.; neque tandem illa negotia dicenda sunt illicita, eo quod suppeditant medium sibi comparandi brevi tempore et absque labore magnas divitias: si enim aliis modis ex. gr. acceptando magnum donum aut hæreditatem, vel occupando bona quæ hucusque nullius erant, sine labore ditescere licet, licebit etiam ope horum negotiorum, dummodo adsint omnes conditiones tum ad justitiam tum ad honestatem requisitæ (2).

2° Attamen per accidens, ratione circumstantiarum, cum istis negotiis multa et maxima vitia possunt esse conjuncta.

a/ Sæpe sæpius non sunt immunia a fraude et dolo; adhibentur media injusta quibus pretium rei venditæ augeatur vel minuatur, v. gr. spargendo falsos rumores de statu regni, vel alicujus societatis commercialis.

---

(1) Quoad varias illas operationes bursæ, cfr Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Justitia*, (Brugis 1885), T. I, n° 654.

(2) Quænam sint generatim hæ conditiones, jam intelligi potest ex dictis in præc. resp. de justitia et honestate ludi.

b/ Ista negotia eo magis promovent cupiditatem, quo de majori lucro aut damno agitur. Unde non raro auri sacra fames, ut experientia constat, hominem talibus negotiis deditum ita obcæcat et abripit, ut sensim spiritualia et salutem animæ negligens, a quibuscumque vitiis non abhorreat. Huc spectant verba Apostoli I ad Tim. VI, 9. « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli..... radix enim omnium malorum est cupiditas ».

c/ Talibus negotiis sæpissime pietas conjugalis et paterna ob statum, honorem ac bona temere exposita graviter læditur.

II. Attendendum etiam ad præscripta **juris positivi.**

1° Serventur dispositiones *juris civilis* (1). Quando lex nihil statuit, isti contractus aleatorii, ut patet, juxta principia juris naturæ obligatorii evadunt; utrum vero oriatur obligatio ex negotiis prohibitis, dijudicandum est ex vi et sensu legis: ubi agitur de lege irritante, victus in conscientia non tenetur solvere lucrum; ubi vero tantum denegatur actio ad lucrum repetendum, standum est obligationi naturali.

2° Serventur statuta *juris canonici.*

Multas esse et gravissimas SS. Canonum sanctiones, quibus clerici a negotiis aleatoriis, de quibus nunc fit sermo, removeantur, nemo ignorat. Cfr. Conc. Trid., sect. XXII, cap. 1, *de reform.;* Schmalzgrueber, l. III, tom. II, tit. L; Wernz, T. II, (Romæ 1899) p. 306 sqq.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Can. et Can. Civ. Compendium,* Ed. VII, T. I, p. 460, n° 549, p. 463 sqq., Vide etiam *Stat. Diœc.,* p. I, tit. I, c. II, art. VIII, X.

A. D. C.

---

(1) Cfr. C. c. aa. 1965-1967; Cod. pœn. a. 305, 357-3°, 558 al. 2; lex 24 Oct. 1902.

Cum nostris diebus, ut merito notat Theol. Mechl., *De Just.,* p. 394, passio ludi, sponsionis ac speculationis in immensum creverit, ad eam refrænandam, et mala inde pro familiis et societate promanantia præpedienda, severiores requirerentur legis dispositiones.

VI

Q. *An et qualis requiritur crux in altari in quo Missa celebratur ?*

R. Ut Sacrum peragi licite possit, requiritur ut crux cum imagine crucifixi, celebranti et populo facile visibilis, in medio altari, non tamen in throno expositionis, apponatur, nisi forte publice expositum sit SS. Sacramentum, aut nisi alia jam imago crucifixi Domini principalem in altari occupet locum.

Sacrificium Missæ est viva imago et realis repræsentatio cruenti sacrificii quo Christus Dominus Patri æterno semetipsum obtulit in ara crucis. Dogma illud catholicum egregie fidem exercet et pietatem impense fovere natum est. Quare summa ope enisa est Ecclesia illud in ipsa Missæ celebratione tam sacerdoti litanti quam populo assistenti præ oculis ponere et in mentem revocare (1).

Ex hoc Ecclesiæ studio fluunt et explicantur omnia quæ spectant præceptum erigendi super incruentæ oblationis altari signum memoriale sacrificii cruenti.

---

(1) Varius tamen fuit in sæculorum decursu Ecclesiæ usus. Per tria priora sæcula, crux Christi, Judæis quidem scandalum, Græcis autem stultitia, rarius et vix non symbolice (littera T, anchora) repræsentabatur: de cruce altaris in specie nihil novimus. Sed inde a sæc. IV sæpius indies exhibetur, non tam ut signum passionis quam in signum triumphi decorata. Pro sacrificio missæ, occurrit nobis a/ vel depicta aut insculpta in altaris mensa, facie aut latere, aut (inde a sæc. XI) retabulo; b/ vel suspensa sub corona votiva super ara; c/ vel erecta in hasta post aut juxta altare. In superficie autem non ponebatur quum, jubente Leone IV, « super altare nihil ponatur nisi capsa et reliquiæ sanctorum aut forte quatuor evangelia et buxida cum corpore Domini ad viaticum infirmorum ». Inde tamen a sæc. XII-XIII sæpius jam erigitur in ipso altari. Sæc. XIII, Innocentius III Pontifex (*De altaris mysterio,* II, 21) et Durandus (*Rationale divin. officiorum,* l. I, c. III, n. 31) jam statuunt crucem super altare esse ponendam mediam inter duo candelabra. Quam præscriptionem servaverunt Missale Roman. et Cærem. Episc. Usque ad sæc. XV solebat crux eadem deferri in processione et, tempore missæ super altare deponi.

1. Hæc praxis, longo sæculorum usu confirmata, ubique in libris liturgicis aut S. R. C. decretis **supponitur**. Ita altare noviter consecratum vestiunt clerici « *ponentes desuper crucem* et alia ornamenta » (1); pro consecrando electo in episcopum erigi debet « altare cum cruce et duobus candelabris » (2); Missam celebrans sæpius debet caput inclinare « cruci » vel « versus crucem » (3); nonnunquam jubetur sacerdos oculos elevare ad Deum (4): declaravit autem S. R. C. (5), « juxta rubricas in elevatione oculorum crucem esse adspiciendam ».

2. Insuper diserte **præscribitur**. In Cæremoniali Episcoporum legimus: « in [candelabrorum] medio collocabitur crux ex eodem metallo et opere, præalta, ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine crucifixi versa ad anteriorem altaris faciem » (6). In Missali Romano præscribitur ut « super altare collocetur crux in medio et candelabra... hinc et inde in utroque ejus latere » (7). Hæc obligatio, saltem quoad substantiam, urgetur plurimis S. R. C. decretis, ut ex sequentibus patebit. Quibus inhærens, Benedictus XIV, in Constitutione *Accepimus,* diei 16 julii 1746, præcipit Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ « ut nullo modo patiantur rem divinam fieri ad hujusmodi altaria, nisi crucifixus inter candelabra ita promineat ut sacerdos celebrans ac populus sacrificio assistens eumdem crucifixum facile et commode intueri possint » (8).

---

(1) Pontificale Romanum, tit. *de altaris consecratione.*

(2) Pontif. Rom., tit. *de consecratione electi in episcopum.*

(3) Missale Roman. *Ritus servandus in celebr.* c. II, n. 2; 4; IV, 2; 3; 4; etc. *Ordo Missæ,* pluries.

(4) Ibidem, passim; cf. S. R. C. n. 1333 ad 7 (antiq. 2363).

(5) S. R. C. 22 jul. 1848, n. 2960, ad 3 (antiq. 5121).

(6) Cæremon. Episc. lib. I, c. XII, n. 11.

(7) *Rubricæ general.* c. XX.

(8) In hac constitutione, Benedictus XIV totam nostram quæstionem, ea qua solet scientia, theoretice tractat et practice solvit.

3. Finis ab Ecclesia intentus perfectius sane obtinetur si apponatur crux non nuda sed **cum imagine crucifixi**. Quod revera est de præcepto. Dubium moveri nequit de verbis Cæremonialis et Benedicti XIV; in textu autem Missalis, vocem « *crux* » non aliter intelligendam esse eruitur ex alio loco, ubi jubetur ut celebrans ad altare accedens « altari seu imagini *crucifixi* desuper positæ profunde se inclinet » (1).

4. Ex eodem rursus fine intelligitur crucifixo competere locum principalem in altari. Quam ob causam præcipit Missale ut *collocetur crux* **in medio, inter candelabra**. Plura insuper habet Cæremoniale de materia et altitudine crucis, quin tamen hæc haberi debeant ut strictum præceptum, maxime ubi non agitur de ecclesiis cathedralibus et collegiatis. Et revera S. R. C. et Romani Pontifices ea nunquam ad apicem urgeri voluerunt ». Sed omni modo tolli curaverunt abusum pluries invalescentem « collocandi *parvam crucem* vix visibilem vel supra tabernaculum (2), vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris (3), loco crucis collocandæ inter candelabra, ut Rubrica præscribit ». Quem modum agendi declaravit S. R. C. « reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis. Quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux inter candelabra, alia tempore sacrificii apte apponatur inferius, sed **visibilis tam celebranti quam populo** » (4).

---

(1) *Ritus celebrandi* c. II, n. 2. — Vocis diversitas intelligitur ex eo quod prior Rubrica desumpta sit ex supracitatis locis Innocentii III et Durandi, qui crucem apponendam esse statuebant, eo tempore quo nondum universim adhibebantur cruces cum imagine crucifixi; contrà quando introducta est Rubrica altera in *ritu celebrandi*, jam communis factus fuerat usus collocandi *crucifixos* super altare.

(2) Non agitur de alta cruce quæ non raro superemineat tabernaculis styli a renovatione dicti.

(3) Idem dicendum videtur de minusculo crucifixo qui statuæ appenditur aut ante pedes magnæ statuæ ita in medio collocatur ut omnium oculos quasi effugiat.

(4) S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621, ad 7. — Jam 16 Jun. 1663 eadem

5. Crux tamen inter candelabra apponi non debet, quando in altari **jam adest « magna statua SS. Crucifixi »** (1) ut videre licet in multis retabulis gothicis quæ exhibent aspectum Christi in Calvario crucifixi. Item quando « crucifixus in majori tabula vel pictus vel cælatus primum locum obtinet præ cæteris omnibus quæ in eadem tabula exprimuntur » (2). Requiritur tamen ut crucifixus non sit accessorium quid in tabula expressum, ideoque crucifixus minor quem sanctus manu tenet aut coram quo genua flectit non est sufficiens. Cruci enim in altari convenit locus prior. Pari modo non sufficit ad hanc exceptionem ut in altari adsit alia quæcumque imago, etiam ipsius Christi Domini, non crucifixi, quia non exprimitur relatio sacrificii Missæ ad sacrificium crucis. Et ideo, in loco ubi apponenda est crux, « effigies Sacratissimi Cordis Jesu non debet collocari in medio altaris majoris loco tabernaculi, nec si adest tabernaculum in quo asservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, in hujus posteriori parte » (3).

6. Quæri potest utrum præfata lex obliget cum Sacrum peragitur in altari ubi divina **Eucharistia exponitur** publicæ fidelium venerationi. Alii censebant crucem esse removendam quia supervacaneum adju-

---

Congregatio declaraverat « hujusmodi crucem non esse sufficientem ». Benedictus XIV nullatenus permittere vult « quod Missæ sacrificium in his altaribus celebretur, quæ careant imagine crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat ». Citata Const. *Accepimus,* § *Equidem.* Tandem mense junio 1900 *Ephemerides liturgicæ* (XIV p. 357-359) solemne ediderunt *Super cruce altaris monitum* quo, « nomine et auctoritate S. R. C. ad hujus observantiam legis enixe adhortantur omnes quorum interest, illorumque conscientiam gravari, si id neglexerint, in eorumdem mentem redigunt ». Præcipuas partes hujus moniti videsis ap. Ill. Van der Stappen, *De celebrat. missæ,* q. 53.

(1) Decr. S. R. C. 16 Julii 1663, n. 1270, ad 2.

(2) Benedicti XIV citata constit. *Accepimus,* § *Secundo loco.*

(3) Decr. 31 Mart. 1887, n. 3673, antiq. 5981, ad 2.

dicant imaginis exhibitionem ubi prototypus adoratur; alii contra ducebant crucifixum esse apponendum quia in SS. Sacramento publice exposito celebratur triumphus Christi, dum in sacrificio missæ repræsentatur passio et mors Salvatoris in cruce (1). Hac de re interrogata S. R. C. 2 Sept. 1741 (2) respondit « relinquens unumquemque in sua praxi » ita ut libere quælibet ecclesia vel diœcesis suam retineat consuetudinem.

7. Si quæratur de loco quo collocanda sit crux, notatu dignum est quod non « tolerari possit usus statuendi, crucem **super throno** *et in eo præcise loco, super quo publicæ adorationi in ostensorio exponitur SS^ma^ Eucharistia* » nec « usus crucem ipsam *superimponendi corporali,* quod expositioni inservit ». Ita servari mandavit S. R. C. die 2 Junii 1883, n. 3576. Non enim decet imagini tribuere honorem eumdem ac ipsi Christo Domino.

8. Tandem quod **benedictionem** spectat, crux quæ, in ipsa altaris consecratione, altari imponitur videtur benedicenda. Alias « cruces altarium seu processionum non sunt benedicendæ de præcepto » (3), sed tantum de convenientia, et « potest simplex sacerdos eas benedicere private et non solemniter » (4) utendo formula benedictionis quæ in Rituali Romano describitur pro *imaginibus Jesu Christi Domini nostri* (5).

C. C.

---

(1) Cf. citatam constit. Benedicti XIV *Accepimus,* § *Quarto loco.*

(2) Decreto 14 Maii 1707 responderat: « nunquam omittendam esse crucis cum imagine crucifici apposita collocationem ». Sed decreto 2 Sept. 1741, n. 2365, ad 1, antiq. 4119, ad 5 reformavit suam sententiam verbis hic citatis.

(3) Dec. S. R. C. *Urbis,* 12 Jul. 1704, n. 2143, ad 1. Cf. *Collat. Brug.,* supra p. 93.

(4) Ibid. ad 2.

(5) Tit. VIII, c. 26. Formula benedictionis *novæ crucis,* tit. VIII, c 24, convenit cruci absque imagine Crucifixi.

Législation Sociale.

Commentaire de la Loi du 24 décembre 1903.

(Suite. — Voir plus haut p. 270).

Art. 5. Le chef d'entreprise est tenu, conformément aux dispositions ci-après, des frais médicaux et pharmaceutiques causés par l'accident et faits pendant les six premiers mois.

Si le chef d'entreprise a institué, à sa charge exclusive, un service médical et pharmaceutique et en a fait mention dans une clause spéciale du règlement d'atelier, la victime n'a pas le choix du médecin et du pharmacien; il en est de même lorsque, à défaut de règlement d'atelier, les parties sont, par une stipulation spéciale du contrat de travail, convenues que le service est institué par le chef d'entreprise.

Dans les autres cas, la victime a le choix du médecin et du pharmacien; mais le chef d'entreprise n'est tenu qu'à concurrence de la somme fixée à forfait par un tarif établi par arrêté royal.

Les indemnités pour frais médicaux et pharmaceutiques pourront être payées à ceux qui en ont pris la charge. Les personnes à qui ces frais sont dus ont une action directe contre les chefs d'entreprise.

Notes. 1. *Les frais médicaux et pharmaceutiques* comprennent ceux des bandages et autres appareils dont la victime a besoin pour recouvrer l'usage de ses membres; mais cette obligation ne dépasse pas les six mois. Ils comprennent le coût de l'hospitalisation, mais dans la limite où ce coût correspond à la charge des soins médicaux et fournitures pharmaceutiques; les frais de logement, de nourriture, de garde, en un

mot l'entretien, demeurent à la charge de la victime, celle-ci recevant, pour son entretien, l'indemnité forfaitaire (1).

2. *Pendant les six premiers mois* c'est-à-dire pendant cent quatre vingts jours. Il est à remarquer qu'il n'y a aucun délai de carence pour les soins médicaux et pharmaceutiques, et cela est d'autant plus rationnel que la loi sur le contrat de travail dont la présente s'inspire, met déjà à la charge du patron les premiers soins à donner en cas d'accident. (Loi du 10 mars 1900, art. 11). Au delà de six mois, il y a lieu de faire intervenir la loi sur l'assistance médicale (2).

3. *Service médical et pharmaceutique,* organisé sous une forme quelconque, soit par voie d'institution spéciale se rattachant à l'établissement, soit en vertu d'un contrat fait avec une société mutualiste ou une société d'assurance (3).

4. *Les personnes à qui ces frais sont dus:* les médecins et pharmaciens eux-mêmes ou bien les personnes qui ont géré l'affaire pour la victime sont autorisées à réclamer les frais directement au chef d'entreprise (4).

Art. 6. Lorsque l'accident a causé la mort de la victime, il est alloué, le cas échéant, les indemnités suivantes:

1° Une somme de 75 francs pour frais funéraires. Le dernier alinéa de l'article 5 est applicable à cette indemnité;

2° Un capital représentant la valeur, calculée en raison de l'âge de la victime au moment du décès, d'une rente viagère égale à 30 p. c. du salaire annuel.

Ce capital est exclusivement attribué aux catégories de personnes ci-après désignées:

A. Au conjoint non divorcé ni séparé de corps, à la condition que le mariage soit antérieur à l'accident; toutefois, le veuf n'a droit à l'indemnité que lorsque la victime était son soutien;

---

(1) *Rapport complémentaire* de M. Van Cleemputte, n. X.

(2) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 38.

(3) Ces deux derniers modes d'organisation conviennent surtout à la petite industrie. Voir Coppyn, *o. c.*, p. 83.

(4) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 39.

B. Aux enfants légitimes, nés ou conçus avant l'accident, et aux enfants naturels reconnus avant l'accident, pour autant que les uns et les autres soient âgés de moins de 16 ans;

C. Aux petits-enfants âgés de moins de 16 ans ainsi qu'aux ascendants, dont la victime était le soutien;

D. Aux frères et sœurs, âgés de moins de 16 ans, dont la victime était le soutien.

Le conjoint n'a droit qu'aux trois cinquièmes du capital en cas de concours avec plusieurs enfants; il a droit aux quatre cinquièmes, en cas de concours, soit avec un seul enfant, soit avec un ou plusieurs ayants droit des autres catégories.

Les enfants ont la priorité sur les ayants droit des catégories *C* et *D;* les ayants droit de la catégorie *C* excluent ceux de la catégorie *D*. Entre ayants droit d'une même catégorie, il y a lieu à partage égal par tête. Toutefois, à défaut de conjoint survivant, les petits-enfants viennent en concours avec les enfants, mais le partage a lieu par souche.

Les parts du conjoint et des ascendants sont converties en rentes viagères.

Les parts des autres ayants droit sont converties en rentes temporaires dont l'extinction aura lieu pour chacun à l'âge de 16 ans. Le juge peut toutefois, à la requête de tout intéressé, parties préalablement entendues ou appelées, ordonner un autre mode de placement du capital; il peut aussi, dans les mêmes conditions, modifier équitablement la répartition du capital entre ayants droit appelés concurremment.

Notes. 1. *Système de la dévolution des indemnités en cas de mort de la victime*. La loi limite le droit à l'indemnité aux personnes dont l'entretien dépend réellement ou est présumé dépendre du salaire de la victime. Elle a repoussé la règle de la dévolution héréditaire; elle détermine les membres de la famille qui sont les *dépendants* du salaire et les conditions auxquelles ils peuvent être appelés à bénéficier des indemnités qu'elle alloue.

Lors donc que l'accident a causé la mort de la victime, que ce soit avant ou que ce soit après l'allocation de l'indemnité prévue en cas d'incapacité de travail, et pour autant que le délai de révision ne soit pas expiré (art. 30), il est accordé 1° une somme de 75 francs, payables à ceux qui en ont pris la charge (1) et, 2° une indemnité destinée à réparer le préjudice causé par le décès à certains proches dont l'entretien dépendait du salaire de la victime.

Il sera donc alloué, en cas de mort, un capital représentant la valeur, calculée en raison de l'âge de la victime au moment du décès, d'une rente viagère égale à 30 % du salaire annuel.

La somme ainsi établie est intégralement due, quelle que soit la qualité et le nombre des ayants droit; il suffit qu'il y ait un ayant droit. Cette somme, au lieu d'être dévolue aux héritiers d'après les règles successorales, est exclusivement attribuée (par rang de priorité) aux catégories de personnes désignées au présent art. (2).

2. *Etrangers*. Il a été formelllement entendu, qu'à tous les points de vue, les étrangers victimes d'accidents du travail en Belgique jouiraient, pour eux, et pour leurs proches, des mêmes avantages que les Belges (3).

3. *Soutien*. (C, D). Ce mot implique la notion du besoin, encore que les « dépendants » n'aient besoin que d'une partie du salaire de la victime (4).

4. *Conjoint*. (A). La veuve aussi bien que le veuf conservent leur droit à l'indemnité en cas de remariage (5).

5. *Ascendants* (C). Par ces mots il faut entendre non seulement les grands-parents, mais les parents, c'est-à-dire le père et la mère (6).

6. *Plusieurs enfants*. Ces mots sont pris dans le sens de *plus d'un enfant* (7).

---

(1) Toutefois, le recours n'existe pas au profit des *administrations de bienfaisance* que le législateur n'entend pas décharger des obligations qu'elles assumaient déjà antérieurement quant aux funérailles des indigents. *Ann. parlem. Chamb. des Représ* 1902-1903, pp. 1335, 1341, 1343.

(2) Voir Wodon, *o. c.*, p. 25 ss.

(3) Voir Coppyn, *o. c.*, p. 101. — Wodon, *o. c.*, p. 29.

(4) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert,

(5) Voir Coppyn, *o. c.*, p. 93 s.

(6) *Ibid.*, p. 94.

(7) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 42.

7. *Le juge* (dernier al.). Le juge ne peut substituer à la rente le paiement d'un capital. La rente reste la règle. La marge laissée au juge a pour but de parer à certaines anomalies auxquelles l'application de l'art. 6 pourrait donner lieu. Le juge a la faculté d'ordonner un autre mode de placement du capital (1). Il pourrait aussi modifier équitablement la répartition du capital entre ayants droit appelés concurremment.

8. *Accroissement.* La part des ayants droit dont la condition change ou qui viennent à mourir avant le règlement de la réparation n'accroît pas aux autres ayants droit. Toutefois, si un des ayants droit était exclu, il y aurait lieu à accroissement (2).

ART. 7. La victime ou ses ayants droit peuvent demander que le tiers au plus de la valeur de la rente viagère leur soit payé en capital.

Le juge statuera au mieux de l'intérêt des demandeurs, après que le chef d'entreprise aura été entendu ou dûment appelé.

En cas d'incapacité permanente partielle, le juge peut aussi, dans les mêmes formes, à la demande de tout intéressé, ordonner que la valeur de la rente soit intégralement payée en capital à la victime, lorsque les arrérages annuels ne s'élèvent pas à 60 francs.

La valeur de la rente viagère sera calculée conformément à un tarif approuvé par arrêté royal et préalablement soumis à l'avis de la commission des accidents du travail.

Notes. 1. *Tiers... payé en capital,* p. ex. en vue de fonder un petit commerce de s'assurer une habitation avantageuse, de donner aux enfants une instruction professionnelle développée ou de leur procurer un emploi lucratif (3).

---

(1) *Ibid.*, p. 43 s. Le juge pourrait transformer la rente temporaire à payer jusque 16 ans en une rente à payer jusque 21 ans; il pourrait aussi transformer la rente temporaire en rente viagère. Il pourrait décider aussi que le capital sera simplement placé à intérêts.

(2) *Ibid.*, p. 43.

(3) *Rapport* de M. Van Cleemputte, n. LXIII.

2. Il y a dans l'art. 7 (1er al.) une expression incorrecte : la victime ou *ses* ayants droit. Il n'y a pas, en effet, dans la loi d'ayants droit *de la victime :* le législateur n'ayant pas admis le principe de la dévolution héréditaire des indemnités. Il faut donc remplacer (1) les termes *ses* ayants droit par *les* ayants droit.

Art. 8. Le salaire servant de base à la fixation des indemnités s'entend de la rémunération effective allouée à l'ouvrier en vertu du contrat, pendant l'année qui a précédé l'accident, dans l'entreprise où celui-ci est arrivé.

Pour les ouvriers occupés depuis moins d'une année dans l'entreprise, le salaire doit s'entendre de la rémunération effective qui leur a été allouée, augmentée de la rémunération moyenne allouée aux ouvriers de la même catégorie pendant la période nécessaire pour compléter l'année.

Lorsque l'entreprise ne comporte qu'une période habituelle de travail inférieure à une année, le calcul de l'indemnité s'opère en tenant compte tant du salaire alloué pour la période d'activité que du gain de l'ouvrier pendant le reste de l'année.

Lorsque le salaire annuel dépasse 2,400 francs, il n'est pris en considération, pour la fixation des indemnités, qu'à concurrence de cette somme.

En ce qui concerne les apprentis, ainsi que les ouvriers âgés de moins de 16 ans, le salaire de base ne sera jamais inférieur au salaire des autres ouvriers les moins rémunérés de la même catégorie professionnelle ; il ne sera, en aucun cas, évalué à moins de 365 francs par an.

Le salaire quotidien moyen s'obtient en divisant par 365 le chiffre du salaire annuel déterminé conformément aux dispositions qui précèdent.

---

(1) Cette observation s'applique à d'autres articles. *Ann. Parlem.*, Sénat. 1903-1904, p. 113.

Notes. 1. Le sens du mot *salaire* est précisé par la loi du 10 mars 1900 sur le contrat de travail, à laquelle la présente loi se réfère dans son art. 1er. La loi du 10 mars 1900 emploie le mot *rémunération* qui comprend dans un sens très large, tout ce qui, d'après le contrat de travail, constitue la rémunération du travail de l'ouvrier: paiement en argent, nourriture, logement, fournitures, allocation gratuite d'un jardin ou d'une terre, prestations diverses, part dans les bénéfices etc. Par analogie, en ce qui concerne les employés, le mot « traitement » doit être entendu dans le même sens large (1).

Dans les cas de chômage accidentel (causé notamment par la maladie, les blessures, l'appel sous les drapeaux, l'incendie, les sinistres, la grève imposée par la violence, l'émeute et les cas de force majeure) le salaire afférent à l'époque de chômage est porté au compte; dans le cas de chômage volontaire, le salaire n'est pas porté en compte (2).

2. (Al. 3) *gain.* On doit comprendre dans la supputation du *gain,* non seulement les salaires divers que, par des travaux divers, par l'exercice de professions diverses, l'ouvrier a mérités, mais ce qu'il a *gagné,* en travaillant pour lui-même, p. ex. en cultivant son champ. Il appartient à l'ouvrier de faire la preuve du gain. En principe, d'ailleurs, la preuve du salaire lui incombe comme celle du contrat de travail (3).

3. *En divisant par 365.* Il faut diviser par le nombre de jours de l'année et non par le nombre de jours de travail: ce diviseur s'explique par la raison que l'indemnité temporaire est payable pour tous les jours, y compris les jours fériés (4).

Art. 9. Le gouvernement peut, pour des industries déterminées, et après avoir pris l'avis des sections compétentes des conseils de l'industrie et du travail, décider que le salaire de base sera fixé d'après la

---

(1) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 45. — H. Mavaut, *La loi sur le Contrat de travail,* Bruxelles, 1900, p. 25.

(2) *Rapport* de M. Van Cleemputte, nº LXIX.

(3) *Ibid.*, nº LXX.

(4) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 47.

moyenne annuelle des salaires alloués antérieurement à l'accident, pendant une période de dix ans au plus.

Note. Cette disposition a été admise en vue des industries sujettes à de fréquentes fluctuations de salaires; c'est notamment le cas de l'industrie charbonnière (1).

Art. 10. Les allocations déterminées aux articles qui précèdent sont à la charge exclusive du chef d'entreprise.

Toutefois, le chef d'entreprise est, sans préjudice de ce qui est dit à l'article 11, exonéré de cette charge s'il a contracté, pour le payement des dites allocations, soit avec une société d'assurance agréée conformément aux dispositions du chapitre II de la présente loi, soit avec la caisse d'assurance organisée en vertu de l'article 35. En pareil cas, l'assureur est de plein droit subrogé aux obligations du chef d'entreprise.

A défaut d'avoir contracté comme il est dit ci-dessus, et sans préjudice des autres obligations résultant de la présente loi, les chefs des entreprises privées sont tenus de contribuer au fonds spécial institué par l'article 20; ils peuvent néanmoins en être dispensés par arrêté ministériel, sur l'avis de la commission des accidents du travail, s'ils ont garanti le payement éventuel des allocations dans les conditions et de la manière qui seront prescrites par arrêté royal.

Notes. 1. Voir pl. ht p. 207 ss. *les garanties de la réparation* (2).

2. *A la charge exclusive du chef d'entreprise,* qui ne peut donc, de ce chef, opérer ni stipuler aucune retenue (voir loi du 16 août 1887, et art. 23 de la loi présente).

3. *Exonéré.* L'art 10 exonère complètement (sauf ce qui est dit à l'art. 27) les patrons qui ont traité avec un assureur

---

(1) *Rapport* de M. Van Cleemputte, n° LXXII.

(2) Il y a lieu de mettre le présent art. en rapport avec les autres art. (11, 14, 15, 16, 17 et 20) qui garantissent le paiement effectif de l'indemnité.

agréé par le Gouvernement (c'est-à-dire avec la Caisse d'assurance organisée en vertu de l'art. 35, ou bien avec une Caisse commune patronale agréée ou encore avec une Compagnie d'assurance à prix fixes agréée). L'exonération résulte *légalement* du fait de cette assurance : l'assureur est de plein droit subrogé aux obligations du patron en ce qui concerne les indemnités légales. Le chef d'entreprise exonéré n'a pas à contribuer au fonds de garantie (1).

Il convient de remarquer dès à présent que l'on ne peut confondre les établissements *agréés pour l'assurance* avec ceux qui seront *agréés pour le service des rentes* (art. 14). La loi toutefois ne s'oppose pas à ce qu'un établissement agréé pour l'assurance le soit en même temps pour le service des rentes et réciproquement.

Doivent être considérés comme chefs d'entreprise *non exonérés* non seulement ceux qui sont restés leurs propres assureurs, mais encore ceux ont cru devoir recourir aux services d'un assureur non agréé : à tous ceux-là s'applique le 3e al. du présent art. 10 (voir art. 20).

Art. 11. Les chefs d'entreprise ou leurs assureurs peuvent convenir avec les sociétés mutualistes reconnues par le gouvernement que celles-ci assumeront, pendant six mois au plus à partir de l'accident, le service des indemnités qui seraient dues à leurs membres en cas d'incapacité de travail, à la condition toutefois qu'il soit justifié :

1° Que les débiteurs de ces indemnités ont pris à leur charge une quote-part de la cotisation de mutualité. Cette quote-part, déterminée de commun accord, ne pourra être inférieure au tiers ;

2° Que les sociétés intéressées accordent à leurs membres les mêmes secours en cas de maladie qu'en cas de blessure.

Si le secours journalier accordé par la société est inférieur à l'indemnité due en vertu de la présente loi, le chef d'entreprise est tenu de verser la différence.

---

(1) *Rapport* de M. Van Cleemputte, nos LXXIV ss. — Wodon, *o. c.*, p. 42.

Un arrêté royal règlera les conditions auxquelles les sociétés mutualistes pourront assumer le service des secours tenant lieu de l'indemnité temporaire.

Notes. 1. Cette disposition spéciale a été introduite dans la loi en faveur des sociétés mutualistes ouvrières *reconnues*, qui, grâce à leur caractère essentiellement local, et à l'esprit de fraternité qui les anime, procurent des conditions exceptionnelles de bon marché, exercent un contrôle excellent et distribuent les secours avec une grande célérité. La loi du 23 juin 1894 sur les sociétés mutualistes reconnues (1) ne permettant pas à ces associations les opérations visées par la loi, il fallait qu'un texte légal leur accordât formellement cette autorisation. Quant aux sociétés mutualistes non reconnues, elles sont aptes à faire les mêmes opérations et la loi actuelle n'y voit aucun inconvénient, *car, en toute hypothèse, le patron ou l'assureur agréé restent personnellement tenus, et il n'y a aucune exonération à leur profit* (2).

2. *Indemnités... dues :* ces mots comprennent les frais médicaux et pharmaceutiques aussi bien que les autres indemnités (3).

3. Le n° 2° vise les sociétés mutualistes qui s'occupent à la fois des maladies et des accidents ; dans ce cas seulement la condition est exigée. Rien ne s'oppose à ce qu'une société mutualiste, constituée d'après la loi de 1894 et la loi actuelle, n'accorde de secours à ses membres qu'en cas d'accidents (4).

ART. 12. Les indemnités temporaires sont payables aux mêmes époques que les salaires ; les allocations annuelles et les arrérages des rentes sont payables trimestriellement par quart ; les frais funéraires sont payables dans le mois du décès.

Notes. 1. *Aux mêmes époques.* Les indemnités temporaires ne doivent donc jamais être payées par anticipation.

2. *Trimestriellement.* En cas de décès d'un titulaire avant

---

(1) Voir Vermeersch, *Manuel Social*, Louvain 1904, p. 939 ss.

(2) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 53. — Coppyn, *o. c.*, p 131 s.

(3) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 52.

(4) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 53.

l'échéance trimestrielle, la rente sera payée *au prorata* du temps écoulé, aux ayants droit du titulaire décédé (1).

ART. 13. Les indemnités dues en vertu de la présente loi aux victimes d'accidents ou à leurs ayants droit ne sont cessibles ni saisissables que pour cause d'obligation alimentaire légale.

Note. Pour cause d'obligation alimentaire légale : le présent art. vise la dette alimentaire envers les proches déterminés dans les art. 203, 205 et 214 du code civil. La saisissabilité suppose une dette *échue,* donc exigible. Il en est de même de la cession (2).

A. C.

(A suivre).

---

(1) *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 54.
(2) *Rapport* de M. Van Cleemputte, n° LXXVIII.

E Sacra Congregatione

EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

Receptiones, tyrocinia et professiones Sodalium Tertii Ord. sæc. S. Fr. variis ex vitiis invalidæ in radice sanantur et convalidantur.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, annuente supremo ipsius Ordinis Moderatore, ad Sanctitatis Tuæ pedes humillime se provolvit, sequentia exponens:

Experientia compertum Oratori est, plures ex vestitionibus et professionibus Fratrum ac Sororum Tertii Ordinis pœnitentium Sancti Francisci irritas esse, sive ex legitimarum defectu facultatum in Sacerdotibus Congregationum directoribus, sive ex vitiis essentialibus in receptione Tertiariorum ad habitum et professionem, sive ex materia deficienti in scapularibus admissa.

Itaque, cum perdifficile sit tot probationes Tertiariorum professionesque innovari, humillimus idem Orator enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut omnia in hanc usque diem vitia, quæ sic admissionem ad habitum ac tyrocinium professionemque Sodalium Tertii Ordinis sæcularis substantialiter inficiunt, suprema Auctoritate tollere digneris, atque omnes hujusmodi receptiones ac tyrocinia professionesque Tertiariorum sanes in radice ac ratihabeas, ne alioquin Christifideles Tertio Ordini Seraphico nomen dantes, spiritualibus bonis hinc resultantibus immerito priventur.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, attentis expositis, receptiones omnes, tyrocinia ac professiones Sodalium Tertii Ordinis sæcularis in radice

sanat atque convalidat in omnibus juxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ, 3 Februarii 1904.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secret.*

Consultatio

Q. In nostro collegio, præter oratorium alumnis destinatum, erectum fuit sacellum in gratiam parvæ communitatis sororum, rei domesticæ inservientium: quæritur utrum in hoc sacello personæ extraneæ possint satisfacere præcepto audiendi Missam.

R. Ad hanc quæstionem solvendam determinari debet natura dicti sacelli, utrum np. inter oratoria mere privata, an verò inter publica vel saltem semipublica recenseri debeat. Notum enim est posse hodie fideles satisfacere præcepto per quamlibet Missam et ubilibet, exceptis solis oratoriis domesticis seu stricte privatis, in quibus solæ personæ in indulto memoratæ satisfacere possunt (1).

Triplex species oratoriorum, præcipue tamen semipublicum, cujus notio erat satis ambigua, describitur in decreto S. Rit. Congr. 23 Januarii 1899, *super oratoriis semipublicis* (2), cujus verba referre satis erit. Oratoria *publica* vocantur illa « quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum »; *privata* verò seu domestica, quæ per specialem illam benedictionem aut consecrationem ab auctoritate ecclesiastica in perpetuum publico cultui

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Juris canonici et juris can.-civ. compendium*, n. 728 et 741.

(2) Vide *Collat. Brug.*, T. IV, p. 181.

divino non sunt dedicata (1), sed « in privatis ædibus in commodum alicujus personæ vel familiæ ex indulto Sanctæ Sedis erecta sunt » et publicum liberumque accessum pro populo non habent (2).

« Quæ medium inter hæc duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, oratoria *semipublica* sunt et vocantur (3). Ut autem quælibet ambiguitas circa hæc oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen, non fidelium omnium nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt ». Accedunt igitur ad privata et a publicis recedunt, ratione *situs,* quatenus sint erecta *in loco quodammodo privato* vel saltem *non absolute publico,* ita ut publicum liberumque accessum pro populo non habeant; recedunt autem a privatis et accedunt ad publica, quatenus commodo inserviant, non *privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus.* Uno verbo dicuntur *semipublica* ratione *personarum publicarum* vel *domorum publicarum,* pro quibus erecta sunt (4). Quod luculenter patet ex enumeratione quæ sequitur in cit. decreto 23 Januarii 1899: « Hujus generis oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque

---

(1) Cf. Decr. S. Rit. C., 5 Junii 1899, apud *Collat. Brug.*, T. VI, p. 55.

(2) Cf. Wernz, *Jus Decretalium,* T. III, (Romæ 1901), n. 450; De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 739 sqq.

(3) Unde otiosa prorsus dici debet quæstio adhuc agitata apud De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, 6ª ed., in fine n. 724.

(4) Cf. Wernz, *l. cit.* — Nota ex decreto S. Rit. C., 5 Junii 1899, (*Collat. Brug.*, T. VI, p. 55), constare de quibusdam oratoriis semipublicis ea posse aliquando consecrari aut solemniter benedici (ad V), oratoria verò privata non posse (ad VI). Unde consecratio vel solemnis benedictio probat oratorium non esse privatum, non tamen signum infallibile est publicitatis perfectæ.

Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces (1) et Carceres; atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam (2). Quibus adjungi debent Capellæ, in cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat.... » Addi debent oratoria Episcoporum eorumque superiorum (3), quorum jura ac privilegia sarta et tecta se velle declarat Sanctitas Sua in fine decreti.

Oratorium igitur, de quo quæritur, quum pertineat ad Communitatem sub regula ab Ordinario approbata, *reponi debet inter semipublica,* sicut et capella inserviens commodo alumnorum (4). Unde in utroque sacello extranei quivis satisfaciunt præcepto audiendi Missam, quod expresse de semipublicis in præsenti decreto declaratur: « In his omnes qui sacrosancto Missæ Sacrificio intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent ».

Addi potest in utroque, secus ac in oratoriis domesticis, posse plures Missas quotidie celebrari et sacerdotes extraneos ad celebrandum in iis admitti. Cf. Decr. in una *Nivernen.* 8 Martii 1879, denuo confirmatum cit. decr. 23 Januarii 1899 (5).

H. M.

---

(1) *Arces* proinde jam non debent accenseri privatis domibus, ut docebant plures ante laudatum decretum. Cf. v. g. De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 739, ante septimam editionem.

(2) De his oratoriis vide decr. S. C. Rit, 18 Octobris 1901, apud *Revue théol. franç.*, T. VII, p. 201 ss.

(3) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 732 sqq.

(4) Posset tamen hæc capella esse oratorium vere publicum, juxta dicta supra. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 725.

(5) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 735 sq.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 228).

CAPUT II.

De generis humani ex primis parentibus post lapsum propagatione, de diluvio et de dispersione filiorum Noë (Gen., IV-XI).

396. Jam pro scopo nostro rursum demonstrandum est quomodo in hac secunda periodo omnis actio divinæ providentiæ tendit in Christum Redemptorem. Censetur autem lector ante oculos habere textum libri Geneseos, cujus tamen textus ut propria indoles ac valor atque rectus sensus facilius ac plenius perspiciatur, quædam sunt prænotanda, quæ suo modo aptantur et prioribus capitibus, quæ jam præcesserunt, et toti universim libro, præprimis vero applicantur undecim prioribus capitibus libri Genesis, de quibus, cum usque huc profanæ historiæ monumenta certa desunt, peculiaris difficultas est.

NOTATIONES PRÆVIÆ.

I. *Confertur cum textu Geneseos, quod ex scientiis profanis eruitur circa antiquitatem et statum primævum hominis.*

397. Apud modernos eruditos sermo fit frequens de temporibus, ut aiunt, præhistoricis; soletque ab origine cujusque populi antiqui nebulis mythorum ac legendarum obvoluta, universim absque distinctione concludi nihil historice verum de origine generis humani depre-

hendi posse. Hominem quoque, cujus summam antiquitatem asserere solent, primitus barbarum atque incultum, quasi more pecudum vixisse et paulatim ad humanitatem seu civilisationem, ut dicitur, devenisse et continuo tum in re religiosa ac morali, tum in re sociali ac politica, necnon in artibus et scientiis, sese evolvere ac progredi, tamquam generale axioma, quod nullam dubitationem admittat, statuitur.

Hæc autem omnia sic universaliter et sine ulla distinctione prolata, neque facto et ratione, neque fide probantur et multiplici perniciosorum errorum periculo plena sunt.

Et primo quidem, distinguere omnino oportet inter primordia alicujus populi, et ipsam originem rerum generisque humani. Quod enim gentem quamque antiquitatis attinet, ut Ægyptios, Chaldæos, Assyrios, alios, inficiandum non est hujusmodi gentium primordia densis fabularum et legendarum tenebris esse obsita, ita ut merito respectu horum populorum tempora præhistorica statuantur præcessisse veram historiam, quæ nempe certis monumentis possit stabiliri. Eos quoque populos evolutione quadam a barbarie paulatim ad humanitatem esse progressos negandum non est. Quinimo de gentibus recentioris multo ætatis, ut Celtis, Germanis, Francis, utrumque verum esse constat.

398. Atvero, de ipsa rerum generisque humani prima origine loquendo, quæ præhistoriæ relativæ, id est, cujusque gentis etiam antiquissimæ initia complectitur aut etiam antecedit, aliquid omnino peculiare summopere attendendum est. Videlicet, etiam abstrahendo a doctrina fidei et inspiratione divina Scripturæ, ea quæ hoc uno antiquitatis documento, quod est liber Genesis, continentur de creatione mundi ortuque hominis, de protoparentum lapsu ac promissione Redemptoris, de quibus superiori capite, necnon de his quæ hoc capite secundo considerabimus, hæc, inquam, omnia cum fabulosa cujusvis gentis præhistoria nonnisi summa

injuria æquiparari posse. Si enim doctrinam inspicias, tum theoreticam seu dogmaticam, tum practicam seu moralem, in Genesi admiraberis summam doctrinæ cum ratione convenientiam omnimodamque puritatem, dum in fabulis gentium nonnisi absurda figmenta eaque spurcitiis plena conspexeris.

Propterea et præhistoriam in Genesi narratam, (quam absolutam dixeris, id est, respicientem totum genus humanum, non relativam ad certam quamque gentem), quidquid sit de forma narrandi et exponendi modo, veram denique tandem historiam originum complecti merito affirmamus, seu Auctorem Geneseos asserere quæ historice vera sunt, scilicet, Deum unum ac verum omnia creasse, hominem ex corpore et anima condidisse, virum et fœminam, eosque dominos hujus visibilis creaturæ constituisse, eosdem ad ordinem divinum extulisse, ex quo suo peccato delapsi sunt cum posteris suis, eisque promisisse Redemptorem, cujus exspectatione et fide salvi fierent, quique tempore præfinito adventurus erat, omnia restituturus in integrum, ex uno omne genus humanum esse propagatum, postea homines propter morum corruptionem diluvio punitos fuisse, servatis aliquibus, ex quibus demum in universam terram dispersi sunt homines.

Præterea et nexus hujus præhistoriæ absolutæ cum insequente historia sedulo considerandus est, cum ex hac illius veritas haud obscure patescat. Videlicet, populus a Deo electus in Abraham patre, ex posteris Sem, filii Noë, constanter per insequentia sæcula Redemptorem reapse fideliter exspectavit; tota historia hujus populi erat quasi præsignificatio Redemptoris temporumque futurorum redemptionis, eaque per decursum sæculorum clarior, magis expressa, perfectior; prophetæ ejusdem populi prænuntiant et continuo propius delineant figuram Salvatoris; tandem apparet Salvator qui revera in se omnia præfigurata et prædicta ad amussim adimplet, quique est Jesus Christus, cujus

historia in libris novi testamenti plane historicis, quod nemo negabit, accurate describitur. Quæ cum ita sint, quis non videt totam retro historiam populi Israëlitici, veritatemque librorum totius antiqui testamenti singulari modo confirmari; ita ut, etiam abstrahendo a fide et ab inspiratione Scripturæ, documenta sacra Judæorum omnino debeant extra et supra ambitum reponi fabulosæ antiquitatis, nec possint sine summa injuria cum gentium mythis et legendis confundi.

399. Jam ad illud accedamus, quod de primæva hominis conditione moderni affirmant. Si certarum gentium initia nobis homines barbaræ et quasi belluinæ conditionis fuisse demonstrent, qui paulatim ad cultum humanitatemque devenerint, merito quæritur utrum hæc initialis conditio fuerit ipsius hominis, anvero isti diversarum gentium primævi homines potius delapsi ex primitiva conditione in hanc barbariem deciderint, ex qua, faventibus adjunctis, rursum ad meliora surrexerint. Acatholici primum gratuito asserunt, quasi nullus sit vel dubitandi locus, et, posthabitis sanæ logicæ atque rationis regulis, quod se saltem ignorare fateri deberent, in unam partem tamquam certum nullaque demonstratione indiguum decernunt. Atqui, reapse vehementer errant, cum alterum veritatem habeat, quod fide docemur, ratione et historia nullatenus contradicente. Etenim, quid impedit homines primitus, ut describit liber Genesis, Deum unum ac verum, Creatorem suum novisse ac adorasse, sub respectu religioso atque morali perfectos, et ex abundantia frugum terræ, sine ulla indigentia earum rerum, quibus homines e statu primævo beatitudinis delapsi indigent ad humanitatem, summa in simplicitate vixisse beatos? Neque enim, in illa conditione qualem describit Auctor Genesis, indigebant homines vestimentis, neque utensilibus aut labore ullo ad cibum sibi comparandum, aut armis in defensionem adversus hostes quosvis, neque ergo cultu et humanitate, quales nunc apud excultas gentes

videmus. Et hæc quidem summa erat vitæ simplicitas, quam barbariem vocare nefas est. E contrario, homines jam ex hac primæva conditione infeliciter delapsi, eo ipso ad hanc necessitatem redacti sunt ut, a minus perfecto ad perfectius paulatim lenteque ascendentes, sibi procurarent utensilia, instrumenta, arma, quibus ad cibum ac vestitum comparandum atque in defensionem uterentur. Hac autem tristi necessitate atque urgenti absorpti, nihil mirum si ad artes et scientias sese non converterint, imo, si antiquâ paulatim traditione deleta, in re religiosa ac morali potius retrogressi sint, etiam tum quum in re materiali, in cultu quodam politico et sociali progrederentur. Porro, ex adjunctis faustis vel infaustis factum est ut, variis eventibus bellorum, multiplicationis familiarum, naturæ virium impetus, aut et immediato Dei interventu, in varias regiones dispersi, vel citius, in re saltem materiali et sociali, profecerint, vel in omnimodam potius barbariem deciderint. Neque enim exempla desunt tribuum et gentium, quæ in ingratum solum rejectæ, etiam paucis abhinc sæculis, a reliquo genere humano sejunctæ ad barbariem regressæ sunt (1).

400. Uno verbo, genus humanum primitus barbarum fuisse nullo modo ratione aut facto et historia constat, et nonnisi despiciendo logices regulas id deduceretur ex eo, quod primordia variorum populorum antiquitatis barbara fuisse inveniantur, et minus adhuc logice id inferretur ex eo, quod instrumentis imperfectissimis usus deprehenderetur primævus homo. Scilicet, potuit homo, in primæva innocentiæ conditione, summa in re materiali tenuitate, absque cultura, quali nunc indigemus, vivere beatus et in re religiosa ac morali plane instructus, minime barbarus; atque de facto ita fuisse narrat liber Genesis. Quodsi, apud populos antiquitatis,

---

(1) Plura exempla reperies apud J. Guibert, S. S., *Les Origines, questions d'Apologétique*, Chap. VII, § VI.

imo et recentiorum ætatum, homines deprehendamus barbaros, eos non ut primævæ conditionis homines, aut tamquam nondum progressos, sed ut delapsos et retrogressos habere possumus, imo, testante libro Geneseos, debemus, quod et exempla plura, ut supra, confirmant.

Quod autem instrumenta antiquissimorum hominum inveniamus valde imperfecta, intellectu tamen humano usibus humanis aptata, quo quidem signo discernuntur, quid mirum? Hominem lapsum, qui prius nulla hujusmodi re indigebat, necessitate compulsum, usum fuisse instrumentis qualibuscumque ipsi primum occurrentibus, et paulatim meliora invenisse, necnon tractu temporis artes et scientias coluisse, conditione sociali ac politica jam magis perfecta, quid, inquam, mirum, cum etiam homines sub respectu intellectuali et morali minime barbari ejusmodi instrumentis uti potuerint, quibus alia non suppetebant, atque revera usi sint; puta homines naufragio in desertam insulam rejectos, urgenti necessitate compulsos, qui sibi nonnisi hujusmodi instrumentis providere possent.

Cæterum, apud Ægyptios, testibus hujus rei peritissimis (1), longe post inventa instrumenta cuprea, ænea, ferrea, perseveravit usus instrumentorum ex silice, imo ad medium ævum usque, nec nostris diebus plane cessavit. Ex quo simul vides ea instrumenta ex silice confecta universim et quasi a priori haberi non posse ut præhistorica.

401. Neque hoc prætereundum est, nimis fidenter a multis exclamari: Quam longa sæculorum series effluere debuit, ut ad tantam artem progrederentur antiqui populi, quantam apud Ægyptios, v. g., Chaldæos, Assyrios deprehendimus!

Etenim, licet generatim loquendo soleant populi in

---

(1) V. Maspero, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique*, I *Les Origines, Egypte et Chaldée*, pag. 49-50, 59.

artibus et scientiis paulatim progredi, a multis tamen circumstantiis et eventibus improvisis, solo Deo providente, pendet ut vel lenta sit evolutio, vel paucis annis ingens fiat progressus, aut, contra, ab antiqua arte nonnumquam decidatur. Sic quam brevi tempore ab arte excultissima Græcorum et Romanorum defecerunt. Ex adverso, nostris temporibus spatio unius tantummodo sæculi, et subito quasi, quin viam paraverint præcedentium sæculorum docti, qui scientiis philosophicis ac theologicis potius quam naturalibus et experimentalibus delectabantur, quanta vidimus mirabilia effecta, inventis secretis naturæ legibus, harumque multiplici et mira ad usus humanos applicatione! Quanta quoque universarum artium perfectio paucis tantum sæculis post majorum nostrorum barbariem!

Cæterum, nemo nescit initia antiquorum populorum parvo relative numero monumentis jam detectis illustrari, et infinita quasi secreta manere, ita ut obscuritate magna illa prisca tempora obvoluta jaceant. Et, quoniam chronologiam hic attigimus, hoc juvat addere, apud antiquissimos Ægypti et Chaldeæ populos, nihil quasi historice certum reperiri, ut fatentur antiquarum rerum periti (1), ante triginta fere et octo sæcula ante Christum. Certe de iis, de quibus in hoc capite agendum habemus, nempe de temporibus ante diluvium et dispersionem filiorum Noë, nihil in antiquis monumentis profanis, nihil saltem certi aut imo nihil verosimile invenitur, nihil profecto quod narratis in libro Genesis refragetur.

402. Scimus quidem, præter antiquitatis monumenta ac documenta, et alias scientias præprimis geologicam esse adhibendas, ut de chronologia et primitiva historia generis humani atque origine rerum rectum judicium ferri possit, sed de hisce rebus, ubi rursum multa nimis vaga, incerta, planeque obscura manent, nimis

(1) V. Maspero, *op. cit.*, I, p. 225, 233 ss., 242, 437, 440 ss., 590-600.

longum esset disserere, minusque opportunum, eo vel magis quod tantæ operæ exitus satis exilis responderet. Ideo prætulimus conclusiones solummodo exprimere dissertationis Guibert (1), qui scientiis humanis nihil prorsus detrahit : « 1° Nous apprenons des exégètes les plus autorisés que la Bible ne nous impose aucune chronologie (2). La liberté qui en résulte nous paraît très importante : car d'un côté, le désir de trouver la Bible en défaut n'avait pas été sans influence sur l'esprit de ceux qui donnaient à l'homme une antiquité fabuleuse ; et d'un autre côté, la préoccupation de sauvegarder une interprétation ancienne portait sans doute les catholiques (certains catholiques) a recevoir, malgré certaines données scientifiques, des chiffres trop faibles (3).

2° Les monuments récemment découverts dans l'Egypte et dans la Chaldée nous montrent qu'une civilisation déjà avancée régnait dans ces contrées 4000 ou 5000 ans (4) avant l'ère chrétienne. Sans nous renseigner sur les commencements de l'humanité, ils nous invitent à reporter bien plus haut les origines humaines (5).

3° Les premières traces humaines remontent au début de l'ère quaternaire. Les prétendus vestiges de l'homme tertiaire sont dépourvus de probabilité.

4° Depuis l'apparition de l'homme, le temps écoulé se divise en deux parts : l'époque actuelle que le senti-

---

(1) Quam legere potes cit. op. *Les Origines*, 2e édit., p. 257-301.

(2) Dicerem : non rite definitam, quæ adeo sat magnam latitudinem relinquit, potius quam nullam.

(3) Quæ generatim scientia affert, satis vaga et fluxa, sæpe contradictoria sunt. Quod tamen merito attenditur, hoc est : ne spatia temporum ita coarctentur ut diversitas stirpium (races) humanarum explicari nequeat, quas ad unam eamdemque speciem humanam pertinere omnino retinendum est.

(4) Vide quam latum et vagum, quasi nihil fere sint 1000 anni : confer tamen v. g. sæculum nostrum vicesimum cum decimo, sub respectu scientiæ naturæ ejusque applicationum, imo et civilitatis universim.

(5) Heic attende supra notata n. 400 et 401.

ment commun, d'ailleurs bien fondé, n'étend pas au delà de 7000 à 9000 ans (1); l'époque quaternaire, dont il nous est impossible, présentement du moins, d'apprécier la durée. La critique que nous avons faite de certains calculs montre qu'il faut bien se garder de recevoir des résultats non contrôlés (2).

5° Etant donné que la véracité de la Bible n'est pas engagée dans la question, nous n'avons aucune raison de nous défier *a priori* des chiffres qu'une science sérieuse pourrait nous proposer sur l'antiquité de l'homme. Dans l'état présent de la science, nous n'avons pas le droit d'affirmer qu'un nombre très approché pourra jamais nous être proposé ».

II. *Notatio brevis de critica biblica.*

403. Critica generice accepta est, ut nomen indicat, ars discernendi, nempe inter ea quæ conformia sunt regulis mensurisve suis propriis et ea quæ ab iisdem sunt difformia. Varias autem circa materias versatur, varias speciatim circa artes atque scientias. Ita in materia artium ars critica discernit v. g. inter pulchrum et informe; in materia scientiarum inter verum et falsum, certum et incertum.

Unde formaliter considerata critica ad logicam pertinet, materialiter vero ad eam scientiam circa quam versatur; ita ut criticus omnino egeat et optimus logicus esse, et scientiam circa quam exercet suam crisim omnino perspectam habere.

Est igitur critica biblica ars discernendi verum a falso, certum ab incerto in scientia biblica, ut nempe rite determinetur authentia, tempus scriptionis, scriptoris scientia ac veracitas, scripti indoles propria, genus scriptionis seu forma literaria, etc. ac porro recta et legitima exegesis seu scripti interpretatio.

---

(1) Cf. nota (2) modo supra.

(2) Quis autem et qua via poterit hujusmodi computus ad seriam trutinam revocare?

Critica biblica proin et logices regulas constanter ob oculos habeat oportet, et campus latissimus est eruditionis philologicæ et historicæ: complectitur enim investigationem fontium, notitiam linguarum, explorationem textuum, methodi compositionis, formæ literariæ, factorum ac monumentorum antiquitatis, etc.

404. Hæc critica, quidquid calumnientur nonnulli cum plerisque Ecclesiæ hostibus, numquam Ecclesiæ defuit, ut vel ipsa jam Patrum, inter quos Doctor Maximus Hieronymus merito præ cæteris nominatur, opera pro tempore insignia testantur. At plurimi fontes novi hisce nostris temporibus detecti sunt, priscis ignoti; et magna eruditionis copia criticæ incubuisse rationalistas haud diffitemur, quamquam nullum dubium cuiquam rite inspicienti esse potest eorum meritum longe magis notitia linguarum, investigatione antiquitatis aliisque hujusmodi ad materiam critices pertinentibus, quam recta critica formali contineri. Itaque, quæ in ipsis reprehendenda inveniuntur, cum et a nobis summopere fugienda sint, cumque ab iis lectori quoque sedulo sit cavendum, opportune indicabimus.

Et primo quidem, dum præconceptas opiniones et systemata *a priori*, ut dicitur, condemnant verbis et sese ab iis alienos libenter protestantur, facto hujusmodi theorias *a priori* adhibent tamquam principia inconcussa, quibus seriem suarum conclusionum stabiliant, leges logicæ turpiter violantes; imo quandoque non latenter similia principia gratuita et falsa adhibent, sed aperte proponunt.

Exemplo sit principium sic dictum evolutionis continuæ et progressus indefiniti, quem quidem evolutionismum mundo physico a modernis sine limite ac discrimine tam gratuito et falso applicatum, rationalistæ non pauci ad mundum moralem, ad religionem et historiam adhibent, ita ut, in re nostra, tota historia biblica seu historia religiosa populi Israëlitici, sicut

universim historia religionum, qualem ipsi confingunt, ab infimo gradu, per polytheismum transiens, decurrat ad monotheismum tandem purum, seu potius a priori decurrere debeat. Quo statuto, gratuito quidem absque ulla demonstratione et plane falso, omnia per fas et nefas pro libitu componunt et adaptant, ut tamquam conclusiones hujusmodi principii appareant: scilicet, reperiunt pro opportunitate, ubi id res postulat, reliquias et vestigia antiquarum legendarum atque traditionum, plus minus depravata, libris recentioris ætatis fuisse inserta; in diversas epochas, intervallis rite electis, referunt ac distribuunt documenta quibus componitur vel componi fingitur Pentateuchus; recentiori ætati attribuunt scripta, quæ theoriæ suæ contradicunt, etc.

405. Alterum exemplum sit in eo, quod quidquid supernaturale est *a priori* rejiciunt. Quod quidem si ipsis objiciatur, stolide respondent non esse hac de re disputandum, cum impossibile esse supernaturale quidvis constet. Qua de re præclare monet Pius Papa X, in encyc. *Jucunda sane:* « Enimvero gratuita supernaturalis principii negatio, quæ propria est *falsi nominis scientiæ* (1), fit postulatum critices historicæ pariter falsæ. Quæ ordinem rerum supra naturam ratione quavis attingunt, sive quod illum constituant, sive quod cum illo conjuncta, sive quod ipsum præsumant, sive denique quod nisi per ipsum explicari multa non queant, ea omnia, nulla investigatione instituta historiæ paginis eraduntur. Ejusmodi sunt Jesu Christi divinitas, mortalis ab eodem assumpta caro Sancti Spiritus operâ, sua Ipse virtute a mortuis excitatus, omnia denique fidei nostræ cetera capita. Qua falsa semel inita via, nulla jam lege critica scientia cohibetur, suoque marte quidquid non arridet aut rei suæ demonstrandæ adversari putatur, id omne sacris libris adimitur. Sublato enim supernaturali ordine, longe alio fundamento ex-

(1) *1 Tim.* VI, 20.

strui necesse est historiam de Ecclesiæ originibus, ideoque suo lubitu novarum rerum molitores monumenta versant, ea non ad sensum auctorum, sed ad suam ipsorum voluntatem trahentes.

Magno istorum doctrinæ apparatu et argumentorum speciosa vi multi sic decipiuntur, ut, vel a fide desciscant, vel in ea valde infirmentur. Sunt etiam qui, sua in fide constantes, critices disciplinæ, quasi demolienti, succensent, quæ quidem ipsa per se culpa vacat, legitimeque adhibita conducit ad investigandum felicissime. Neutri tamen animum advertunt ad ea quæ perperam ponunt ac præsumunt, hoc est ad falsi nominis scientiam, a qua profecti, necessario ad falsa concludenda ducuntur. Falso nempe philosophiæ principio corrumpi omnia necesse est. Hi autem errores satis refelli poterunt nunquam, nisi acie mutata, hoc est, deductis errantibus a suæ critices præsidiis, ubi se munitos existimant, ad legitimum philosophiæ campum, quo relicto, errores hauserunt. »

Quod autem Pontifex de libris novi testamenti eloquitur, æquo jure de scriptis testamenti veteris valere nemo non videt.

406. Præterea, quæcumque sibi in suis elucubrandis assertis impedimento esse possunt, rationalistæ omittunt, despiciunt. Sic v. g. traditio quæ, debitis stipata conditionibus, profecto majoris ponderis argumentum in rebus facti et historicis constituit, quam interna scriptis indicia, quæ plerumque ad conjecturas plus minus probabiles reducuntur, traditio, inquam, flocci habetur aut minoris momenti. Quod nos periculi sane gravis admonere debet, quidam e nostris neoterici, indigesta mole rationalisticæ doctrinæ gravati, eo devenerunt ut non dubitarint asserere inter dogma traditionemque et historiam repugnantiam existere, hocque principium applicaverint in suis de re biblica scriptis, exegesim scilicet traditionalem continua in contradictione versari cum regulis interpretationis pure rationalis et historicæ.

407. Tandem, nemini scripta rationalistarum percurrenti non apparet illico, certa ab incertis non satis discerni, et conjecturas ac hypotheses facile pro veritatibus inconcussis traduci.

Et, quod mirum videtur, dum impii nonnumquam Ecclesiam erroris coarguunt, ac si pro diversis temporibus et progressu scientiarum suam doctrinam immutaverit, scilicet non distinguentes hinc quidem inter decreta dogmatica et disciplinaria, inde vero inter doctrinam vere ab Ecclesia propositam tamquam tenendam et doctrinam theologorum et interpretum, idque in rebus obscuris liberæque disputationi relictis, iidem impii rationalistis facile permittunt continuo novas hypotheses hypothesibus substituere, atque sibi invicem, imo uni sibimetipsi contradicere, eaque omnia scientiæ nomine condecorant. Sunt tamen, dices, non pauca in quibus rationalistæ consentiunt, quæ adeo utpote moraliter certa non sunt rejicienda. Ad quod reponimus hujusmodi consensum ex duplici fonte oriri posse: vel ex principio falso communiter ab ipsis admisso, puta evolutionismi, negationis ordinis supernaturalis, etc., et tunc consensus ille evidenter non est nisi consensus in errore ac impietate; vel oritur prædictus consensus independenter a communi principio falso, et tum meretur res serium examen, et a priori quidem est ille consensus indicium quoddam veritatis, sicut est in omni scientia consensus peritorum.

Itaque, si catholici admirari merito possunt, atque æmulari debent quorumdam rationalistarum eruditionem philologicam et historicam, hujus tamen eruditionis ad studia biblica applicationem, qualem rationalistæ plerumque faciunt, eorumque observationem logices et sanæ rationis, quamquam ii a ratione denominantur, superbius quidem quam verius, nequaquam admirari, multo minus imitari debent; atque, nonnisi summa cum prudentia et cautione plurima, scripta rationalistica de re biblica, præcipue a tyronibus, sunt attingenda.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii

—

I

Juxta Act. Apost. XV, 1 ss. et Ep. ad Gal. II, 1 ss. expone *qua de causa* conventus Apostolorum ac Seniorum Hierosolymis celebratus fuerit.

II

Quæritur utrum et quare ad explicandam rationem peccati originalis admittendum sit quoddam *pactum* initum a Deo cum Adamo.

III

Quandonam licita est manifesta compensatio aut recuperatio?

IV

Quare occulta compensatio dicitur actus male sonans sive per se illicitus?

V

Expone conditiones requisitas ad licitam compensationem occultam.

VI

Appréciez au point de vue canonique la loi de contrôle du 4 Mars 1870.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

I

Q. *Explica Luc. III, 3-6.*

R. I/ **Argumentum**: Joannes Baptista jussus a Deo (v. 2) incipit munus suum præcursoris Messiæ, cui advenienti, sicut prænuntiaverat Isaias propheta, viam parat, prædicando nempe baptismum pœnitentiæ.

II/ **Explicatio** V. 3. *Et* (Joannes, Zachariæ filius v. 2) *venit* i. e. (jussu Dei v. 2) in publicum prodiit ex locis illis desertis in quibus « usque ad diem ostensionis suæ ad Israel » (I, 80) latuerat, *in omnem regionem Jordanis* (1): εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου. *Omnis* seu tota *regio Jordanis* intelligenda est terræ tractus sive plaga Jordani fluvio utrimque adjacens et circumvicina, quæ a meridianis Judææ per Samariam usque ad Galilææ confinia extendebatur (2). Joannes totam hanc Jordanis vallem (3), ubi parata erat aquæ copia ad

---

(1) Omittit Lucas descriptionem austeri vivendi generis Baptistæ (*Mt.* III; *Mc.* I, 4) necnon populi concursum ad ejus baptismum (*Mt.* III, 5; *Mc.* I, 5, coll. tamen *Luc.* III, 7). Textuum comparatio (cfr. Van Steenkiste, *In Matthæum*, Brugis, 1903, p. 139) ostendit S. Lucam hoc in loco evangelium S. Marci præ oculis habuisse (Vide *Coll. Brug.*, suprà p. 154) non tamen solum, quin certò statui possit e quonam alio fonte deprompserit.

(2) Cfr. enim *Jo.* I, 28; Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Bethania (Beth-Anijah = Schiphuis) vel Bethabara (Beth-Abarah = Vaarhuis) itinere unius diei distabat a Cana Galilææ (*Jo.* II, 1). Cfr. Lagrange, *Rvv. Bibl.* 1895, p. 505, ss. — *Ibid.* 1902, p. 636. — Plummer, *A critical and exegetical Commentary on the Gospel according to S. Luke*, Edinburgh, 1901, p. 85, — Hastings, *Dictionary of the Bible*, Vol. I (ed. 5a) p. 276.

(3) *Mc.* I, 4 ait: Fuit Joannes *in deserto* baptizans; *Mt.* III, 1 dicit: Venit Joannes Baptista prædicans *in deserto Judææ*: uterque autem Lucæ

obeundum sibi divinitus injunctum baptizandi officium, a mari mortuo ad lacum Genesareth peragrabat, nunc cis nunc trans Jordanem (1) commorans ad populum undique accurrentem docendum ac baptizandum (2).

Prædicans sc. publice docens *baptismum pœnitentiæ,* i. e. prædicatione demonstrans necessitatem pœnitentiæ, opportunitatem suscipiendi baptismum (3) a se ministratum; *baptismum pœnitentiæ* (μετανοίας) i. e: ad resipiscentiam obstringens, cum pœnitentia conjunctum et in pœnitentiæ testimonium ac professionem suscipiendum. Illa μετάνοια seu mutatio animi complectebatur dolorem vitæ præteritæ (4), propositum vitæ novæ et studium peccata anteactæ vitæ in semetipsum ulciscendi (5).

In remissionem peccatorum: qua sc. pœnitentia, baptismo manifestata, baptizati in remissionem peccatorum ex opere operantis ducerentur si nempe charitate perfecta esset, vel saltem præpararentur ad rite suscipiendum Christi baptismum (6) per quem peccata ex opere operato dimittuntur.

V. 4. Lucas, (non secus ac Mt. III, 3 et Mc. I, 2),

---

non contradicit. Etenim 1/ Hebræi *desertum* appellabant non tantum regionem plane desertam et penitus non habitatam, sed locum nec vicis nec incolis frequentem, maximam partem incultam aut ad pascua tantum aptam. Cfr. Liagre, *Commentarius in S. Matth.* Tornaci 1883, p. 61. — Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible,* T. II, p. 1387 ss — Hastings, *o. c.,* T. IV (1902) p. 917 ss. 2/ Baptista munus suum incœperit in deserto Judææ (*Mt.*) qua in solitudine usque ad vitam publicam habitaverat; inde autem venit ad Jordanem (*Mt.* III, 6). Cæteroquin *desertum Judææ* pars quædam dici poterat *regionis circa Jordanem.* — Cfr. Hastings, *o. c.,* V. II (4ª ed.) p. 792.

(1) Vide *Jo.* I, 28; III, 26; X, 40.

(2) Cfr. *Jo.* I, 28; III, 23; X, 40; *Mt.* III, 5; *Mc.* I, 5.

(3) De *baptismo* Joannis, cfr. Liagre, *o. c.,* p. 66 s. — Van Steenkiste, *o. c.,* p. 1407 ss. (q. 1055).

(4) *Mc.* I. 5: Et baptizabantur ab illo (Joanne) in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

(5) Joannes jejunium et orationem discipulis injungebat; cfr. *Mt.* IX, 14; *Lc.* V, 33; XI, 1.

(6) « In Spiritu Sancto » *Mt.* III, 11; *Mc.* I, 7 s.; *Lc.* III, 16; Jo. I, 27.

expresse declarat munus præcursoris Messiæ a Baptista divino jussu susceptum, jam olim ab Isaia propheta prænuntiatum fuisse. *Sicut scriptum est* (ὡς γέγραπται) formula est solemnis qua frequenter ab auctoribus N. T. loca ex libris V. T. tanquam ex libris sacris ac divinis adducuntur. — *In libro sermonum* i. e. oraculorum *Isaiæ prophetæ* (XL, 3 s.) qui sensu litterali loqui videtur de Jehovah populum suum e Babylonico exilio reducente. Sermo metaphoricus est, desumpta metaphora ex more regum Orientis. Ibi quippe, ubi iter facturi erant, regios præmittebant præcones qui vias expeditas regi præparari juberent. Via igitur præparanda est Jehovæ quem propheta tanquam regem coram exercitu incedere fingit ut eos in Palæstinam reducat.

Quum autem captivitas babylonica typus exstiterit durissimæ illius captivitatis, quam sub peccati et dæmonis jugo humanum genus lapsum agebat, ejus solutio typus pariter fuit spiritualis liberationis per Christum olim procurandæ. Hanc igitur, uti expresse declarant Evangelistæ (1), saltem sensu spiritali seu typico Isaias intelligi etiam voluit, præconemque typice significavit qui Jehovæ salvatori in Messiæ persona adventanti præiret, eique suscipiendo Judæorum animos præpararet (2). Plures nihilominus interpretes censent unum Joannem Baptistam ejusque munus eo vaticinio prænunciatum esse. Cui sententiæ adstipulans P. Patritius ait (3): « Ne unum quidem, puto, de patrum numero

---

(1) *ll. cc.* præsertim autem *Mt.* III, 3: *Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam.*

(2) Vide Liagre, *o. c.*, p. 63.

(3) *De Evangeliis*, Friburgi B. 1853, Lib. III, Dissert. LV, n. 7. — Cfr. B. Weiss, *Das Matthäus Evangelium*, Göttingen, 1898. p. 61: « Der Evangelist sieht darin (in der Stimme) eine direkte Weissagung auf den Vorläufer Jesu » — Knabenbauer, *Comment. in Isaiam*, Pars II (Parisiis 1887) p. 68 tenet oraculum hoc generali quadam ratione ad utramque liberationem (tùm babylonicam, tùm messianicam) referri. « Qui *unice* locum explicant de Joanne Baptista, ait, non totum oraculi argumentum exponunt, neque satis ad proximum attendunt contextum ».

reperire est, qui aliter senserit, aut rem in dubium revocare visus sit ». — Quidquid sit de hac quæstione — quam integram hîc relinquere præstat — eodem recidit præsentis loci sensus. Ipsa Isaiæ verba, ab Evangelista juxta LXX libere adducta, paucis expendamus :

Vox clamantis præconis sc. auditur : *in deserto parate viam Domini*. Verba *in deserto* junguntur in hebræo textu subsequenti verbo *parate,* idque omnino postulat membrorum parallelismus qui in originali textu deprehenditur :

In deserto parate viam Domini
rectam facite (1) *in solitudine semitam Dei nostri* (2).

Neque exinde alius oritur sensus quam si legas « *vox clamantis in deserto* », cùm adhortatio fieri censenda est ubi opus est exequendum, sc. *in deserto*. Vox *desertum* tam in textu hebræo quam in græco adnexum habet articulum quem vocant demonstrativum, ità ut certam ac definitam significationem obtineat : signat nempe regionem desertam Syriæ per quam Judæi ab exilio in patriam redeuntes transituri erant. Apud Evangelistas cogitandus est potius tractus parum habitatus Jordani utrimque circumjacens necnon regio infrequentissima Mari Mortuo adjacens et quæ apud Mt. III, 1 desertum Judææ appellatur (v. suprà v. 3).

V. 5. Propheta in assumpta imagine pergens, evolvit quod dixerat : *Parate viam Domini ;* et quatuor difformitates viarum per quas corporaliter gradimur corrigendas esse præco clamat : *Omnis vallis* (fossa vel hiatus, gallicè : *ravin*) *implebitur* (hebr. est t. fut. pro imperativo : impleatur), *et omnis mons et collis* (omnis exstantia,

---

(1) *Jo.* I, 23 loco εὐθείας ποιεῖτε habet εὐθύνατε, quod videtur immediate ex hebræo translatum.

(2) Evangelistæ synoptici verbis LXX « Dei nostri » substituentes « *ejus* » clare ostendunt se textum Isaiæ de Messia intellexisse. B. Duhm, *Das Buch Jesaja,* Göttingen, 1902, p. 256 vertit : « macht grade in der Steppe eine Strasse unserm Gott ».

clivus) *humiliabitur* (deprimatur), *et erunt* (sint) *prava* (tortuosa itinera) *in recta, et aspera* (itinera) *in vias planas.*

V. 6. *Ratio* traditur cur semita recta ac facilis Jehovæ (seu Messiæ) sit paranda: *Et* (postquam via ità præparata fuerit in deserto, Deus salvator adveniet, et) *videbit* (1) *omnis caro* (omnis homo (2), totum genus humanum (3) lapsum) *salutare* (abstr. pro concreto: Salvatorem) Dei (a Deo missum) (4).

Juxta Jo. I, 23 ipse Baptista significavit se esse *vocem* seu præconem Messiæ adventum præparantem et de quo Isaias sensu typico (juxta alios sensu litterali) vaticinatus fuerat. Quæ de paranda via metaphorice a propheta dicta sunt facile ad animorum præparationem transferuntur. Messiæ advenienti viam sternere Joannes prædicatione et doctrina conatus est, mentes animosque Judæorum ità præparando ut Christi doctrinæ capaces fierent. Quemadmodum (5) viæ propter res quatuor incommodæ sunt, propter vel descensus, vel ascensus, vel obliquitates, vel asperitates: ità similem omnem vitiorum deformitatem auferendam, et contrarium virtutis studium amplectendum monuit, quo et expeditus foret Messiæ adventus, et gratus acceptusque declararetur. Hoc autem totum comprehendebatur illis verbis prædicantis Joannis: *Pœnitentiam agite.*

A. C.

---

(1) Hebræis *videre* idem est sæpe ac *frui.*

(2) σάρξ in N. T. videtur solummodo includere genus humanum, licet in LXX sæpe etiam bruta complectatur.

(3) Peculiarem semper Lc. curam impendit ut ostendat Messianicam salutem non ad solos Judæos sed etiam ad gentiles pertinere.

(4) Isaias hic habet — uti recte vertit Vulg.: — *Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Lc. potius secutus est LXX qui vertunt: *Et videbitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei, quia Dominus locutus est.*

(5) Ità Lucas Brug. in h. l.

II

Q. *Supposito demonstratum verum dari in posteris Adami peccatum originale* (cf. Collat. Brug. T. II, p. 509) *expone hoc peccatum recte definiri:* originalis justitiæ privatio, dependens a voluntario actu protoparentis, non inquantum fuit hæc persona singularis, sed inquantum erat fons et principium naturæ, aut cum supernaturali sanctitatis rectitudine propagandæ, si fidelis permansisset, aut cum illius privatione, si secus.

R. **Prænotandum.** Ex ipsa demonstrata originalis peccati *existentia*, hoc certum est quod ex prævaricatione primi parentis est in omnibus ex eodem genitis (nisi de speciali privilegio constet) id quod veram et propriam peccati rationem habet: hæc veritas fide est tenenda (1).

Ulterius nunc inquirimus de illius peccati *essentia:* qua de re nulla hucusque ab Ecclesia lata est definitio (2). Quapropter ex ipso de existentia peccati originalis dogmate et ex aliis fidei vel theologicæ scientiæ veritatibus deducemus qua in re essentialiter consistat originale peccatum, prout in Adami posteris invenitur.

Quum autem rei essentia nobis exhibeatur *definitione* inde est quod, ad statuendum *quid* sit originale peccatum, demonstrabimus bonam esse definitionem quam proposuimus. Patet hanc definitionem esse *realem,*

---

(1) Cf. Concilii Tridentini decretum de peccato originali, apud Denzinger, *Enchiridion*, n. 671.

(2) Quædam tamen sententiæ de peccati originalis essentia damnatæ sunt ab Ecclesia, aliæ a catholicis doctoribus rejiciuntur communiter utpote incompossibiles cum dogmate de peccato originali. Cf. Palmieri, *De Deo Creante*, Romæ, 1878, Thes. 71 et 72; Mazzella, *De Deo Creante*, Romæ, 1892, p. 702; Jungmann, *De Deo Creatore*, nn. 345-348; Lambrecht-Haelterman, *De Deo creatore*, Gandavi, 1893, p. 725; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, Œniponte, 1896, T. II, nn. 376-380; Einig, *De Deo Creante*, Treveris, 1898, p. 126; De Baets, *De ratione ac natura peccati originalis*, Lovanii, 1899, p. 13.

quippe quæ declarat quid *in se reipsa sit res illa* significata per nomen *originale peccatum* (1).

Definitionis expositio. Duplex distinguitur peccatum: *actuale* scilicet et *habituale*. *Actuale* peccatum est ipsa actio moraliter mala seu est *actus humanus malus* (2); *habituale* peccatum est *permanens* actus peccaminosi *reitas* (3).

Originale peccatum nequit esse peccatum *actuale* ipsorum in quibus inest: infantes enim, utpote usu rationis incapaces, nequeunt actum moraliter malum elicere. Remanet igitur ut originale peccatum sit peccatum *habituale*. Sed cujusnam actualis peccati habetur permanens reitas in omnibus hominibus? Peccati Adami quo omnes homines constituuntur peccatores, uti docet Apostolus (4). Porro hoc Adami actuale peccatum erat *mortale*, ab ultimo scilicet fine prorsus excludens (5). Jamvero in præsenti ordine naturæ elevatæ peccatum mortale habituale verificatur in privatione justitiæ *supernaturalis* quæ habetur per gratiam: etenim in præsenti Providentiæ ordine status justitiæ, seu status quo homo recte se habet ad finem suum ultimum, constituitur per *sanctitatem supernaturalem:* ergo status aversionis a fine ultimo verificatur in privatione illius *sanctitatis* supernaturalis, quæ dicitur justitia originalis, quia in illa homo ab initio constitutus fuerat (6): ergo peccatum originale verificatur in **privatione justitiæ originalis.**

---

(1) Definitio *nominalis* peccati originalis hæc est: voluntaria carentia debiti ordinis ad Deum finem ultimum quæ hominibus inest vi ipsorum originis ab Adamo.

(2) S. Thomas, I-IIæ, Q. LXXI, a. 6.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. VIII, pp. 334, 374, 436, 476.

(4) Rom. V, 18-19.

(5) Cf. Jungmann, op. c. n. 304.

(6) Constat per hanc formulam *originalis justitia* non semper eamdem prorsus rem intellectam fuisse a theologis. Etenim S. Bonaventura (in II, D. XXIX, a. 2, q. 1) censet originalem justitiam consistere primo et essentialiter in dono *integritatis*, nempe in rectitudine illa per quam vires inferiores subdebantur rationi et corpus animæ citra gratiam sanctifi-

Adjungitur in definitione: **dependens a voluntario actu protoparentis**. Quod revera sanctitatis originalis privatio in hominibus nascentibus sit sequela peccati ipsius Adami, jam constat ex ipso dogmate de peccato originali (1). Sed oportet ut hæc nota exprimatur in definitione peccati originalis: etenim ad rationem peccati duæ notæ essentialiter pertinent: *voluntarietas* et *debiti ordinis carentia ad Deum* finem ultimum: peccatum enim definitur: *voluntaria carentia debiti ordinis ad Deum finem ultimum* (2). Igitur privatio supernaturalis justitiæ seu gratiæ non est *peccatum* nisi sit *voluntaria*. Jamvero hæc privatio in infantibus non est voluntaria ex aliquo actu ab ipsis infantibus commisso: ergo relinquitur ut voluntaria sit ex respectu ad actum voluntatis illius a quo peccatum originale procedit, seu ex hoc quod **dependet a voluntario actu protoparentis** (3). In proxima responsione ulterius explicare conabimur in quo formaliter reponendus sit ille inter Adamum et posteros *nexus*, vi cujus ex voluntario actu protoparentis privatio gratiæ in infantibus habeat rationem *voluntarii*.

---

cantem. S. Thomas vero, qui prius eidem sententiæ adhæsit; postea (in *Summa theologica*, I, Q. XCV, a. 1 et Q. C, a. 1, ad 2) omnino tenet ad justitiam originalem pertinere ipsam gratiam sanctificantem, imo hanc esse *radicem* justitiæ originalis. Huic sententiæ omnino est adhærendum: sicut justitiæ originalis radix seu essentia est gratia sanctificans, ita privatio hujus justitiæ imprimis importat privationem gratiæ sanctificantis: consequenter originale peccatum *essentialiter* consistit in privatione gratiæ sanctificantis. Cf. *Collat. Brug.* T. IV, p. 386, T. VIII, p. 374; De Baets, op. c. p. 19. Nihil tamen obstat quominus nomine justitiæ originalis intelligatur complexus omnium donorum supernaturalium et præternaturalium quibus homo ab initio donatus fuit. Cf. Palmieri, op. c. Thes. LVII, p. 436.

(1) Cf. Rom. l. c.

(2) Damnata est hæc Baji propositio 46: « Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium ». cf. Denzinger, op. c. n. 926.

(3) Damnata est hæc Baji propositio 47: « Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem a qua originem habet ». Cf. ibid. n. 927.

Tandem dicitur de protoparente **non inquantum fuit hæc persona singularis, sed inquantum erat fons et principium naturæ, aut cum supernaturali sanctitatis rectitudine propagandæ, si fidelis permansisset, aut cum illius privatione, si secus.** Et sane, si consideretur Adam ut persona *singularis*, nulla esse potest ratio cur ipsius actus moraliter malus imputetur posteris seu illos constituat peccatores: persona enim in se considerata, utpote libera, est domina sui actus, consequenter ipsi et non aliis imputandus est actus liber, sive bonus sive malus. Ad rem Pignataro « Rectitudo creaturæ per ordinem ad finem ultimum *ex se* pertinet ad ordinem individualem; nam, licet acquiri possit etiam sine actu propriæ voluntatis, amitti tamen non potest nisi per actum liberum propriæ voluntatis. Sane omnis creatura intellectiva per liberum arbitrium est domina sui actus, et propterea ejus est se agere in finem per liberam voluntatis electionem » (1).

Igitur non inquantum Adam erat *singularis persona* potuit ex ejus peccato totum infici humanum genus. Sed neque ex hoc solo quod Adam erat *in ordine mere physico protoparens* hominum omnium. Etenim parens, qua talis, assimilat sibi filios quoad ipsam naturam et quoad illa quæ necessario consequuntur naturam, non vero quoad alia quæ parenti accidentaliter insunt. Unde ex hoc solo quod Deus tribuisset justitiam supernaturalem primo homini, non sequeretur Adami filios hanc habere justitiam, *quia* sunt Adami filii; consequenter nec sequeretur Adami filios privatos esse illa justitia *quia* illam Adam peccato amisit.

Ut igitur originalis justitiæ privatio ex ipso Adami peccato afficiat omnes ejus posteros, quod ex fide scimus, requiritur ut Adam fuerit principium humanæ naturæ *propagandæ vel cum supernaturali sanctitate vel sine illa:* aliis verbis, requiritur ut Deus contulerit

(1) *De processione creaturarum a Deo*, autogr. Romæ, p. 363.

justitiam supernaturalem Adamo *formaliter ut principio* generis humani et in ipso contulerit consequenter omnibus naturæ humanæ individuis ex Adamo nascituris: ita tandem ut ab Adami fidelitate vel infidelitate dependeret conservatio et propagatio sanctitatis supernaturalis vel ejus amissio (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Quænam est species moralis et theologica, seu qualitas et quantitas injuriæ?*

R. **Prænota.**

Injuriæ nomine intelligimus omnem juris alieni stricte dicti violationem, sive hæc fiat actione, sive omissione actionis quæ stricto jure debetur. Hæc juris violatio quandoque vocatur *injustitia;* communiter tamen hæc vox injustitia usurpatur pro habitu, injuria vero designat ipsum actum, ita ut recte dicatur injuria differre ab injustitia, sicut actus ab habitu differt.

Respondetur.

I. *Determinatur species moralis, seu qualitas injuriæ.*

1° Quamvis injuria adversetur tum caritati, tum justitiæ, quia per eam jus læditur, et simul bonum detrahitur seu malum infertur, dici tamen nequit illud peccatum duplicem continere malitiam, alteram contra caritatem, alteram contra justitiam; unam vero tantum continet, et hanc quidem contra justitiam commutativam, in qua læsio caritatis tanquam genus continetur (2).

2° Hinc autem perperam concluderetur omnes inju-

---

(1) Cf. Palmieri, op. c. Thes. LXXIII, p. 561; Billot, *De Natura et ratione peccati personalis,* Romæ, 1894, p. 65.

(2) Injuria enim est peccatum speciale, cum violatio juris alieni habeat in se specialem rationem inhonestatis, non communem omnibus peccatis secundum horum formalem rationem. Cfr. Vermeersch, *Quæst. de Just.* (Brugis, 1901), p. 146.

rias esse ejusdem speciei moralis; verum tot sunt injuriæ specifice diversæ, quot sunt jura seu bona specie diversa, in quibus proximus lædi potest. Porro tria bonorum genera communiter distinguuntur: a/ *bona interna*, aut corporis, ut vita, membrorum integritas; aut animæ, quæ sunt vel naturalia, ut facultates, scientiæ, artes, vel supernaturalia, ut gratia et virtutes supernaturales; aut utriusque, ut libertas a servitute; b/ *bona externa,* nempe extra hominem posita, ut prædium, pecunia, etc.; c/ *bona media,* scil. honor et fama, quæ sunt radicaliter interna, utpote fundata in nostris bonis qualitatibus et dotibus, et formaliter externa, quia sunt formaliter in aliis, qui nos honorant ac bene de nobis opinantur et loquuntur (1).

II. *Determinatur species theologica seu quantitas injuriæ.*

1° Injuria est peccatum *grave ex genere suo,* sive quis per injuriam aut alterius rem injuste occupet, aut rem bona fide occupatam injuste retineat, aut alteri jus illius lædendo damnum inferat.

Injuriam peccatum esse ex genere suo grave, jam abunde constat ex S. Scriptura. Etenim non tantum in *epistola ad Rom.* XIII, 7, Apostolus generatim hortatur fideles ut omnibus reddant debita, sed sæpissime in Sacris Litteris ita vetantur vel carpuntur peccata contra justitiam commutativam ut non raro apertis verbis declarentur mortalia. Cfr. *Exod.* XX, 13-17, ubi promulgatur Decalogus, confirmatus *Evang. Matth.* XIX, 17, 18, « si vis ad vitam ingredi serva mandata »; gravem admonitionem Apost. I, *Cor.* VI, 9, 10, « neque fornicarii, neque idolis servientes.... neque fures... regnum Dei possidebunt »; I *Thessal.* IV, 6 (2).

Præterea ita fert constans Ecclesiæ doctrina, de qua

---

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Just.* T. I, p. 71.

(2) Ita fere ad verbum A. Vermeersch, *Quæst. de Just.* (Brugis 1901), p. 145.

tum ex damnatis propositionibus, tum ex unanimi Sanctorum Patrum et Theologorum sententia constat.

2° Injuria igitur adversatur virtuti, quæ per se sub gravi obligat; datur tamen parvitas materiæ, nam cum jus in re exigua læditur, non adest nisi levis perturbatio ordinis, quem lex naturalis et divina ab omnibus servari jubet.

Gravitas autem materiæ in læsione justitiæ, præsertim si agatur de bonis fortunæ, ex duplici capite determinari debet:

a/ ex damno quod proximo infertur. Censetur gravis injuria, quando læsus de damno sibi illato jure merito graviter est invitus.

b/ ex damno quod communitati oriretur, si talis materia non esset sub gravi prohibita. Unde etiam gravis injuria generatim ea est, quæ natura sua paci communi et publicæ tranquillitati graviter repugnat (1).

A. D. C.

IV

Q. *Occisio suî aut proximi esse potest vel directa vel indirecta. Explica.*

R. **Prænota.**

Distinguendum imprimis inter occisionem suî vel proximi positivam et negativam: habetur occisio *positiva*, quando ponitur quædam actio occisiva, ut si quis laqueo se suspendat, alterum gladio confodiat, etc.; *negativa*, quando non impeditur causa mortis cum impediri valeat, seu quando omittitur actio necessaria ad vitæ conservationem, puta si quis cibos quoscumque sumere recuset.

---

(1) Cfr. S Thomas 2ª 2æ, q 59; De Lugo, *De Just. et Jure*, disp. I, sect. II, nº 38; Lacroix, lib. III, nº 979; Ill^s ac Rev^s Waffelaert. *De Just.* II, p. 18 sqq.; Marres, *De Just.* I, p. 250 sqq.; Noldin, *Summa Theol. Mor.* (Œniponte 1904), T. II, p. 404; A. Vermeersch, *o. c.*, p. 144 sqq.; Lehmkuhl, *Theol. Mor.* I, nº 761 sqq.

Occisio autem sive positiva, sive negativa, esse potest vel directa vel indirecta, de qua nunc inquiritur.

Respondetur.

Occisio *directa* est dicenda, si mors, immediate ex actione vel actionis omissione oritura, est in se voluntaria; *indirecta*, si mors est voluntaria tantum in causa, i. e. si non ipsa mors, sed alius effectus intenditur, nec mors ut medium eligitur ad illum alium finem, quocum tamen necessario est connexa.

Explicatur.

Ut rite intelligatur occisionis directæ et indirectæ notio, quæ sedulo est attendenda semper ubi agitur de bono vitæ, præmittendam ducimus distinctionem inter voluntarium directum et indirectum, seu inter voluntarium in se et voluntarium in causa tantum. Voluntarium directum dicitur, quod ita a voluntate procedit, ut simul secundum se a voluntate sit intentum ut finis, vel electum ut medium ad alium finem; voluntarium vero indirectum, quod a voluntate procedit, non ut in se volitum, sed ut connexum cum alio directe volito, scil. ita connexum ut agens illud velle debeat, seu velle censeatur eo quod causam ejus velit (1).

Unde

1° Occisio dicitur *directa*, si mors in seipsa intendatur, vel directe eligatur ut medium ad ulteriorem finem,

---

(1) Hanc definitionem voluntarii directi et indirecti satis communiter hodie auctores amplectuntur; notetur tamen, ut vitetur confusio, quosdam, secutos Stum Thomam, qui in 1ª 2æ, q. 6, a. 3, hæc habet: « voluntarium dicitur non solum quod procedit a voluntate directe sicut ab agente, sed etiam quod est ab ea indirecte, sicut a non agente », intelligere nomine voluntarii directi, quod a voluntate positive operante procedit, nomine voluntarii indirecti, quod voluntas agere omittit cum agere possit; hæc vero hodie communiter qua voluntarium positivum et negativum distinguuntur.

Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, II, p. 31; Meyer, *Instit. Juris Natur.* (Friburgi-Brisgoviæ 1900) I, p. 31; Zigliara, *Summa Philos.*, ed. 12ª, T. III, p. 85; Lehmkuhl; *Theol. Mor.* I, nº 4; Bucceroni, *Theol. Mor.* (Romæ 1898) I, nº 34; Ferretti, *Inst. Phil. Mor.*, 2ª ed., I, p. 135; Ballerini-Palmieri, *Théol. Mor.*, I, nº 271, 7°.

nam in utroque casu, ut patet, habetur voluntarium directum. Hinc directa est occisio, si quis sibi mortem inferat ad effugiendas miserias præsentis vitæ, metum pœnæ, timorem ignominiæ; item si quis occidat, ne diutius patiantur, lethaliter vulneratos quamvis certo morituros, aut si in naufragio aliqui naufragii consortes in mare projiciantur, ut cœteri serventur. Etenim licet in his casibus mors ipsa non intendatur ut finis, nihilominus actio posita directe tendit ad occisionem, et ita quidem ut hæc occisio verum medium evadat ad obtinendum finem intentum.

2° Occisio dicenda est *indirecta*, si actio occisiva aut vitæ conservationis omissio duplicem habeat effectum, nempe mortem et alium effectum, qui effectus ambo æque immediate ex illa actione vel omissione sequantur, nec mors directe intendatur. Hinc si milites cum certa jactura propriæ vitæ incendant navim vel turrim ad submergendos aut delendos hostes, hæc mors militum ipsis tantum imputanda est qua occisio indirecta; nam licet ex illorum actione mors propria sequatur, æque immediate tamen sequitur alter effectus, qui directe intenditur. Item de occisione indirecta explicari potest factum Eleazari, I Machab. VI, 43 sqq. (1).

A. D. C.

V

Q. *An et cur licita est indirecta sui occisio?*

R. Cum indirecta suî occisio, ut ex præc. resp. constat, esse possit vel positiva vel negativa, de utraque seorsim agendum.

I. **De indirecta suî occisione positiva.**

Indirecta suî occisio positiva, absque divina auctoritate facta, constituit gravem in Deum injuriam, si fiat

(1) Cfr. De Lugo, *De Jure et Just.*, Disp. X. sect. I; Lessius, *De Just.*, lib. 2, c. 9, nº 32; Stus Alphonsus, nº 366; Lehmkuhl I, p. 364 sqq.

absque gravi proportionata causa; si autem ex justa causa fiat, est licita.

Dicitur

1° *Occisio absque divina auctoritate facta:* etenim occisionis suî sive directæ sive indirectæ malitia cessat, si homo vitam ex Supremi ipsius vitæ Domini licentia certo sibi manifestata deserit.

2° *Constituit gravem in Deum injuriam si fiat absque gravi proportionata causa.* Deus enim homini vitæ suæ arbitrium non reliquit, sed usum tantum sub onere custodiæ et conservationis. Maxime autem, ut patet, a recto vitæ usu deficit, qui obligationem vitam servandi postponens, absque justa causa tanti boni jacturam obire non formidat.

3° *Si ex justa causa fiat, est licita.* Agitur enim in casu de actione, ut supponitur, bona aut saltem indifferente, quæ duplicem habet effectum, scil. mortem et alterum effectum, æque immediate ex actione secuturum. Sed, juxta principia in *Collat. Brug.*, T. I, p. 287 exposita, licet talem actionem ponere modo finis agentis sit honestus, et adsit ratio proportionate gravis. Hæc autem ratio proportionate gravis alia esse nequit quam bonus effectus præter mortem etiam ex actione oriturus, quem agens directe intendit, dum ad mortem mere permissive se habet.

Cæterum tales actiones quandoque licere juxta mentem Supremi Legislatoris, Dei, vel ex eo constat quod rectus vitæ usus non raro ex natura rei vel subeundum mortis discrimen vel certum etiam vitæ sacrificium inevitabili conditione annexum habet. Quis enim negabit egregie prorsus se gerere Evangelii præcones qui ad fidem annuntiandam mortem despiciunt, pastores animarum qui ad sacramenta administranda, populumque a necessitate spirituali liberandum vitam exponunt, virgines Deo addictas quæ morbo contagioso infectis inserviunt cum certo mortis discrimine, milites qui tempore belli stationem agunt etsi mors

ipsis immineat. Quandoque igitur ab actionibus mortis inductivis abstinere non tenemur, quoties nempe respective gravis causa subsistit mortem permittendi; immo quandoque ut vitæ jacturam permittamus aut consulitur, aut præscribitur: consulitur, ubi agitur de bono altiore et vitæ conservatione majore; præscribitur, quoties vitæ discrimen declinari nequit absque læsione alicujus negativi legis naturalis præcepti, aut quis ex suscepto vel legitime demandato munere, societati vel singulis ejus membris in necessitate constitutis ad animæ vel corporis salutem procurandam succurrere tenetur. (1)

II. **De indirecta suî occisione negativa.**

Indirecta suî occisio negativa, seu conservationis vitæ omissio, in qua solummodo quasi in causa voluntaria est mors, secluso Dei consensu, veram in Deum constituit injuriam gravem ex genere suo, quoties absque justa causa negligantur media obligatoria ad vitæ conservationem.

Etenim humana vita ex intentione Creatoris hanc destinationem habet, ut homo illa tanquam medio non libere electo sed divinitus assignato ad suum in his terris finem complendum, Deumque glorificandum utatur, illudque medium suapte natura ejusmodi est, ut ad suî conservationem cooperatione ex parte hominis indigeat. Ergo in obligatione ad illum finem pariter continetur obligatio adhibendi media, quæ necessario complectitur hæc hominis cooperatio, ex communi ordine naturæ requisita. Itaque tota difficultas est in determinandis mediis ad quæ justitia obligat. Nullum

---

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, T. II, p. 35; Marres, *De Just.*, T. I, p. 389; Meyer, *Instit. Jur. Nat.*, T. II, p. 48.

Varia exempla indirectæ sui occisionis positivæ invenies apud De Lugo, *De Just.*, Disp. X, sect. I; Lessium, *De Just.*, l. II, c. 9, dub. VI; S. Alphons. l. III, nu 366 sqq.; Carrière, *De Just.*, T. II, p. 464 sqq.; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, T. I, p. 344 sqq.; Ballerini-Palmieri, *Theol. Mor.*, T. II, p. 601 sqq.; etc., etc.

vero dubium quin adsit obligatio adhibendi media positiva, directe ordinata ex natura sua ad vitam sustentandam, ordinaria et facilia, necnon et media removentia causas vitæ destructivas necessarias, dummodo iterum sint facilia. « Ratio autem est, ut sapienter disserit De Lugo, quia qui media ordinaria negligit videtur negligere vitam, atque ideo negligentem se in ejus gubernatione gerere, et moraliter censetur velle mortem, qui mediis ordinariis non utitur, quæ natura providit ad ordinariam vitæ conservationem, non tamen est tanti momenti hoc vitæ bonum, ut extraordinaria diligentia procuranda sit ejus conservatio : aliud enim est eam non negligere et temere projicere, ad quod homo tenetur; aliud vero est eam quærere et fugientem ex se retinere mediis exquisitis, ad quod non tenetur, nec ideo censetur moraliter mortem velle aut quærere (1). »

Hæc vero obligatio servandi vitam, ex materia circa quam versatur gravis, non talis demum est, quæ in quibuscumque adjunctis urgere censenda sit. Etenim si ex justa causa, ut supra diximus, licet indirecte sese interimere, a fortiori licebit ex tali causa omittere vitæ custodiam; immo, quod facile constat, non æque gravis causa requiritur ac in positiva occisione indirecta. Unde ultimo consequitur hanc vitæ conservationis omissionem sicut et indirectam sui occisionem positivam, quum ex justa causa fiat, non modo nihil divinæ ordinationi contrarium includere, sed etiam quandoque laudabilem evadere ac meritoriam, immo obligatoriam. (2)

A. D. C.

---

(1) *De Just.*, Disp. X, nº 29. Addit vero non adesse tantam obligationem si de causa *libera* agatur, nam qui non fugit talem causam non necessario vult effectum, sed solum permissive se habet respectu illius. Unde homo tunc non est auctor suæ mortis, sed ille alius qui libere illam vult et procurat.

(2) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, p. 39 sqq. Quoad exempla iterum vide A.A. supra citatos.

VI

Q. *Le Décret de 1809 est-il conciliable avec les articles de la Constitution Belge relatifs à la liberté de l'Église ?*

R. L'Église, de droit naturel et de par la volonté de son fondateur, a le droit propre, complet et indépendant d'acquérir et de posséder tous les biens meubles ou immeubles nécessaires à la dotation des divers établissements ecclésiastiques, à l'exercice du culte, à l'entretien de ses ministres et au soulagement des pauvres (1). Conséquemment elle a au même titre et de la même manière le droit d'administrer ces biens, de désigner la personne des administrateurs et de déterminer les règles de cette administration. (2)

Or, ce droit de l'Église catholique à été garanti par la Constitution Belge. En effet il résulte du texte, des discussions, de l'histoire de la Constitution, que le Congrès National en décrétant la liberté des cultes n'a pas seulement eu en vue la liberté individuelle de professer un culte ou de n'en point professer (3), mais avant

---

(1) Moulart, *L'Église et l'État en Belgique,* 4e édit., Louvain, 1895, p. 540 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend*, T. I, nº 51 sqq., p. 62 sqq. Wernz, *Jus Decretalium*, T. III, p. 153 sqq.

(2) De Brabanderé-Van Coillie, *o. c.*, T. I, nº 61, p. 74; Wernz, *Jus Decretalium*, T. III, p. 180 sqq.

(3) Telle est encore de nos jours, l'opinion des légistes libéraux. Il suit de leur théorie, que le Congrès a proclamé la séparation radicale de l'Église et de l'État et que les cultes en tant que corps moraux n'ont constitutionnellement aucun droit. Bara, *Essai sur les rapports de l'État et des religions au point de vue constitutionnel,* Tournai, 1859, p. 132; F. Laurent, *L'Église et l'État en Belgique,* Bruxelles, 1863, p. 308 ss.; p. 349 ss.; Ch. Laurent, *La liberté des cultes et le nouveau Code Pénal*, Belgique Judiciaire, 1865, T. XXIII. col. 337-348 etc. Voir une application de ce système dans le réquisitoire du procureur général M. Janssens dans l'affaire du sacrilège de Bruges. *Pasicrisie,* 1903, I, 347. Conformément à ce réquisitoire la Cour par son arrêt, en date du 20 Juillet 1903, a cassé l'arrêt de la Cour militaire, renvoyé la cause devant la même Cour composée d'autres juges qui ont acquitté le prévenu. *Pasicr.*, 1904, I, p. 48-49; *La Flandre Judiciaire,* 1903, nº 37, col. 583-590.

tout il a entendu garantir la liberté de la société religieuse et conséquemment son indépendance vis à vis de l'État. En d'autres termes le système qui a prévalu au sein de notre Assemblée Constituante au sujet des rapports généraux de l'Église et de l'État fut celui de la distinction des pouvoirs avec protection du pouvoir civil pour les cultes (1).

Cela résulte:

1° *Du texte de notre charte de 1830.* Si la Constitution consacre exclusivement la liberté individuelle des consciences, quel sens raisonnable peut-on donner aux termes de l'art. 14 qui proclame la liberté *des cultes* et celle *de leur exercice public* et à ceux (2) des articles 16 et 117 où il est question *des ministres des cultes et de leurs supérieurs?* Si la liberté des cultes se confond avec la liberté des consciences, pourquoi l'a. 14 distingue-t-il la liberté des cultes, de la liberté de manifester ses opinions en toute matière? (3)

2° *des discussions qui ont eu lieu au Congrès national à l'occasion de ces articles* (4). Il suffit de parcourir les actes principaux et directifs de ces débats mémorables, pour conclure avec certitude que l'Église catholique jouit en Belgique de toute la liberté et de toute l'indé-

---

(1) Daris, *L'Église et l'État en Belgique* (Extrait du Mémorial Belge 1863-1865), col. 313 ss., 330 ss.; Loiseaux, *Examen du projet de loi sur le temporel du Culte,* 2e édit., Tournai, 1870, p. 17 ss.; J. Malou, *Le temporel des cultes et les rapports constitutionnels entre l'État et les Églises en Belgique,* Revue Générale, 1870, T. VI, vol. I, p. 467-480; Thonissen, *La Constitution Belge annotée,* 2e édit., Bruxelles, 1876, p. 160; Nyssens, *l'Église et l'État dans la Constitution Belge,* Bruxelles, 1880, p. 35; Moulart, *o. c.,* p. 645 ss.; Cagliani, *Droit ecclésiastique-civil Belge,* Bruxelles, 1903, p. 160 ss. Cet auteur, libéral avancé, a été amené par l'évidence des textes, à soutenir la thèse catholique.

(2) Moulart, *o. c.,* p. 645 s.

(3) Le Congrès n'a pas envisagé la liberté des cultes comme comprise dans la liberté des opinions, mais plutôt il les a considérées comme deux libertés parallèles qui se délimitent mutuellement sans se confondre.

(4) Huyttens, *Discussions du Congrès national de Belgique,* 5 vol., Bruxelles, 1844-1845.

pendance compatible avec l'ordre public, un seul point excepté. Le Gouvernement provisoire par son arrêté du 16 Octobre 1830 avait proclamé la liberté et l'indépendance *absolue* de la société religieuse (1). Ce système de la liberté pour les cultes et de la non-intervention de l'État dans les affaires d'un culte quelconque, fut adopté dans un premier projet de Constitution, rédigé par la Commission de Constitution, instituée par arrêté du 16 Octobre 1830. L'art. 21, néanmoins, accordait au pouvoir civil le droit d'empêcher l'exercice public d'un culte qui aurait troublé l'ordre et la tranquillité publique. (2) Ce projet rallia la majorité des membres du Congrès, et fut repris dans les articles 10, 11 et 12 du nouveau projet présenté au nom de la section centrale par son rapporteur M. de Brouckere, à la séance du 9 Décembre (3). A propos de l'article 11 celui-ci disait: « Des minorités aux 1e, 2e, 5e, 8e sections ont voulu une liberté absolue de l'exercice public des cultes. La section centrale a partagé à l'unanimité l'avis des sections, elle a cru que *l'être moral, le culte* devait être responsable tout comme les individus, de ses actes devant la loi.... Sur la proposition d'un membre, elle a décidé qu'elle ferait suivre l'article 11 d'une disposition destinée à prévenir l'intervention du pouvoir dans la nomination des ministres du culte, dans la correspondance des prêtres catholiques avec Rome etc., cette décision a été prise à la majorité de 10 voix contre neuf et après le rejet de différentes rédactions l'art. 12 du projet a été admis à la même majorité d'une seule voix ». Le

(1) Huyttens, *o. c.*, I, p. 526; *Pasinomie*, 3e Sér., T. I, p. 36.

(2) Huyttens, *o. c.*, IV, p. 43, n° 45.

(3) *Ibid.*, IV, p. 58, n° 49. Voici le texte de ces articles:

a. 10. La liberté des cultes et celle des opinions sont garanties.

a. 11. L'exercice public d'aucun culte ne peut être empêché qu'en vertu d'une loi, et seulement dans les cas où il trouble l'ordre et la tranquillité publique.

a. 12. Toute intervention de la loi dans les affaires d'un culte quelconque est interdite.

rapporteur, libéral non-unioniste (1) fait valoir l'inutilité de cette disposition, alors *que la liberté des cultes est proclamée* et que le secret des lettres est inviolable.

Le 13 Décembre de la même année, le prince de Méan, archevêque de Malines, adressa aux membres du Congrès une lettre, dans le but de les éclairer sur une question d'une importance aussi capitale. Or dans ce document qui dirigea en grande partie les votes de l'assemblée, le chef hiérarchique de l'Église de Belgique revendique *pour le Culte* la liberté et l'indépendance la plus absolue. Vu les entraves et les persécutions que l'Église avait subies depuis cinquante ans, nonobstant les déclarations du Concordat de 1801 et du pacte fondamental de 1815 qui garantissaient sa liberté, il ne suffit pas, à son avis, de donner aux Belges l'assurance qu'ils pourront librement exercer leur culte, mais il est de toute nécessité de déterminer ce principe dans ses applications. Il faut, donc, que l'exercice public du culte ne puisse jamais être empêché ni restreint, sauf la répression des abus qui se commettent au moyen et à l'occasion de cet exercice ; que l'Église jouisse d'une parfaite liberté dans l'installation et la nomination de ses ministres ; dans la correspondance de ceux-ci avec le St Siège ; que la liberté d'enseignement sans aucune mesure préventive, soit établie ; que la liberté d'association soit proclamée et qu'il soit fourni aux associations des facilités pour acquérir ce qui est nécessaire à leur existence ; enfin que les traitements ecclésiastiques soient à charge de l'État. (2) Conformément à ces idées, les art. 10 et 11 du projet sont amendés, fondus en un seul et deviennent l'art 14 actuel de la Constitution, consacrant le principe de la liberté pleine et entière pour les cultes et une des applications les plus impor-

(1) Les membres du Congrès étaient divisés en catholiques et libéraux unionistes qui voulaient la liberté en tout et pour tous et en libéraux non-unionistes partisans de la limitation de la liberté des cultes.

(2) Huyttens, *o. c.*, I, p. 525-528.

tantes de ce principe: l'exercice public du culte, assuré de la façon la plus absolue. (1) Le 22 Décembre commença la discussion de l'art. 12 du projet. (2) M. Defacqz, le chef des libéraux non-unionistes, partisan de l'absorption du pouvoir spirituel par le pouvoir temporel, présenta un amendement tendant à la non-insertion de l'article. Il donna trois motifs de sa proposition; le vote de cet article consacrerait: 1° la non-priorité du mariage civil sur le mariage religieux; 2° la non-intervention des pouvoirs publics dans la nomination des ministres du culte, même de ceux rétribués par l'État; 3° *l'abrogation du décret de 1809 sur les fabriques.* (3) Cet amendement fut rejeté à la majorité de 111 voix contre 59, comme *contraire au principe de la liberté religieuse,* voté précédemment. (4) Restaient à discuter les modifications proposées quant à la rédaction du texte de l'article. De nombreux amendements avaient été déposés: *tous* maintiennent le principe de l'indépendance des cultes, soit en le précisant dans ses applications dans le sens du prince de Méan, soit en établissant sa réciprocité; sept y ajoutent une seule restriction: la priorité du mariage civil. (5) M. de Theux s'efforça dans son rapport présenté au nom de la section centrale, d'écarter le point brulant de la discussion, la question du mariage et proposa en ce sens une *rédaction nouvelle, plus précise* de l'art. 12,

---

(1) *Ibid.*, I, p. 574 ss.

(2) Voir plus haut les déclarations de l'Archevêque de Malines et celles de la majorité de la section centrale, tendant à une rédaction plus précise de cet article; elles avaient pour objet de déterminer les conséquences du principe posé à l'art. précédent, qui avaient été le plus en butte aux attaques des gouvernements antérieurs.

(3) Huyttens, I, 587-589.

(4) Huyttens, I, p. 589 ss.; Loiseaux, *o. c.*, p. 7-13. D'après la correspondance de M. Du Bus, membre du Congrès, cet amendement aurait été rejeté à la majorité de 111 membres contre 66. *Revue Générale,* T. XL, 1904, vol. I, p. 703.

(5) Huyttens, I, 624 s.

qui ne préjuge en rien quant à l'exception en litige. (1) Mais les adversaires ne se tinrent pas pour battus ; ils revinrent à la charge et même, subordonnèrent leur décision quant aux questions du temporel des cultes et du traitement de leurs ministres à la décision des libéraux modérés et des catholiques quant au mariage. Ceux-ci cédèrent par esprit de conciliation. Plusieurs libéraux unionistes protestèrent néanmoins contre cette restriction apportée à la liberté des cultes. (2) L'amendement Forgeur fut admis, et devint le § 2 de l'art. 16 actuel, qui constitue donc dans son ensemble, une transaction entre le parti catholique et libéral unioniste, qui suivit les instructions de l'archevêque de Malines, et le parti libéral non-unioniste, partisan de la limitation de l'indépendance des cultes.

3° *de l'histoire de cette Constitution.* (3) Les circonstances qui ont provoqué la chute du régime hollandais, et la reconstitution de notre nationalité ne permettent pas de douter que le Congrès n'ait entendu garantir

---

(1) *Ibid.*, I, 645; IV, p. 64, n° 50. Voici cet amendement: « L'État ne peut intervenir dans la nomination et l'installation des ministres d'un culte quelconque, ni défendre à ceux-ci de correspondre avec leurs supérieurs, sauf en ce dernier cas la responsabilité ordinaire en matière de presse et de publication ». C'est le § 1 de l'art. 16 actuel, sauf quelques modifications qui accentuent encore le droit des cultes à l'indépendance.

(2) Ce furent MM. de Robaulx, Rogier, Jottrand. Le premier ajouta à sa déclaration: « Cependant comme les membres de cette assemblée, *les catholiques* qui ont le plus d'intérêt à conserver les principes de la liberté religieuse intacts, paraissent ne pas s'opposer à l'amendement qui selon moi y déroge, je ne serai pas plus exigeant qu'eux et je m'y rallierai. » Huyttens, II, p. 471; Loiseaux, *o. c.*, p. 16-17.

(3) La source la plus importante au point de vue religieux est le « *Recueil des mandements etc., publiés par S. A. le prince de Broglie, év. de Gand,* » éd. Bracq, Gand, Poelman, 1843. 4°. Pour les sources et les travaux cf. Pirenne, *Bibliographie de l'histoire de Belgique*, 2e édit., Bruxelles, 1902, p. 225-230; à compléter par la *Revue d'Histoire Ecclésiastique* de Louvain ou les *Archives Belges*. Cette bibliographie serait à enrichir d'une foule de brochures et de publications diverses parues en Belgique à l'occasion et en protestation des actes arbitraires du roi Guillaume et de ses ministres.

aux religions existentes chez nous en 1830, la liberté et l'indépendance (1).

Donc « L'Église n'est pas seulement une institution divine.... mais elle est aussi et surtout pour les hommes d'État belges un culte constitutionnellement établi, vivant sous l'égide de nos lois, en vertu *de la liberté des cultes* solennellement proclamée en 1830. Elle a *donc* une existence constitutionnellement indépendante du gouvernement, existence qui comprend sans aucun doute, le droit de vivre selon ses croyances, ses usages et ses lois, avec ses dogmes, sa morale et sa discipline ecclésiastique... » (2) Il en suit que:

1° L'Église catholique jouit constitutionnellement du droit de posséder ce qui est nécessaire à son existence.

2° qu'elle a au même titre et dans la même mesure le droit d'administrer ces biens.

3° que toute loi antérieure à 1830 et restrictive de ces droits doit être censée abrogée par l'art. 138 de la Constitution (3).

Or le décret de 1809 viole cette liberté et cette indépendance.

Ce décret qui fut caractérisé par les évêques de Belgique comme un acte de despotisme et d'intolérance (4), qui constitue un véritable anachronisme et une inconséquence après les événements qui en précédèrent la confection (5), est non seulement inconstitu-

---

(1) Moulart, *o. c.*, p. 546; S. Balau, *Soixante-dix ans d'histoire contemporaine* (1815-1884), 3e édit., Bruxelles, 1890, ch. I et II.

(2) *Chambre des Représentants, Sess. 1864-1865, docum. parlement.*, Avis des évêques de Belgique relativement au projet de loi sur le temporel des cultes, p. 307-327, avis de Mgr Malou, évêque de Bruges, p. 310; cf. *Coll. Epist. Past.*, T. X, p. 363.

(3) Loiseaux, *o. c.*, p. 23, 28, 29; Moulart, *o. c.*, p. 651; Avis de Mgr de Montpellier, évêque de Liège, *l. c.*, p. 321 etc.

(4) Avis de l'évêque de Liège, *l. c.*, p. 319; avis de l'évêque de Tournai, p. 308. Cf. Mgr Parisis, *Examen de la liberté de l'Église*, Liège, 1850, p. 76 s.

(5) Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., Louvain, 1899, p. 42 s.

tionnel dans ses articles qui légifèrent en matière spirituelle (1), mais il est entaché du vice d'inconstitutionnalité parce qu'émanant d'une autorité incompétente, il blesse la liberté et l'indépendance de l'Église en consacrant le principe d'intervention du pouvoir séculier dans l'administration du temporel ecclésiastique. Et quoi qu'on en dise, ce temporel a un rapport intime avec le culte puisqu'il il est nécessaire à son existence et à l'accomplissement de sa mission. (2) L'État, intervenant dans le temporel des cultes, avait le droit d'établir d'un commun accord avec l'Église, un contrôle rationnel de l'administration des fabriques, mais il n'avait pas le droit de trancher de sa seule autorité toutes les questions se rapportant à cet objet, en restreignant de façon notoire les droits des évêques, de par le droit canonique, administrateurs nés de leur diocèse.

Aussi ce décret souleva-t-il dès le début, de justes protestations surtout en Belgique. (3) Maurice de Broglie, l'illustre évêque de Gand réclama énergiquement dans deux lettres adressées au ministre des cultes contre une foule d'articles attentatoires à la liberté de l'Église et aux droits des évêques (4). Pendant 30 ans

---

(1) aa. 9, 30, 32, 38, 76 etc., abrogés sans aucun doute par l'article 138 de la Constitution.

(2) Lauwers, *Examen de l'avant-projet de révision du Décret de 1809*, Bruxelles, 1865, p. 70 ss.; Moulart, *o. c.*, p. 46; Loiseaux, *o. c.*, p. 71 ss.

(3) Voir les observations très mitigées des évêques français dans le *Mémorial Belge*, T. XIV, 1870, col. 582 ss.; et celles du ministre Bigot de Préameneu, *ibid.*, col. 585-593.

(4) Il proteste contre les art. 4, 5, 6, 31, 32, 33, 39, 49, 65, 87, 93, 96, 97, 105. Voici la fin de sa seconde lettre: « Je proteste surtout contre l'esprit et l'intention manifeste de ce décret du 30 Décembre 1809. Son but et son objet sont d'attribuer en dernier ressort à l'autorité civile tout le droit de décision, quant aux affaires et aux difficultés relatives aux fabriques. Sur un décret qui touche de si près la religion et ses devoirs, qui règle définitivement le culte divin, la mission évangélique, l'emploi et la destination des biens, émoluments, secours pour l'Eglise, je ne puis donner mon assentiment comme évêque, sans manquer à ma conscience et sans abandonner les droits des églises confiées à ma sollicitude. Je suis

les administrations fabriciennes refusèrent de l'appliquer. (1) Quand le ministre M. Tesch en 1863 eut élaboré un projet de loi qui sécularisait les fabriques et qu'il l'eut communiqué aux évêques de Belgique, ceux-ci dans de fières protestations n'ont point hésité à dire que si la législation fabricienne devait être modifiée, c'était à cause de son défaut d'harmonie avec nos institutions politiques et que dès lors le Gouvernement s'inspirant des traditions nationales, des souvenirs de 1830, et des principes de la Constitution, aurait du depuis longtemps proposer à la législation d'abroger le Décret de 1809, l'un des derniers vestiges d'une époque de despotisme. (2) La doctrine des juristes catholiques a suivi à bon droit, la doctrine des évêques. (3)

Si donc le décret de 1809 a reçu chez nous son exécution, ce n'est point à raison de sa valeur juridique intrinsèque, mais ce fut sous l'impulsion des évêques. Ceux-ci par esprit de sage conciliation, en ont imposé l'observance aux administrations fabriciennes. (4)

A. D. M.

---

donc dans la douloureuse mais nécessaire obligation de protester contre tous et chacun des articles précités du dit décret, prêt d'ailleurs d'adhérer aux autres articles qui s'accordent avec les droits de l'épiscopat et des églises, » *Recueil cité,* p. 137, note 1.

(1) Lauwers, *o. c.,* p. 10-11 ; Vouriot, *De la propriété et de l'administration des biens ecclésiastiques en France et en Belgique,* 2e édit , Paris, 1875, p. 154, 159; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, nº 960, p. 259 s. ; *Avis précité de l'Archevêque de Malines,* l. c., p 307.

(2) Avis de l'évêque de Liège, *l. c.*, p. 315-316; de l'archevêque de Malines, p. 307 ; de l'évêque de Namur, p. 308 ; de l'évêque de Tournai, p. 308.

(3) Soenens, *Des fabriques d'églises et de la liberté de l'Église Catholique etc.*, Louvain, 1862, p. 82-83; Loiseaux, *o. c.*, p. 100 ss.; de Montpellier, *Défense des droits de Dieu, de l'Église catholique et de ses membres contre le projet de loi sur le temporel des cultes*, Liège, 1865, p. 224 s. *Revue Catholique*, 1865, p. 470-471; *Assemblée Générale des Catholiques de Belgique de 1864,* Bruxelles, 1865, T. I, p. 339; T. II, p. 521 ss. ; Moulart, *o. c.*, p. 43 ss. ; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, nº 947, p. 248 s.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c,* T. II, nº 960, p. 259, coll. T. I, nº 79, p. 94-95, où il renvoie aux Instructions des évêques de Bruges quant à l'observation du Décret de 1809.

Monitum

circa indultum cumulative dispensandi super impedimentis matrimonii.

Nuperrime ad annum prorogatum est indultum, quo gaudebat Episcopus Brugensis, facultatibus Ipsi jam concessis ab Apostolica Sede circa dispensationes matrimoniales, sive per se sive per suos Vicarios in spiritualibus generales, utendi « etiam cumulative, in casibus in quibus gradus aut impedimenta multiplicari contigerit, servatis tamen conditionibus in unaquaque concessione respective præscriptis ». Cujus indulti integrum tenorem retulimus apud *Collat.*, tom. VIII, p. 509 et seq., additis nonnullis animadversionibus illum illustrantibus.

Porro in præsenti indulti prorogatione jam non occurrit, quod sedulò est attendendum, clausula, anno elapso primùm inserta, usum facultatis restringens ad casus urgentes « in quibus, absque gravis mali periculo, ad Apostolicam Sedem recursus haberi nequeat ».

Rursus igitur, servatis servandis, dictam facultatem cumulandi adhibere potest Episcopus (1), quotiescumque id opportunum judicaverit, quin opus habeat inquirere utrum tempus suppetat necne Romam recurrendi vel grave huic recursui obstet incommodum; parochi proinde possunt, casu occurrente, ab Episcopo dispen-

(1) In memoriam revocamus quod apud *Collat.*, l. c. notavimus, nimirum 1/ hoc indultum restringi ad impedimenta super quibus dispensandis respective gaudet apostolica facultate; adeoque statim ac intervenit impedimentum, cujus dispensatio reservatur S. Sedi, jam integrum negotium esse S. Pontifici committendum; 2/ ipsum non esse usui Episcopo nisi pro solo casu quo multiplicantur *impedimenta fori externi;* siquidem aliunde habet Episcopus facultatem dispensandi tum super pluribus impedimentis fori interni simul concurrentibus, tum super impedimento fori externi concurrente cum impedimento fori interni.

sationem obtinere *etiam extra urgentem necessitatem*, nec adeo amplius locus est monito l. c. ad parochos directo ut Ordinarium, in supplica ad ipsum mittenda, certiorem faciant de temporis mora ante nuptias celebrandas relicta.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Juillet.

Les conseils de fabriques s'assembleront en séance ordinaire le 3 Juillet, 1er Dimanche du mois, conformément à l'art. 10 du Décret de 1809.

L'objet de leurs délibérations sera principalement d'examiner et de voter le budget pour l'exercice de 1905 (1).

Le budget de la fabrique doit être, avant le 15 Août, transmis en quadruple expédition et avec toutes les pièces à l'appui, à chaque commune intéressée. Le conseil communal en délibérera avant de voter le budget de la commune, et donnera *son avis*. (a. 1, 2. 14 de la loi du 4 Mars 1870.)

Le budget ne constituant que l'état par aperçu des recettes et des dépenses que l'on prévoit devoir être faites dans le cours de l'exercice suivant, il faut, pour qu'il soit exécutable, que les pièces justificatives requises y soient jointes. Ces pièces justificatives s'entendent des actes d'autorisation dont sont susceptibles certaines allocations du budget des recettes et certains crédits du budget des dépenses.

(1) a. 47 du décret de 1809 combiné avec l'a. 1 de la loi de 1870. L'interprétation de ces deux articles, suivie en pratique, a été confirmée administrativement par une circulaire du Gouverneur de la Province de Namur en date du 6 Juin 1899; cf. *Coll. Namurc.*, I, p. 33.

Il est nécessaire d'y ajouter les explications de toutes les modifications d'une certaine importance, apportées au présent budget sur les recettes et les dépenses des comptes antérieurs.

Voir sur la confection régulière et l'examen du budget De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, T. II, nº 1089 sv., p. 393 ss.; *Coll. Brug.* T. I, p. 309 ss., 368 ss.; II, 349; *Collationes Namurcenses*, T. I, p. 33 ss.

Ex Secretaria Brevium

Pius X Piam Unionem Apost. sæcularium sacerdotum condigna laude extollit, indulgentiisque et privilegiis in perpetuum cumulat.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis nihil antiquius sit quam ut viri in sortem Domini vocati constanti christianarum virtutum laude florescant, ac veluti lucernæ super candelabrum positæ exemplo populi præfulgeant, quæ in Cleri Catholici bonum, ædificationem et spirituale emolumentum cedant, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, Apostolica quidem Auctoritate interposita, paterno studio provehere satagimus. Quare non sine magna animi Nostri consolatione compertum habemus, pium opus ab Unione Apostolica sæcularium Sacerdotum appellatum, jam inde ab anno MDCCCLXII in Gallia erectum, nunc, annuentibus Episcopis, plurimas totius christiani orbis diœceses pervasisse, et modo in Gallia, Belgio, Anglia, Scotia, Hibernia, Germania, Helvetia, Italia, fœderatis Americæ Septentrionalis statibus, Canadensi ditione, America Meridionali, Australasia, et in nonnullis etiam Asiæ regionibus florere, atque uberes edere in Dominico agro pietatis et sanctimoniæ fructus. Hoc enim institutum, cujus et Nosmet Ipsi olim fuimus Alumni, cujusque utilitatem atque excellentiam experti, vel in Episcopali dignitate constituti participes esse voluimus, proposita universis sociis uniformi vitæ ratione, menstruis conventibus, spiritualibus conloquiis, gestorum propriorum nota Præpositis suo tempore reddita, aliisque aptis charitatis officiis Cleri unitatem tuetur, firmat, sparsosque Levitas spiritualis fraternæ dilectionis vinculo devincit. Inde mira sodalium concordia, mutua ædificatio, sanctius servatus vocationis spiritus, et, amoto solitudinis periculo, coalescentibus in unum multorum viribus, quisque Sacerdos in communem

utilitatem ac perfectionem animum intendit, et, licet variis ministerii sui curis distractus, communi contubernio non utatur, tamen nec se a familia desertum sentit nec fratrum auxilio consilioque caret. Idcirco Decessor Noster ve: me: Leo PP. XIII, Episcoporum plausu et commendationibus adductus, datis Apostolicis Litteris die XXXI Maii anno MDCCCLXXX, frugiferum hoc institutum probavit atque amplissimo laudis præconio prosequutus est, eique postea, anno MDCCCLXXXVII, cla: me: Lucidum Mariam S. R. E. Episcopum Cardinalem Parocchi Protectorem adsignavit. Nos vero animo repetentes, hoc potissimum tam gravi tempore, quam utile ac salutare sit Ecclesiæ Dei institutum hujusmodi, probe noscentes Sacerdotes qui ad illud pertinent, præ omnibus optimos esse, votis dilecti filii Victoris Lebourier canonici ornamentarii Aurelianensis et prælati Nostri Domestici, fundatoris benemeriti et quadraginta duobus jam inde ab annis Apostolicæ Unionis Moderatoris Generalis, ultro libenterque annuimus, atque in ipsius instituti bonum atque incrementum hæc quæ infrascripta sunt decernimus.

Et primo ut cunctis pateat quæ sit Nostra erga memoratam Unionem voluntas, in singulare paternæ Nostræ dilectionis testimonium, ejusdem Instituti Patrocinium Nos Ipsi assumimus Nobisque reservamus. Præterea, quo Sacerdotes in Apostolicam Unionem adlecti opportuno spiritualium gratiarum præsidio firmentur, atque eadem singularia Indulgentiarum munera moveant alios, ut, sibi reique sacræ efficacius prospecturi, saluberrimæ huic consociationi dent nomen, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Apostolica Nostra Auctoritate, præsentium vi perpetuumque in modum, omnibus ac singulis Sacerdotibus ubique terrarum degentibus, qui nunc et in posterum sese huic Apostolicæ Unioni, emissa rite prius professionis formula, mancipaverint, donec in ea perseverent, si quotannis, Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis et SS. Corporis Domini Nostri Jesu Christi, item Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ festivitatibus, nec non quolibet festo die sanctorum duodecim Apostolorum, admisso-

rum confessione prius expiati, vel Missam celebrent vel ad sacram Synaxim accedant, simulque quamlibet Ecclesiam sive publicum Sacellum visitent, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo præfatorum die id agant, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis nunc et in posterum eamdem in Unionem adjectis Sacerdotibus, quoties menstruam vitæ rationis notam ad respectivum Superiorem Diœcesanum juxta instituti tabulas mittant, et contrito saltem corde, semel ad Romani Pontificis mentem, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam et Trisagium recitent; vel pariter, contrito saltem corde, menstruo communi recessui intersint, in forma Ecclesiæ consueta, de numero pœnalium dierum centum expungimus. Item concedimus ut partiali hac Indulgentia fruantur etiam Presbyteri, qui, licet Apostolicæ Unioni non sint inscripti, menstruum tamen secessum una cum sociis celebrent; tandem largimur, ut, si malint, singulis ac universis liceat plenariis hisce ac partialibus Indulgentiis vita functorum labes pœnasque expiare. Facultatem quoque præsentibus ac futuris Apostolicæ Unionis sodalibus, auctoritate Nostra, facimus peragendi gravibus de causis Missæ Sacrificium vel una ante auroram hora; iisdemque Apostolicum Missarum privilegium ita tribuimus, ut quandocumque quisque e præfatis sociis Missam pro anima cujuscumque christifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad quodvis cujusque Ecclesiæ altare rite celebraverit, idem Sacrum, ter dumtaxat qualibet hebdomada, animæ pro qua celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare peractum.

Tandem sodalibus ipsis Apostolicæ Unionis nunc et in posterum ubique terrarum exsistentibus facultatem per præsentes largimur, ex qua, extra Urbem, de consensu Ordinarii loci in quo hanc exercuerint facultatem, cruces, Crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas Domini Nostri Jesu Christi, B. Mariæ Virginis Immaculatæ et omnium Sanctorum metallicas statuas, cum applicatione omnium et singularum Indulgentiarum, quæ in elencho edito

typis S. Congregationis de Propaganda Fide, die XXVIII Augusti mensis, anno MCMIII (1), numerantur, et quoad coronas precatorias non excepta Indulgentiarum applicatione S. Birgittæ nuncupatarum, in forma Ecclesiæ consueta, tempore Missionum et Spiritualium Exercitiorum publice, aliis vero temporibus privatim benedicere possint: itemque sodalibus dictis, servatis servandis, facultatem facimus, cujus vi, dummodo sint ad sacras conciones habendas approbati, novissimo die sacrarum concionum Quadragesimæ, Adventus, Missionum et Spiritualium Exercitiorum, Christiano populo cum Crucifixo ac sub unico signo Crucis, juxta ritum formulamque præscriptam, cum plenaria addita Indulgentia ita benedicere queant, ut fideles ex utroque sexu, qui saltem ultra medietatem dierum, quibus eædem conciones respective perduraverint, interfuerint, et vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti, Ecclesiam seu Sacellum in quo respectivæ conciones habitæ fuerint, eodem die devote visitent, ibique pro S. Matris Ecclesiæ exaltatione, Principum Christianorum unione, peccatorum conversione ac hæresum extirpatione oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem lucrari valeant. Non obstantibus Nostra ac Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ præmunitis, eadem prorsus adhibeatur fides quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Aloys. Card. MACCHI.

(L. ✠ S.)

Adnotationes. — *Unio Apostolica sæcularium Sacerdotum* primum habuit institutorem in Germania Venerab.

---

(1) Cfr. *supra*, p. 60.

B. Holzhauser († 1638) (1); in forma verò sua actuali, paululum immutata, attentis hodiernis moribus vitæ sæcularium sacerdotum, erecta denuò fuit in Gallia anno 1862 auctore V. Lebeurier et inde ab anno 1872 varias Belgii diœceses pervasit (2). Hoc pium opus, quod jam Pius IX probaverat et Leo XIII amplissimo laudis præconio prosequutus erat, nunc, statim ab initio pontificatus sui, SS^mus^ Dominus Pius PP. X condigna laude extollit et indulgentiis atque privilegiis in perpetuum cumulat, eo fine ut « Sacerdotes in Apostolicam Unionem adlecti opportuno spiritualium gratiarum præsidio firmentur, atque eadem singularia indulgentiarum munera *moveant alios ut sibi reique sacræ efficacius prospecturi, saluberrimæ huic consociationi dent nomen* ». Animo enim repetens « hoc potissimum tam gravi tempore quam utile ac salutare sit Ecclesiæ Dei institutum hujusmodi », cujus, ut Ipse testatur, olim alumnus fuit, cujusque utilitatem atque excellentiam expertus vel in Episcopali dignitate constitutus particeps esse voluit, atque adeo probe noscens « Sacerdotes qui ad illud pertinent præ omnibus optimos esse », hoc institutum singulari paternæ suæ dilectionis testimonio prosequitur, quippe quod efficax est adjumentum quo Sacerdotes, qui Christum in aliis formare debent, ipsimet priores Christum induant, et sic utilem conferant operam Pontifici intendenti *instaurare omnia in Christo* (3). Nonne, hoc speciatim tempore, hæc conso-

(1) Cfr. v. g. Gaduel, *Vie du Serviteur de Dieu, Barthélemy Holzhauser*, Orléans et Paris, 1e éd. 1861 ; O. Coppin, *Le Serviteur de Dieu Barthelemy Holzhauser. — Sa vie et ses œuvres* (Tournai, Casterman); Wetzer und Welte's *Kirchenlexikon*, zweite Auflage, V° *Holzhauser*.

(2) Cfr. *L'Union Sacerdotale, son histoire, son esprit, ses constitutions fondamentales, ses avantages*, etc., par l'abbé Omer Coppin, Curé de Saint-Servais (Namur), 5e édition, Namur, 1902. — Anno 1878 erecta fuit Unio Apostolica in diœcesi Brugensi; illius nunc Præses generalis existit Rev. adm. Dom. Vuylsteke, Director sororum Maricolarum, a quo, quidquid ad notitiam consociationis pertinet, obtineri potest.

(3) Cfr. Epist. encycl. *E supremi apostolatus*, 4 Octobris 1903, ap. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 581 sqq.

ciatio medium erit occurrendi periculo, quod nuper indigitabat Ill^s ac Rev^s Episcopus Brugensis, ne sacerdotes, in præsentibus circumstantiis tot exteriorum operum cura distenti, tanta rerum alio spectantium sollicitudine occupati, princeps suum orationis officium minus diligenter, minus fervide, minus accurate adimpleant (1); « ne tempus ita insumatur operibus sic dictis socialibus...., ut ministerium spirituale doctrinæ ac sacramentorum negligatur aut postponatur » (2)? Quare mirum non est Ill^m ac Rev^m Episcopum Brugensem, ante Breve Pii X, Unionem Apostolicam, vigesimum quintum annum (1878-1903) erectionis celebraturam, laudasse et approbasse (3).

Juvat hic exhibere **summarium indulgentiarum et privilegiorum**, quibus hodie fruuntur sodales Unionis Apostolicæ (4).

I. **Ante præsens Breve Pii PP. X** (5).

A/ **Indulgentiæ**: 1/ *plenaria,* in die admissionis, quo np. fit propositum stabilitatis, sub conditione confessionis et communionis (Leo XIII, 18 Julii 1891, in perpetuum).

2/ *partialis centum dierum,* semel in die, pro recita-

---

(1) Cfr. *Acta Congreg. prosynodalis,* 13 Maii 1902, apud *Collat. Brug.*, T. VII, p. 338.

(2) Cfr. *Acta Congreg. prosyn.*, 21 Maii 1901, apud *Collat. Brug*, T. VI, p. 388; lege etiam *Acta Congreg. prosyn.*, 26 Maii 1903, apud *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 413 sqq.

(3) En verba Rev^mi: « Elle [cette Œuvre] mérite toute approbation. Car elle est un excellent moyen d'entretenir l'esprit de prière et l'esprit d'étude; je m'abstiens toutefois de donner une approbation publique et solennelle pour que les entrées se fassent, non pas pour plaire à l'autorité, mais avec pleine liberté, par suite, avec volonté spontanée et ferme d'observer le règlement. Veuillez cependant dire aux membres que je préfère qu'ils fassent leur retraite, même annuelle, dans le diocèse ». Voir circ. du Préfet général, du 24 Décembre 1903 (n° 95).

(4) Notari potest consociationem cleri sæcularis in diœcesi Brugensi existentem certocertius gaudere illis indulgentiis et privilegiis, uti constat ex epistola Præsidis generalis ad sodales 23 Martii 1904 (n° 96).

(5) Cf. Beringer, *Les indulgences,* trad. française, 2e éd. (Paris 1893), T. II, p. 330.

tione orationis: *Domine Jesu....*, ad petendum spiritum D. N. J. C. (Leo XIII, 14 Sept. 1897).

B/ **Privilegia** (1): 1/ Facultas recitationem matutini cum Laudibus ab hora secunda pridie anticipandi, renovata ad decennium (Leo XIII, 7 Junii 1901).

2/ Facultas applicandi Crucifixis indulgentias Viæ Crucis (Min. Gen. Fratrum Minorum, 9 Maii 1900, ad decennium). (2)

II. **Per præsens Breve Pii PP. X**, 28 Decembris 1903.

Imprimis patrocinium Instituti Pius X ipse assumit sibique reservat ; insuper amplissima concedere dignatur privilegia. Sunt np.

A/ **Indulgentiæ**: 1/ *plenariæ :* in festivitatibus Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini; item Imm. Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis B. M. Virginis necnon quolibet festo die duodecim Apostolorum. — *Conditiones :* Confessio et celebratio Missæ vel S. Communio, visitatio ecclesiæ sive publici sacelli ibique precum effusio ad intentiones Sanctitatis Suæ.

2/ *Partiales* a/ *centum dierum :* quoties sodales menstruam vitæ rationis notam juxta instituti tabulas mittant, dummodo contrito saltem corde ad intentiones Rom. Pontificis semel *Pater, Ave et Trisagium* recitent.

b/ item *centum dierum :* quoties contrito corde intersunt menstruo *communi* recessui.

Nota. Hanc indulgentiam lucrari quoque valent sacerdotes, qui licet Apostolicæ Unioni non sint inscripti, menstruum tamen recessum *una cum sociis* (scil. Sodalibus Unionis Apostolicæ) celebrant.

---

(1) Indicamus dumtaxat duas facultates, utpote magis usuales. Reliquas vide apud Beringer, *l. cit.*

(2) Benedictio fit per *simplex signum crucis*, cum intentione applicandi indulgentias Viæ Crucis. Cf. Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 356. Vide *ibid.*, p. 353 sqq. conditiones implendas.

Hæ omnes indulgentiæ, tum plenariæ tum partiales, defunctis applicari possunt.

B/ **Privilegia**: 1/ Facultas peragendi *gravibus de causis* Missæ sacrificium vel una ante auroram hora.

2/ Indultum altaris privilegiati *personalis, ter in hebdomada.*

3/ Facultas benedicendi Cruces, crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas statuas metallicas, *cum applicatione indulgentiarum Apostolicarum* (1), et quoad coronas precatorias, non excepta applicatione indulgentiarum *S. Brigittæ* nuncupatarum.

Nota hanc facultatem exerceri posse tantum *extra urbem Romam* et *de consensu Ordinarii* loci in quo exercetur (2), et quidem *privatim*, nisi tempore missionum et spiritualium exercitiorum; insuper hanc benedictionem fieri debere *in forma Ecclesiæ consueta:* quæ verba non significant requiri quamdam formulam specialem; sed nullus alius ritus est necessarius præter *simplex signum crucis* manu efformatum super res benedicendas, absque pronuntiatione formulæ et sine aspersione aquæ benedictæ, cum intentione benedicendi objecta pia iisque applicandi indulgentias; idem dicendum pro adnectendis indulgentiis S. Brigittæ a sacerdote qui accepit hanc facultatem simul cum potestate applicandi indulgentias Apostolicas (3). Attamen, quando

---

(1) Habes elenchum hoc tomo, p. 60 sqq.

(2) Ille consensus requiritur dumtaxat ut *licite* quis utatur illa facultate. « Hic autem consensus optandum est ut sit expressus; sufficit tamen tacitus vel implicitus, et in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequeat, sufficit etiam consensus prudenter præsumptus ». S. C. Indulg. 14 Junii 1901, apud *Collat. Brug.*, T. VI, p. 544. Cf. etiam *Analecta ecclesiastica*, an. 1901, p. 299; *Rev. théol. française*, T. VII, p. 471 ss. — Practice *singuli* petant consensum Ordinarii, puta per Præsidem generalem.

(3) S. C. Indulg. *Decr. auth.*, n. 281, ad 5; n. 313, ad 2; n. 401. Cfr. P. Mocchegiani a Monsano, *Collectio indulgentiarum* (1897), n. 630 sqq.; Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 329, qui ibidem notat ex *Nouv. rev. théol.*, T. XIX, p. 679, unico signo crucis, cum intentione eas simul applicandi, applicari posse indulgentias Apostolicas et S. Brigittæ. Cf. etiam *Nouv. rev. théol.*, T. XXVIII, p. 172 ss.

benedictio fit in ecclesia et præsentibus fidelibus, convenienter adhibetur formula, quæ invenitur in recentioribus editionibus *Ritualis Romani* et in *Florilegio* Ampl^mi D. De Schrevel, p. 320.

Videtur insuper dicendum quod « ut *valide* præfata facultas exerceatur opus erit, ut Sacerdos ad excipiendas Sacramentales Confessiones, saltem virorum, sit approbatus (1) ».

4/ Facultas pro sodalibus *approbatis ad prædicationem,* dandi *Benedictionem Apostolicam* novissimo die sacrarum concionum quadragesimæ, adventus, missionum et spiritualium exercitiorum.

Benedictio fieri debet *cum Crucifixo*, et *sub unico signo Crucis* (trina enim benedictio reservatur Episcopo), *juxta ritum formulamque præscriptam* (Cf. *Rituale Romanum: Methodus indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni... ; Florilegium,* p. 326).

Sedulo notentur *conditiones* requisitæ in Brevi ut fideles indulgentiam plenariam huic benedictioni adnexam lucrari valeant.

Nota. Indulgentiæ ac privilegia conceduntur *in perpetuum* « omnibus ac singulis sacerdotibus ubique terrarum degentibus qui nunc et in posterum sese huic Apostolicæ Unioni, *emissa rite prius professionis formula*, mancipaverint, donec in ea perseverent ». Emitti proinde prius debet formula professionis seu, ut in pluribus præscribitur consociationibus (v. g. diœceseos Brugensis), *propositum stabilitatis* rite efformari debet.

H. M.

---

(1) Instr. S. C. Indulg. 14 Junii 1901 (*Collat. Brug.*, T. VI, p. 544). Dicimus: *videtur* dicendum, quia præsens Breve non indicat expresse illam conditionem. Practice tamen, ne indulgentiæ exponantur periculo nullitatis, tutius erit ut non utatur hac facultate nisi sacerdos approbatus: huic ceterum interpretationi favent termini generales *Instructionis* citatæ. Cf. *Rev. théol. française,* T. VII, p. 469 ss.

Libri dijudicantur.

De Acht zaligheden van het christendom en de beloften van het Socialismus, door *Hermann J. Schmitz*, hulpbisschop van Keulen, uit het hoogduitsch in 't vlaamsch vertaald door *C. De Jonghe*, p. XX — 280 pet. in 8°; 2 fr. — Rousselare, J. De Meester.

Quantopere ad sanationem mali quo hodierna societas laborat, virtutes christianæ conferre possint ac debeant, nemo non videt. Nonne dixit sapientissimus Pontifex Leo XIII: « Si societati generis humani medendum est, revocatio vitæ institutorumque christianorum sola medebitur? » (1) Nonne si antiqua charitas atque justitia floreret christiana, arctiori inter se vinculo variæ humani convictus classes consociarentur? Hanc summi momenti veritatem quam nemo inficias ibit, plures non satis perpendere videntur. Jure merito igitur Ill^s Auctor, legem fundamentalem societatis christianæ, octo beatitudinibus expressam, concionatorio modo exponere, eamque placitis socialistarum practice (2) inspectis opponere, aggressus est.

Quam felici conatu propositum scopum fuerit assecutus; quam præclaro simul ac ornato dicendi genere, et quam accommodate ad popularem intelligentiam, A. veræ i. e. christianæ beatitudinis legem exposuerit atque rationem, mirabitur quicumque octo illas de specialibus virtutibus conciones perlegerit. Unicuique concioni præmittitur argumentum analyticum satis evolutum: unde ex illis concionibus — æquo forsan longioribus, — ea seligere atque excerpere poterit orator sacer, quæ pro circumstantiis proponenda videbuntur.

---

(1) Encycl. *Rerum Novarum*.

(2) Quod meritò notat A. in *Præfat.*, p. XVIII s.

Mentem auctoris interpres fideliter quidem, sed eleganti simul atque exculto sermone expressit.

A. C.

*
* *

Practijsch Onderwijs in den Mechelschen Catechismus DOOR KAN. DE WEERDT, S. T. L. *Oud-leeraar in het groot Seminarie van Mechelen.* Nieuwe, vermeerderde uitgave. — Mechelen, P. Ryckmans, 1904 (1,80 fr.).

Hæc jam altera prodiit editio egregii operis cujus indolem ac dotes antea nostris lectoribus notas fecimus (Cf. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 410 et p. 689). Opus suum cl. A. nunc summa cum cura recognovit et adauxit: in uno alterove loco perfectius *historicam* methodum accommodavit doctrinæ christianæ explicandæ; quædam adjunxit utilia, v. gr. compendium vitæ S. Joannis Berchmans (p. 127), explanationem Salutationis angelicæ (p. 133).

Ad lectionem ubi *de blasphemia* est agendum clare et prudenter exponit A. ea quæ continentur in instructione RR. Episcoporum Belgii.

Passim in opere pro materiæ tractandæ opportunitate adjicit cl. A. ea quæ spectant *anni liturgici* partes, præcipua ejus festa ac cæremonias: ita ut integra de anno liturgico expositio facile inveniri possit: quod constabit inspicienti indicem rerum, p. 366.

Prælaudatum igitur opus perutile censemus et enixe commendamus catechistis omnibus tum clericis, tum laicis: clericis quidem quia in illo invenient omnia quæ requiruntur ad pueros edocendos de veritatibus religionis christianæ et simul optimam docendi rationem; laïcis etiam quia ipsi amplam inde ac solidam cognitionem religionis christianæ exhaurient et etiam hac methodo quam adhibet cl. A. juvabuntur efficaciter in munere præbendi intellectui puerorum cognitionem veritatis et movendi ipsorum voluntatem in amorem Boni.

J. V. D. M.

Manuel Social. — La législation et les œuvres en Belgique, par A. VERMEERSCH, S. J. Nouvelle édition, refondue et considérablement augmentée. Louvain, A. Uystpruyst 1904, p. XXXIX et 1009 gr. in-8°. Prix 10 fr.

Nous avons signalé, il y a quelque temps (1), à l'attention particulière de nos lecteurs la première édition de l'excellent *Manuel Social* du R. P. Vermeersch. Cet ouvrage, comme toutes les publications dues à la plume aussi autorisée que féconde de l'éminent auteur, a obtenu un succès bien mérité. Tous ceux qui s'intéressent aux questions sociales ou se dévouent dans la pratique des œuvres, ont été unanimes à remercier le R. P. Vermeersch d'avoir mis sa haute compétence et un labeur aussi considérable au service d'une si noble cause; tous ont fait un vif éloge de cette magistrale synthèse dans laquelle l'auteur a exposé d'une part la législation sociale belge et les multiples organismes officiels auxquels elle a donné naissance, et d'autre part les institutions variées et les œuvres diverses inspirées par les inépuisables industries du zèle et du dévouement chrétiens.

Nous nous faisons un devoir et un plaisir de recommander tout spécialement aux membres du clergé et à tous ceux qui s'occupent d'œuvres sociales la seconde édition de ce remarquable travail. Cette nouvelle édition est « refondue et considérablement augmentée ». La formule conventionnelle qui nous a fait sourire bien des fois, tant on en abuse, n'est pas chez le R. P. Vermeersch un vain mot. Le présent volume, comme sa seule étendue le prouve, « n'est pas tant une seconde édition, qu'un ouvrage nouveau et plus complet, succédant à un premier essai » (2).

---

(1) Voir *Collat. Brug.* 1900, p. 213 ss.
(2) *Avant-propos*, p. V.

Dans la dernière période triennale, en effet, notre législation sociale a été complétée ; les œuvres se sont développées d'une façon prodigieuse et le mouvement syndical, coopératif et mutualiste s'est affirmé avec une rapidité et une intensité remarquables. Le savant auteur, au prix de patientes et consciencieuses recherches, a mis, sur toutes les questions, son ouvrage au point; il s'est efforcé — et le succès a pleinement répondu à l'effort — d'en justifier davantage encore le titre par des renseignements plus abondants et plus exacts et par une orientation pratique plus marquée (1). Il a puisé ses renseignements aux meilleures sources : il connaît les documents officiels et toute la littérature sociologique belge ; il a fait des enquêtes sur place ; il a interrogé les gens d'expérience.

Une table analytique très détaillée et plusieurs tables alphabétiques complètes (des matières, des institutions et des œuvres, des noms de personnes) achèvent de rendre le *Manuel* pratique, et facilitent l'exploitation de cette mine, si riche en renseignements, en projets de réforme, conseils d'organisation et en exemples suggestifs.

La clarté et l'énergie de pensée, l'originalité et la sincérité de l'expression, la précision et la limpidité du style rendent la lecture de l'ouvrage particulièrement attachante.

Le *Manuel* sera désormais le vade-mecum indispensable de tous ceux qui dans notre catholique Belgique, unissent leurs efforts pour la sainte cause de la rénovation et de la pacification sociales.

A. C.

---

(1) *Ibid.* Voir, entre autres, les Appendices et les Annexes documentaires.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 17 Maii 1904, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam, omnes Amplissimi ac Reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Præcelsa ac plane divina sunt sacerdotalia munia, quorum sacerdoti maxime proprium longeque excellentissimum, nempe munus offerendi divinæ majestati sacrificium, olim copioso sermone in hoc nostro conventu annuo prosecuti sumus. Alterum similiter officium, orandi Deumque deprecandi, fusius explicavimus; atque recentius, videlicet anno proxime elapso, agere incepimus de tertio munere sacerdotali, ministrandi sacra. Quod quidem complectitur potissimum duo: ministerium verbi et confectionem necnon administrationem sacramentorum.

De officio autem docendi, utpote quod natura et ordine primum locum tenet in ministerio sacro, primo agendum erat actumque est in ultimo conventu nostro. In præsenti concione alteram ex his præcipuis ministerii sacri partibus exponendam aggredimur, quæ est administratio sacramentorum.

Et fundamenti quidem instar totius tractationis declaranda præprimis est summa sacramentorum novæ Legis præstantia, utpote qua rite perspecta illico pateat quam vivida fide, quanta cura, solicitudine atque solertia conficienda sunt ac ministranda, quanta reverentia tum animi interna, tum totius habitus corporis externa, quanta mentis puritate ac devotione sunt pertractanda.

Itaque, sacramentum novæ Legis cum sit res quædam sensibilis a Christo institutore sanctificata et assumpta ad

significandam et efficienter conferendam gratiam, applicando generi humano merita ejusdem Christi Redemptoris, sub multiplici respectu considerari potest: scilicet, primo relate ad ipsam naturam sensibilem, quæ in instrumentum sanctificationis assumitur; tum secundo in relatione ad Christum institutorem; necnon tertio cum respectu ad Deum auctorem principalem gratiæ; deinde quarto secundum habitum suum ad humanum genus; præterea quinto in sua relatione ad sacramenta antiqua, necnon sexto ad Ecclesiam a divino Servatore constitutam; atque tandem septimo in ordine ad futuram civitatem cœlestem. Quovis autem sub habitu hujusmodi consideretur sacramentum, elucet maxima sacramentorum generatim omnium præstantia; quorum præterea singula ex propria sua natura singularem quamdam dignitatem sibi vindicant, quæ quidem dignitas præcellens est et vere summa in augustissimo ac divinissimo altaris sacramento.

Re quidem vera, 1° in sacramentis omnibus natura sensibilis sublimatur et ad supernaturalem quamdam excellentiam et efficaciam extollitur, cum Spiritus sancti instrumentum est ad effectus tam stupendos tamque divinos sanctificationis animarum: « Invocato Deo supervenit statim Spiritus de cœlis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. » Ita Tertullianus loquitur de baptismo (1). Cyrillus vero Hierosolymitanus de chrismate confirmationis: « Vide, *ait,* ne illud unguentum vulgare esse suspiceris. Nam sicut panis Eucharistiæ post invocationem sancti Spiritus non amplius est panis communis sed corpus Christi, sic et hoc sacrum unguentum, post invocationem non amplius simplex, aut si dicere mavis, commune est; sed est Christi et Spiritus sancti donarium, quod præsentia divinitatis ejus fit efficax... Et visibili unguento corpus quidem ungitur, sancto autem et vivifico Spiritu anima sanctificatur (2). »

Hinc merito dicitur natura sensibilis in sacramentis maxime assequi finem suum, scilicet inserviendi naturæ ratio-

---

(1) *De Baptismo,* C. 4.

(2) *Catech.* XXI, *mystag.* III, n. 3. — Cf. S. Basil., *De Spiritu s.*, C. XV, n. 35; Cyr. Alex., *in Joan.*, III, 5; Chrysost., *in Jo.*, hom. XXVI, al. XXV, n. 1; S. Leo M., Sermo de nat. Dom. IV et V. etc.

nali ad consecutionem finis, in quem hæc creata atque a Deo constituta fuit; et, cum in sacramentis natura sensibilis instrumentum fit reparationis humanæ atque benedictionis, jam anticipatur illa redemptio, quam docente Apostolo Paulo (1) modo aspirat et qua liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Si jam 2° sacramenta cum respectu ad Christum considerentur, eadem haud incongrue inveniuntur esse quædam Verbi incarnati adumbrationes: etenim Verbo incarnato, uti advertit S. Thomas, « sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum (2). » Et porro, quemadmodum in humana natura assumpta latebat divinitas, quæ illam gestabat atque per eam operabatur nostram salutem, ita sacramentum visibile continet invisibilem gratiam, quæ per ritum visibilem significatur atque efficitur.

Sicut igitur sacratissima humanitas Christi instrumentum est conjunctum divinitatis ad nostram sanctificationem, ita sacramenta sunt ejusdem divinitatis instrumenta separata ad gratiam conferendam. Est enim « duplex instrumentum, unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem conjunctum, ut manus. Per instrumentum autem conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum conjunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum: et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa sacramenta derivetur. » Ita D. Thomas (3).

Imo ritus sacramentalis quadamtenus ipsa actio et operatio Christi est: etenim ut loquitur idem S. Doctor: « interiorem sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter. Nam, secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo,

---

(1) *Ad Rom.*, VIII. 19 sq.
(2) 3, q. 60, a. 6, in corp.
(3) 3, q. 62, a. 5, in corp.

operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus... Sed tamen quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ (seu sacramenta a ministris confecta) ..... Et ideo sicut Christus, inquantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis: ita, inquantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiæ. Quæ quidem consistit in quatuor. Primo quidem in hoc, quod meritum et virtus passionis ejus operatur in sacramentis... Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem (secundum illud *Rom.*, III, *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius)* quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur, ideo secundo ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex ejus institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre (1). »

Paucis verbis: sacramenta dici possunt operationes Christi: quemadmodum enim Christus per sanctissimam humanitatem suam, tamquam per instrumentum conjunctum, loquendo, tangendo etc. remittebat peccata, sanctificabat, sanctum dabat Spiritum: ita mediante sacramento, a suis ministris confecto atque administrato ipsius nomine ac auctoritate, tamquam instrumento separato ipse peccata delet, sanctificat, utpote principalis gratiæ minister per potestatem excellentiæ, ut solemniter contra donatistas propu-

(1) 3, q. 64, a. 3, in corp.

gnatum fuit : « Non mundavit Damasus, *inquit Ambrosius* (1), non mundavit Petrus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius ; nostra enim servitia, sed tua sunt munera. Neque enim humanæ opis est divina conferre, sed tuum, Domine, munus et Patris est, qui locutus es per prophetas dicens : *Effundam de Spiritu meo* etc. (2). » Hinc apparent sacramenta tamquam extensio et veluti multiplicatio virtutis sanctificatricis Christi Salvatoris, qui modo per illa, non ut olim in Palæstina quibusdam e Judæis, gratiam ac remissionem peccatorum concedit, sed omnibus cujusvis gentis atque loci, adeo ut, omnibus se Redemptorem exhibens, ratione sacramentorum maxime dici possit in sua Ecclesia vivere illudque suum opus, quod visibilis in terra degens inchoavit, continuare atque complere.

3° Secundum relationem suam ad Deum accepta, sunt sacramenta vere mirabilia divinæ omnipotentiæ : quid enim mirabilius quam Deum per vilia et infirma elementa tam stupendos operari effectus, delere peccata, ex filiis iræ efficere filios Dei adoptivos, sanctificare animas, conferre Spiritum sanctum. « Unde ista tanta virtus aquæ, *ait Augustinus* (3), ut corpus tangat et cor abluat ? » Sunt sacramenta pignora divinæ bonitatis ac munificentiæ : si enim per ea Deus tanta tamque insignia bona præbet, quid daturus est in gloria ? Sunt denique inventa miranda divinæ sapientiæ : quavis enim sub ratione ea consideremus, summa institutoris sapientia undequaque elucet.

« Sapientia divina, *ait Doctor Angelicus* (4), unicuique rei providet secundum suum modum : et propter hoc dicitur, *Sap.*, VIII, quod suaviter disponit omnia. Unde et *Matth.*, XXV, dicitur quod dedit unicuique secundum propriam virtutem. Est autem homini connaturale ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde, cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sunt quædam spiritualia et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur,

---

(1) *Prol. de Spir. s.*, n. 18.
(2) *Joël*, II, 20 sq.
(3) *Tr.* 80 *in Jo.*, n. 3.
(4) 3, q. 60, a. 4, in corp.

consequens est ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur: sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in divina scriptura res spirituales describuntur. » Eamdem rationem seu causam, cur sacramenta institui oportuerit, exponit Catechismus Concilii Tridentini (1), atque concludit dicens: « Ut igitur, quæ occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissime fecit, ut eam ipsam virtutem aliquibus signis, quæ sub sensum cadant, pro sua in nos benignitate declaret: nam ut præclare a sancto Chrysostomo (2) dictum est: Si homo corporis conjunctione caruisset, nuda ipsa bona, neque ullis integumentis involuta ipsi oblata essent: quoniam vero anima corpori conjuncta est, omnino opus fuit ut rerum, quæ sentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda uteretur. » Aliam causam, modo expositæ affinem, cur in rebus sensibilibus Deus nobis constituerit fontes gratiæ, affert ibidem, sexto seu ultimo loco Catechismus Romanus, sapientiam atque benignitatem divinam pariter commendans: « Postremo, *ait*, quod in christianæ pietatis studio plurimi faciendum est, humanæ mentis superbiam edomant ac comprimunt (sacramenta), nosque ad humilitatem exercent, dum sensibilium elementis subjicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus. »

Tertiam rationem addit alio in loco (3) S. Thomas, desumptam « ex studio actionis humanæ, quæ præcipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad vitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. »

Has dein tres rationes breviter complectitur concludendo: « Sic igitur per sacramentorum institutionem, homo convenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia

---

(1) Parte II, cap. I, n. XIII.
(2) *Hom.* 83 in Matth. et *hom.* 60 ad pop. Antioch.
(3) 3, q. 61, a. 1, in corp.

subvenitur; præservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum. »

Neque defuerunt divinæ sapientiæ et aliæ plurimæ rationes cur in rebus externis et signis constituerit sacramenta salutis, quas longius expositas in eodem Catechismo Concilii, breviter indicamus: videlicet, ideo Christus quædam signa oculis et sensibus subjecta instituit, ut eum iisdem quasi pignoribus obligatum haberemus atque ita fidelem in promissis futurum dubitare numquam possemus (August., lib. IV de bapt. c. donatist., c. 24); sicut in antiqua lege Deus verba et promissa sua signis multimodis firmavit. Præterea, sacramenta externa sapienter instituta sunt, tamquam notæ quædam ac symbola, quibus fideles internoscerentur, ita ut eadem sacramenta christianæ fidei cultores et ab infidelibus distinguant, et fideles sancto quodam vinculo inter se connectant. Tandem sacramentis, ut patet, palam profitemur fidem; sed et continuo admonemur necessitatis servandæ charitatis, cum iisdem sacramentis unum corpus effectos arctissimo vinculo hinc cum Christo capite inde cum proximis nostris, membris Christi, colligatos manere deceat.

Porro, signum sacramentale cum rebus ac verbis constet ceu materia ac forma, et sapientissime materiam fuisse a Deo electam, et convenientissime rebus adjuncta fuisse verba demonstratur. Primum delectabiliter ostendit Divus Algerus, scholasticus Leodiensis (1): « Omnia, *ait,* sacramenta solius Dei creduntur esse, quæ quam gratuita, quam utilia, quamque magnifica fecerit, studeamus perpendere, ut cum viderimus de quantulis rebus quanta Ecclesiæ suæ conferat, si solius Dei sint ipsa, et per ipsa operari manifestissimum fiat. Omnes sacramentales species natura vel quantitate sua ita nullius æstimationis sunt in pretio, ut ad sacramentalem dignitatem nullo suo assurgere videantur privilegio: nisi quod dum naturali similitudine sua effectus sacramentalis prætendunt umbram vel imaginem, ad similem sancti Spiritus gratiam percipiendam magis accendunt et certificant fidem. Verbi gratia: In quatuor speciebus Eccle-

(1) *De sacramentis corp. et sang. dominici,* l. III, c. IV. — De Algero vid. apud Hurter, *Opusc. Patrum,* XXIII; idem opusc. edidit Ill. Episcopus Malou.

siæ sacramenta maxime consistunt, aqua scilicet, oleo, pane et vino. Aqua, licet omnibus sit necessaria, nulla tamen sua venalitate est pretiosa. Oleum vero, panis et vinum in sacramento ita paucitate sua effugiunt pretii quantitatem (1), ut nullam nisi in spirituali gratia sibi vindicare videantur utilitatem. Quod tamen non ideo fecit Deus, ut quia sacramenta sua specie tenus venalitati non sunt idonea, magis vilia videantur et abjecta, sed magis gratuita, ut dum in eis nihil videtur valere, nisi quod suum est, omnes de eis sibi soli haberentur gratiæ, qui in suis beneficiis nostram abstulit expensam ne gravaremur, suam contulit incomparabilem gratiam, ut hilarius juvaremur. Si enim in quibuslibet pretiosioribus speciebus sacramenta sua Deus instituisset, quæ natura et quantitate sua ita essent pretiosa, ut mundus totus non sufficeret ad ea comparanda, non quidem sacramentorum esset digna comparatio, sed difficilis et onerosa pauperibus ad ea fieret accessio.

Ideoque ut gratia Dei omnimodo esset gratuita, in sacramentalibus speciebus non quæsivit dignitatem, sed aptitudinem. Quia enim aqua exstinguit, mundat, et candidat præ ceteris liquoribus, ideo etiam in baptismate carnis incentiva exstinguit, peccatorum tam originalium quam actualium labem abluit, innocentiæ candorem reducit: et dum sic cælestis Patris imaginem reformat, filios adoptionis regenerat. Oleum vero, quia athletis est congruum, incendio et lumini obnoxium, ut contra spirituales nequitias humana fragilitas fortius muniatur, oleo chrismatis et in baptismate et in confirmatione perungitur, ut sic datus Spiritus geminæ dilectionis animam fide illuminet, dilectione inflammet, spe cœlesti muniat et roboret. Quia vero panis et vinum homini incorporatum vita est temporalis, ideo Christus hoc sacramento nobis tamquam caput membris incorporatus fit vita æterna fidelibus. His tribus sacramentis baptismus rite perficitur: ut quia in trinitatis nomine celebratur, trinitatis etiam fidem suo ministerio attestans, per aquam Deo Patri

(1) *Effugiunt pretii quantitatem* scil. tam exiguum olei etc. adhibetur in his sacramentis, ut propter materiæ exiguitatem eadem nullius sint pretii: hinc eo ipso discimus et monemur, illorum pretium totum esse spirituale.

nos regeneret, per corporis et sanguinis Christi communionem Filio Dei ad vitam nos concorporet, per olei unctionem Spiritus sancti virtute confirmet, ut qui in initio regenerationis tanta Dei gratia indigni prævenimur, non desperemus ad vitæ palmam perduci, si cum eadem adniti voluerimus. »

Alterum, videlicet, rebus sensibilibus in sacramentis aptissime adjungi verba tamquam formas sacramentorum, S. Thomas demonstrat ex triplici consideratione: scilicet, ex parte causæ sanctificantis, id est, Verbi incarnati, cui sacramenta quodammodo conformantur, ratione suæ compositionis ex re et verbo, ut supra expositum est; « ex parte hominis qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medecina: quæ per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur..... Tertio possunt considerari (sacramenta) ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem Augustinus l. 2 *de Doct. Christ.*, quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi: quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem; sed cum dicitur: Ego te baptizo etc., manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem (1). »

Et quoniam de significatione sacramentorum sermo est, merito hanc quoque perfectionem signi sacramentalis heic indicamus, qua unumquodque sacramentum tria revera significat: « Sacramentum proprie dicitur, *ita Doctor Angelicus* (2), quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi; et forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis sanctificationis nostræ, quæ est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet

(1) 3, q. 60, a. 6, in corp.
(2) 3, q. 60, a. 3, in corp.

passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, et prognosticum, id est prænuntiativum futuræ gloriæ. »

Jamjam 4° considerare possumus sacramenta in ordine ad humanum genus, « et tunc *a/ canales* sunt *gratiæ,* per quos de fontibus Salvatoris in cruce pendentis ad homines omnium ætatum et gentium gratia decurrit; sunt *b/ vasa medicinæ* primum contra ipsam mortem spiritualem animæ, dein contra multiplex peccati vulnus; sunt denique *c/ fundamenta vitæ christianæ,* quibus varii status et stadia hujus vitæ ad altiorem elevantur ordinem gratiaque sanctificantur (1). »

Si nunc 5° comparamus sacramenta novæ Legis cum sacramentis antiquis, haud parum commendatur illorum præ his excellentia atque præstantia. Etenim sacramenta vetera gratiam significabant quidem, nullatenus vero efficiebant; significabant futuram per Christum, non quam efficaciter conferrent præsentem; legalem quidem sanctificationem significabant et efficiebant, qua efficacia ulterius significabant, nequaquam efficiebant, perfectam ac realem animarum sanctificationem per Christi sacramenta conferendam. Sicuti ipsa lex, docente Apostolo (2), umbram habebat futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, ita sacramenta antiqua respectu nostrorum veluti umbra sunt respectu corporis, nostra vero imago sunt, non mera umbra, futuræ beatitudinis; videlicet imago et pignus, non vacua umbra, significantia sed et conferentia gratiam, semen gloriæ, adeoque realiter significantia et continentia quod promittunt et significant olim sine figura et imagine possidendum.

Igitur 6° quemadmodum sancta Ecclesia catholica veluti media est inter umbram præfigurantem antiquæ Legis et plenam veritatem futuræ civitatis cælestis, ita sacramenta novæ Legis; quæ Christus suæ Ecclesiæ contulit, ut sint ipsi fontes fœcunditatis, eam irrigantes non secus ac ille fluvius, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum (*Gen.*, II, 10), ut eam reddant verum paradisum hortumque voluptatis virginum liliis, rosis martyrum, confessorum violis consitum; ut sint columnæ illæ septem, quibus innititur domus a Sapientia sibi ædificata (*Prov.*, IX,

---

(1) Ita Hurter, *Opusc. Patrum,* XXIII, p. 324, *in nota.*
(2) *Ad Hebr.*, X, 1.

11); ut sint vincula et nervi, quibus fidelium multitudo in unum coalescit et colligatur corpus (*Eph.*, IV, 16) (1).

Tandem 7° et ultimo, in ordine ad futura æternæ beatitudinis bona si considerentur sacramenta legis evangelicæ, ex modo dictis satis elucet qua ratione vere efficaci sint prognostica, id est, prænuntiativa futuræ gloriæ, ut supra loquebatur S. Thomas. Quod quidem splendidissime in sacramento omnium augustissimo Eucharistiæ effulget, in quo dum recolitur memoria passionis Christi, et mens impletur gratia, futuræ gloriæ nobis pignus datur. Etenim in sanctissima communione, unio sacramentalis cum Verbo incarnato, quæ unionem præviam cum Spiritu sancto per gratiam sanctificantem exigit, quodammodo intermedia est inter hanc unionem cum vivifico Spiritu et gloriosam æternamque cum Verbo, qua prior consummatur, et cujus unio sacramentalis figura est et pignus; sacrum convivium, in quo Christo unimur, corpore et sanguine ejus nutriti, figura et pignus est æterni convivii, in quo divinæ Trinitatis gloria satiabimur, omnibusque inebriabimur deliciis domus Dei, atque, intime uniti cum Filio, similes erimus Patri, quoniam videbimus eum sicuti est (2).

Reliquum est ut singulorum sacramentorum propriam præstantiam ac dignitatem speculemur, divinamque sapientiam simul ac bonitatem admiremur tum in numero sacramentorum (3), tum in ordine ad invicem et ad omnium præcellentissimum altaris sacramentum (4). Quod tamen cum ultra congruos limites hanc nostram orationem promitteret, alia forte opportunitate præstandum nunc omittimus.

Cæterum præcellentem sacramentorum dignitatem ea jam luce offudimus ut nemo non videat eadem summa cum reverentia ac sancto timore esse tractanda, maxima cum devotione et animi puritate esse attingenda, vividissima fide omnique cura ac solertia esse conficienda ac ministranda. Itaque, Rev. adm. ac dilectissimi Domini, cæteris nos exemplo in re tam sancta præire satagamus, et vigilemus attente ut omnes sacerdotes nobis commissi hac in parte et

---

(1) Sic Hurter, *Opusc. Patrum*, XXIII, p. 324, *in nota*.
(2) 1 *Joan.*, III, 1 et 2.
(3) V. S. Thom., 3, q. 65, a. 1.
(4) V. *ibid.*, a. 2 et 3.

propriæ sanctificationi et fidelium ædificationi ac saluti quam accuratissime, quam diligentissime consulant, sancta sancte peragendo. Monita autem practica quod attinet, vix non superfluum videtur quidquam addere, cum sancta Ecclesia ipsa tam solicite nobis providerit. Videlicet omnia monita hoc uno continentur, quod conclusionis instar hujus concionis dilectissimus clerus noster ut altissime sibi in animum imprimat, nunquam oblivioni dandum, vehementissime commendamus: ut nempe summa religione serventur in conficiendo ac ministrando sacramento quæ præscribit Ecclesia. Profecto quam bene nobis providit Sancta Mater Ecclesia, quæ tum cæremonias illas mirabili sapientia instituit, quibus docemur naturam, efficaciam, præstantiam sacramentorum, et ad fidem ac charitatem, rerumque sublimium cogitationem atque cultum sacris mysteriis debitum excitamur, tum easdem cæremonias totumque ritum conficiendi ac ministrandi sacramenta tam concinne tamque accurate ad usum nostrum in liturgia sua descripsit, scilicet in Rituali Romano præprimis, ita quidem ut asserere non vereamur (quod omnes sacerdotes sedulo attendant) aliud non requiri a ministro ad tantum tamque sanctum officium rite perfecteque adimplendum, quam ut *religiose et ex conscientia ad amussim servet omnes rubricas seu universa præscripta Ritualis*. Quod cum tanti momenti sit, cum ad propriam nostram sacerdotum sanctificationem, tum ad salutem fidelium curæ nostræ commissorum, sane necesse est ut sæpius cæremonias ritusque servandos recolamus, librum ritualem denuo, nunc de uno, nunc de altero sacramento attente perlegendo, imo et pie meditando: quod quidem, varia opportunitate congrue fieri potest, in exercitiis spiritualibus, in pia recollectione menstrua, imo et in modum lectionis spiritualis quotidianæ et meditationis matutinæ.

Hæc sunt, seu potius hoc unum est conclusionis instar, quod hodie vobis, Rev. adm. ac dilectissimi Domini, cunctisque per vos sacerdotibus nostris in Domino dilectis, de re sane gravissima, sanctissima commendatum volebamus. Faxit Deus per gratiam suam ut quod omnes ut verissimum sine dubio persuasum habent, id quoque efficaciter in sacratissimo suo ministerio sacramentali re et opere complere valeant.

Quum Rev^mus Dnus dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Ut præscriptis SS. Domini Pii PP. X de musica sacra (1), quantocius et quam efficaciter fieri potest juxta mentem Pontificis, fiat satis, hæc attendantur:

1° Abusus a Pontifice notati, si vel nullo negotio, vel prudenter saltem præmonitis quorum interest, tolli possunt, statim tollantur.

2° Si vero aliquid gravius obstare videtur quominus illico aliquis abusus resecari possit, consilium expetatur a R. adm. Dominò Decano circa agendi rationem tenendam.

3° In majoribus præsertim parochiis instituantur scholæ cantorum, in modum quo easdem in collegiis ac scholis nostris instituimus: quo scilicet rectus intellectus ac sensus seu gustus, ut aiunt, artis musicæ religiosæ, præprimis cantus gregoriani, magis magisque promoveatur atque propagetur; utque, ubi forte musicæ cultui divino minus aptæ substituenda erit musica vere sacra cantusque gregorianus, non nimis inepti atque inexercitati inveniantur cantores et musici, quorum imperitia ipsum cantum ecclesiasticum musicamque sacram despectui exponat.

4° Ubique locorum, illud saltem obtineatur sine mora quod in concione prosynodali anni proxime elapsi indicavimus obtinendum: præprimis vero 1/ ut rite pronuntientur cantando omnia verba, omnes syllabæ; 2/ ut sit verus cantus, non incompositus clamor; 3/ ut serventur ad amussim præscripta sacræ liturgiæ, cantando quæ, quo tempore et modo juxta rubricas, imprimis Missalis romani, cantanda sunt.

II.

Litteræ testimoniales vicepastorum aliorumque sacerdotum, quotannis decursu mensis Maii ad Decanos a parochis mittendæ, Nobisque porrigendæ a Decanis confirmatæ aut

---

(1) Textum gallicum e textu italico authentico translatum jamdudum publicavere *Collationes Brugenses*, hoc anno 1904, pag. 111 et sqq.

infirmatæ, deinceps juxta determinatam formulam, hisce annexam, erunt conficiendæ (1).

III.

Statuimus ut Instructio pastoralis de vitanda lectione pravorum librorum ac *diariorum,* quæ populo prælegi consueverat in die octava Dedicationis ecclesiarum, deinceps prælegatur *dominica tertia mensis Septembris,* cum soleant jam ante ultimum anni trimestre renovari diariorum subscriptiones. Utilissime autem in memoriam fidelium paucis verbis revocabitur prædicta Instructio per aliquot dominicas insequentes.

Hac opportunitate, instantissime commendamus Clero ut quæcumque publice seu e suggestu recitanda sunt, sive rosarium aliæve preces, sive litteræ episcopales, clara voce et distincte eloquendo prælegantur. Nonnullos eo deducit male contractus habitus ut vel in Missæ sacrificio et in ipsa sacramentorum administratione verba vix, ut oportet, proferant.

IV.

Denuo commendamus zelosissimo Clero nostro, tum confraternitatem *Missæ reparatricis,* ut vocant, tum associationem erectam ad promovendam quotidianam Missæ assistentiam, de quibus egimus in epistola nostra quadragesimali præsentis anni.

Est enim devotio erga SS. Eucharistiam, et qua sacrificium et qua sacramentum est, omnium præclarissima fructibusque salutis fœcundissima, quam decet, simul cum aliis præcipuis, erga SS. Cor Jesu, passionem Domini, B. Mariam Virginem, præ cæteris commendare continuo fideli populo; neque permittendum est ut novæ quædam ac secundariæ devotiones illarum locum quasi invadant.

---

(1) Quæstiones, quæ hac formula proponuntur et quibus responderi debet a superioribus testificantibus, cum unicuique sacerdoti tamquam materia examinis conscientiæ utilissime præ oculis habeantur, heic infra subjiciuntur.

V.

Examen ad quod, juxta præscriptum prosynodale anni 1887, singulis bienniis accedere tenebantur institutrices, fine hujus ordinationis jam obtento, abolemus.

VI.

Rescriptis S. Congregationis Concilii, 7 et 16 Maii 1904, ad triennium, Episcopo Brugensi prorogata est facultas missarum perpetuarum onera suæ Diœcesis, tum nondum reducta reducendi, tum alias jam reducta iterum reducendi, justis scilicet de causis, « ac signanter propter diminutionem legatorum redituum, aut inopiam eorum qui ad onera implenda tenentur,... quoties nemo sit qui ad eleemosynæ supplementum de jure et utiliter cogi queat,... sub lege ut de missarum sic reductarum adimplemento coram Ordinario quotannis docere singuli indultarii teneantur. »

Auctoritate igitur apostolica et dummodo *exposita rationum momenta adhuc perdurent*, ad 7-16 Maii 1907 prorogamus fundationum reductiones, a Nobis aut Decessoribus nostris concessas, quin exinceps opus sit, dum ad finem vergit concessionis tempus, ad Nos dirigere actum authenticum reductionis, ut huic prorogatio inscribatur. Sufficiet, ad tramites concessionis pontificiæ, ut quotannis, exoneratis missis reductis, de earum adimplemento Nos doceant Parochi.

VII.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt tria:

1m Brugis, Dominica, 21 Augusti, hora VII vespertina.

2m Poperingis, Dominica, 28 Augusti, hora VII vespertina.

3m Rollarii, Dominica, 18 Septembris, hora VIII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant.

N. B. Utile ducimus Clerum nostrum certiorem facere tempus, infra quod lucrari poterunt fideles indulgentiam Jubilæi, a SS. Domino Pio PP. X concessam, occasione quinquagesimi a definita Immaculata Conceptione B. M. Virginis anniversarii, in hac Diœcesi futurum a die 8ª Septembris proximi ad diem 8ªm Decembris. Tempore opportuno, cum Clero communicabimus quæ scitu necessaria et utilia sunt.

Brugis, 27 Maii 1904.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones in formula testimonalium propositæ.

I.

1/ An est vere pius?
2/ An SS. Missæ sacrificium digne, infra tempus congruum, cum debita præparatione ac gratiarum actione offert?

II.

1/ An est obsequiosus in superiores, in pastorem?
2/ Num exit e parochia, sine licentia parochi?
3/ An frequentat domos, eo invito?

III.

An charitatem et concordiam servat cum sodalibus seu fratribus in sacerdotio?

IV.

1/ An persona, quæ ei famulatur, non est junior, levior, cultu elegantior?
2/ An non ipse potui, lusui, nugis, otio deditus?
3/ Qua diligentia studiis incumbit?

V.

Quæ aptitudo ejus
1/ ad cantum et musicam.

2/ ad concionandum et catechizandum.
3/ ad varia opera parochialia dirigenda?

VI.

An sua munia rite adimplet:
1/ nempe docendi.
2/ visitandi scholas.
3/ administrandi sacramenta, præprimis audiendi confessiones.
4/ visitandi ægrotos.
5/ alia munia ipsi concredita?

VII.

1/ An, omisso luxu ac vanitate sæculari, decorum tamen servat suæ conditionis?
2/ An regulas urbanitatis sedulo observat?

VIII.

Annon est *indole* seu caractere vitiosus, mirus?

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris

—

I

Expone sensum et vim decreti apostolici in concilio Hierosolymitano (Act. Ap. XV 24-29) lati.

II

Quid censendum de opinione theologorum qui, ad explicandam rationem *voluntarii* in peccato originali, statuunt *hominum voluntates, vi decreti divini, voluntati Adami alligatas fuisse in ordine ad observationem vel violationem impositi præcepti?*

III

Quandonam furta minuta in unam materiam coalescunt?

IV

Quænam ex furtulis coalescentibus materia gravis censetur?

V

Quantum peccatum in singulis hujusmodi furtulis committitur?

VI

Qu'entendez-vous par fabrique d'église? Expliquez votre réponse.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Interpretare Luc. III, 16-17.*

R. I. **Argumentum** (1). Joannes Baptista, ut refellat falsam opinionem populi existimantis ipsum forte esse Messiam (2), palam profitetur quantum Messias post se venturus sibi dignitate et potentia præstaret; cujus præcellentiæ duplex tradit argumentum: copiosam effusionem Spiritus Sancti a Messia faciendam ejusque potestatem judicialem in universum genus humanum.

II. **Interpretatio** v. 16. Cùm Judæi animo suspensi et incerti hærerent utrum Baptista Messias esset necne (v. 15), ipse *Joannes respondit.* Verbum respondere (ἀποκρίνω) sæpe in N. T. juxta hebr. *anah* (3) significat *loqui incipio*, sed semper ubi aliquid præcessit, sive

---

(1) Cfr. *Mt.* III, 11-13; *Mc.* I, 7-8; *Jo.* I, 26-27. Mt. et Lc. hoc in loco probabilius pendent a quodam fonte græco communi, quod patet ex comparatione inter utrumque textum græcum instituta: ambo evangelistæ fere ad verbum sibi consonant. Tanta autem cum similitudine traditio oralis aramaïca utrique auctori verba Baptistæ non transmiserit. Pariter *Mc.* I, 7-8 S. Lucas præ oculis habuerit v° 16°. V. *suprà* p. 354.

(2) Uti notat Liagre (*Comment. in Ev. S. Lucæ,* Tornaci 1889, p. 92), plura quidem erant quæ hanc multorum conjecturam, eo præsertim tempore quo Messias communi opinione venturus expectabatur, foverent: in primis, celebris et inusitatus nativitatis Joannis ordo; insolita et admiranda plane ejusdem ratio vitæ; doctrinæ præstantia et efficacia; necnon ille quem ministrabat, baptismus. Nonnulla vero eos ab hac opinione retardabant, præsertim autem humilis ejus conditio communi Judæorum de Messia opinioni plane opposita. Itaque ancipites hærebant.

(3) Cfr. Gesenius, *Thesaur. phil. crit. ling. hebr. et chald.* Lipsiæ, 1829-1859, T. II, p. 1047. — Schilling, *Comment. exegetico-philol. in hebraismos N. T.* Mechliniæ, 1886, p. 139.

dictum, sive factum, ad quod sermo referatur (1). Joannes igitur, illius hæsitationis popularis certior factus, palam dicere cœpit *omnibus* ad se venientibus: Non est quod Messiam me existimetis ex eo quod baptizem, nam *ego* (2) *quidem aqua* nuda vos *baptizo* in signum ac professionem pœnitentiæ (Mt. III, 11) qua ad Messiæ adventum vos præparetis (3).

Veniet autem, gr. ἐρχεται venit: tempus præsens significat Christum in via esse atque adeo proximum; *fortior me* gr. ὁ ἰσχυρότερος μου: art. signat personam bene notam, Messiam sc. de quo jam sæpius locutus erat Baptista (4); ille autem est *fortior* i. e. potentior me, majora præstare valens quam ego, utpote divina virtute præditus (cfr. v. 17). Est quasi diceret Baptista: non sum ego Messias, neque collega ipsius, sed ejus præcursor: præcedo illum Venientem ut Lucifer præcedit solem, hujus majori lumine mox obscurandus: *Illum enim oportet crescere, me autem minui* (Jo. III, 30).

Cujus non sum dignus solvere (5) *corrigiam calceamentorum* (6) *ejus*. Calceamenta portare (Mt. III, 11), dominum exeuntem calceare ipsumque excalceare redeuntem apud Judæos, Græcos et Romanos ad ministerium infimorum servorum pertinebat (7). Hac igitur locutione Judæis usitata (8) significat Joannes se dignum non esse qui inter servos Messiæ infimos numeretur.

---

(1) Cfr. *Mt.* XI, 25; XII, 38; XV, 15; *Mc.* IX, 5; X, 24; *Lc.* I, 60 XIV, 3; *Jo.* II, 18; V, 17, etc., etc.

(2) *Ego..... aqua*: utrumque verbum cum emphasi ponitur, et utrique parallelo modo emphatice respondent verba: *ipse..... in Spiritu Sancto et igni.*

(3) V. *suprà* p. 367 s.

(4) Cfr. Th. Zahn, *Das Evangelium des Matthäus*, Leipzig, 1903, p. 136.

(5) *Mc.* I, 7 habet: *procumbens solvere.*

(6) ὑποδήμα litt. id quod subligatum est, significat calceamentum corrigiis supra pedem firmatum

(7) Cfr B. Weiss, *Das Matthäus Evangelium*, Göttingen, 1898, p. 67.

(8) Hoc proverbiale dicendi genus ortum duxerit ex consuetudine Judæorum, qui domum, templum vel locum orationi consecratum ingressuri calceamenta (servorum ministerio apud divites) ponere consueverant

Ipse gr. αὐτος sc. ipse et non alius, Messias, *vos baptizabit* i. e. largiter imbuet, immerget, *in Spiritu Sancto et igni*. Etsi dicatur *baptizabit*, patet tamen ex addito *igni* copiosam Spiritus Sancti communicationem, quæ promittitur futura per Messiam, non uno baptismo concludi, sed complecti multiformem Spiritus Sancti seu ejus donorum dationem ac præprimis utique in Baptismo, omnium Sacramentorum primo. *Baptismi* metaphora a præcipuo Joannis munere desumpta, largitatem ac copiam donorum Spiritus Sancti a Messia dandi apte exprimit (1), dum vox *ignis* haud incongrue illarum gratiarum vim ac efficaciam denotat, quæ homines intus immutat, sordes peccatorum exurit, tenebras fugat et homines ad virtutis opera ardentes reddit (2).

Græce dicitur ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, præpositione ἐν non repetita; quare ipsa dictione cogimur arctum nexum inter utrumque assumere neque ut duo inter se plane diversa interpretari. Quod non satis advertunt qui (3) *Spiritum Sanctum* intelligunt de baptismo pœnitentium, *ignem* verò accipiunt de pœnali igne ultimi judicii a Messia contra impœnitentes exercendi. Neque sententiæ isti favet v. 17 « *paleas autem comburet igni inextinguibili* » uti autumat Zahn (4): etenim ignem inextinguibilem ignem dici quo Christus *baptizet* a con-

---

(necnon advenientium pedes lavare). Cfr. Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, T. I (1903) p. 627. — Calceamenta, utpote pars vilior vestium, epitheton erat contemptus, vituperationis atque instrumentum verberationis. Nulla igitur ministerii pars vilior quam alicui a calceamentis esse.

(1) Spiritus enim Sanctus est quasi res in quam baptizandi prædicantur immergendi. Est eadem fere imago ac ea qua largitio Spiritus Sancti etiam *effusio* dicitur. Cfr. *Act.* II, 33; *Tit.* III, 5-6.

(2) Cfr. Liagre, *Comment. in SS. Matth. et Marc.* Tornaci, 1883. p. 72: « Spiritus Sanctus, ad instar ignis, animam a peccatis purgat, et fidei splendore illuminat, et caritatis fervore accendit, tandemque eam in se veluti transformatam a terra sursum rapit. Quapropter ipse die festo Pentecostes sub signo *ignis* semet manifestum ac visibilem effecit ».

(3) Itá Grimm, *Lexicon græco-lat. in libros N. T.* Lipsiæ, 1903, p. 64.

(4) *Das Matthäus Evangelium*, Göttingen, 1898 p. 137 s.

sueto dicendi genere penitus abhorret. Præterea eædem personæ videntur baptizandæ *in Spiritu Sancto et igni*. Mali a bonis secernuntur in v. 17 ubi agitur de potentia Messiæ judiciali, non autem in v. 16 (1).

v. 17. Quemadmodum prophetæ Messiam exhibent tanquam judicem (Is. LXIII, 3); (Mal. III, 2), et Simeon dixit eum fore in resurrectionem et in ruinam multorum in Israel (L. II, 34), ità Baptista postquam eum ostendit salvatorem et omnium gratiarum largitorem, eum quoque *judicem* declarat v. 17, metaphora desumpta ab agricola qui, Hebræorum more, triticum purgat ventilabro postquam spicæ in area sub dio trituratæ fuerunt (2).

Cujus ventilabrum in manu ejus: is qui ventilabrum (vannum, cribrum) sibi proprium in manu sua gerit (omnino paratum) quo sc. segetem ex spicis excussam ventilet, ut paleis et glumis a vento abreptis, sola tritici grana a paleis et glumis separata et pura remaneant. Tritura nimirum perfecta, ventilabri ope *permundabit* gr. διακαθαρεῖ i. e. perfecte, omni ex parte purgabit *aream suam, et* (scilicet) *congregabit* (colliget) *triticum in horreum suum, paleas autem* (gr. ἄχυρον = paleam comminutam) ac glumas *comburet igni inextinguibili*. Dicendo *igni inextinguibili* a parabola ad rem parabola significatam fit transitus.

Allegoria autem facile intelligitur. *Area* Messiæ est primo populus judaicus, dein universum genus huma-

---

(1) Cfr. Knabenbauer, *Comment. in evang. sec. Matth.* Parisiis, 1892, p. 132. — Plummer, *A critical and exegetical commentary on the Gospel according to S. Luke*, Edinburgh, 1901, p. 95.

(2) Agricolæ nimirum spicarum manipulos in orbem disponebant in elatiori quadam agri parte, cujus solum complanatum ac fistucatum perennem probabilius aream præbebat In area autem juga boum circumeuntia et tabulam cum transversariis lignis trahentia spicas triturabant earumque grana excutiebant. Tritura perfecta stramen colligebant, ope ventilabri grana secernebant a paleis et glumis, quas in ipso agro igne comburere solebant. Cfr. Hastings. *Dictionary of the Bible*, T. I, Agriculture.

num; *ventilabrum* est justum ejus judicium; *triticum* sunt homines justi in Messiam credentes ejusque præceptis obtemperantes; *paleæ* sunt homines perversi increduli vel in malo obstinati; bonos in *horreum* id est in Ecclesiam primùm ac postea in cœlum colliget; incredulos ac perversos ab Ecclesia excludet ac tandem *igni* æterno tradet (1).

III. **Paraphrasis.** (Cùm Judæi ancipites hærerent utrum Baptista esset Messias), (16) *Joannes* palam dicere cœpit *omnibus* ad se venientibus: *Ego quidem aqua baptizo vos* in signum pœnitentiæ qua Messiæ adventanti præparemini: *veniet autem* Ille brevi, virtute mihi præstans, *cujus corrigiam calceamentorum* ut solvam *non sum dignus: ipse* Spiritum Sanctum ejusque gratias instar aquæ copiose in *vos* effundet, et ejus efficacia instar *ignis* mundabit vos atque illuminabit. (17) Ipse porro, agricolam imitatus qui, *aream suam ventilabro suo* permundans, *triticum* in horreo suo colligendum separat a paleis et glumis *igne* comburendis, credentes in ipsum ac probos secernet ab incredulis ac improbis, illos in Ecclesiam ac cœlestia horrea congregaturus, hos vero igni nunquam exstinguendo addicturus (2).

A. C.

II

Q. *Explica quomodo intelligendus sit ille inter Adamum et posteros* nexus *vi cujus ex voluntario actu protoparentis privatio gratiæ in infantibus habeat rationem* voluntarii: *quæ ratio requiritur ut privatio gratiæ sit vere* peccatum.

R. In nostra præcedenti responsione (v. supra p. 372) ex ipso dogmate de peccato originali logice deduximus Adamum fuisse *principium* naturæ humanæ *propagandæ*

---

(1) Cfr. Van Steenkiste, *In Matth.* Brugis 1903, T. I, q. 136.
(2) Cfr. Liagre, *Comment. in S. Lucam,* Tornaci 1889, p. 92.

vel cum supernaturali sanctitate, *vel* sine illa, secundum quod ipse fidelis Deo permansisset vel secus egisset; in illa *principii* ratione consistit ille *nexus* vi cujus ex voluntario actu protoparentis privatio gratiæ in infantibus habet rationem *voluntarii:* quod nunc exponere conabimur. In hac etiam expositione sic procedimus: ex ipso dogmate deducimus explicationem quæ requiritur ut recte reddatur ratio de veritate revelata.

1. Porro ipsum dogma catholicum de originali peccato tria statuit quæ a nobis hic consideranda sunt: 1°/ originale peccatum habere *veram et propriam peccati rationem* et unicuique homini esse *proprium:* v. Conc. Trid. *decretum de peccato originali*, can. 5 et 3; 2°/ hoc peccatum originem habere *ex inobedientia Adami:* v. ibid. can. 2; 3°/ importare gratiæ privationem, scilicet amissionem acceptæ a Deo sanctitatis et justitiæ, quam Adamus perdidit non sibi soli sed etiam nobis: v. ibid. can. 3.

2. In hoc ultimo asserto continetur implicite quod *gratia collata fuit in Adamo omnibus hominibus ex eo nascituris:* etenim si peccante Adamo omnibus aufertur gratia, requiritur ut in Adamo, una vel alia ratione, omnibus fuerit collata.

Nunc autem ulterius est inquirendum qua ratione fuerit in Adamo collata gratia.

Jamvero duplex hic fieri potest hypothesis: a/ potuit Deus Adamo conferre *absolute* gratiam; ceteris vero *conditionate* tantum, ea nempe conditione ut Adam obediret: qua conditione deficiente, gratia illis non destinaretur. b/ Potuit quoque Deus *universo generi humano,* prout unam cum Adamo familiam constituit, destinare gratiam: ita nempe ut Adamo, *formaliter qua principio* in ordine ontologico et physico naturæ humanæ *propagandæ,* contulerit Deus gratiam, ea consequenter lege ut Adam, nisi ipse amiserit gratiam, *eam posteris transmitteret simul cum humana natura.* Quæ destinatio non est destinatio alicui naturæ abstractæ, sed est

destinatio omnibus hominibus realiter exstituris, sed non prout sunt hic aut ille, at *prout sunt una familia cum Adamo.*

Jamvero prima hypothesis est rejicienda. Etenim juxta hanc hypothesim « non fuissent dona supernaturalia destinata naturæ, sed personis seorsim spectatis ab Adamo: et præterea ceteris hominibus nunquam fuissent actu destinata, quia defuisset conditio: ideoque carentia horum donorum in posteris Adami non esset carentia donorum quæ ex divina institutione ii *debuissent* habere, cum hæc institutio actu nunquam fuerit, sed solum fuisset futura, si Adamus non peccasset. Præterea (in illa hypothesi) concipi nequit quomodo peccatum Adami sit peccatum omnium, seu omnes dicantur in Adamo peccasse, nam in ea hypothesi peccatum Adami esset tantum personale: quoniam ipse distingueretur a ceteris, sive ut persona tantum spectaretur. Hinc neque in ea hypothesi concipi posset quomodo privatio gratiæ haberet in posteris rationem peccati » (1).

Remanet igitur admittenda secunda hypothesis: non enim aliæ hypotheses, ut videtur, excogitari possunt: etenim gratia destinata fuit formaliter vel ipsis *personis* humanis, et tunc habetur prima hypothesis; vel *ipsi naturæ humanæ,* et per hanc personis in quibus inveniretur hæc natura, et tunc habetur secunda hypothesis (2).

Præterea hæc secunda hypothesis requiritur et sufficit ut reddatur ratio de hac veritate, aliunde certa, quod nempe originale peccatum habet in nobis veram et propriam peccati rationem: quod nunc exponemus et in hac explicatione demonstrabitur illam hypothesim

---

(1) Palmieri, *De Deo creante*, Romæ, 1878, Thes. 73, n. V, p. 575.

(2) Cl. Palmieri, op. c. p. 574, secundam hanc hypothesim subdividit: sed, ut videtur, hæc subdistinctio non invehenda est: etenim si formaliter *humanæ naturæ* et non singulis personis destinata fuit gratia, jam hæc non potuit Adamo conferri nisi formaliter ut *principio propagandæ humanæ naturæ*: ita ut *naturæ* gratiam transmitteret cum ipsa natura.

requiri ut explicetur quomodo originale peccatum habeat rationem *voluntarii*.

3. Peccatum duo essentialiter importat: *privationem ordinis debiti ad Deum* finem ultimum, et *voluntarietatem* hujus inordinationis (1).

Porro originale peccatum esse in nobis *privationem ordinis debiti ad Deum* facile intelligitur: consistit enim essentialiter in privatione gratiæ sanctificantis, quæ, in præsenti Providentiæ ordine, est radicale principium quo homo constituitur rectus coram Deo: deficiente igitur illo principio jam homo non est, sicut oportet, conversus ad Deum, sed est ab Eo privative aversus (2).

Difficilius explicatur quomodo originale peccatum sit in nobis *voluntaria* privatio debiti ordinis ad Deum: et tamen quum illud peccatum sit *nobis* peccatum, *nos* reos faciat, requiritur ut *nobis* sit *voluntarium*.

Supra, p. 374, jam ostendimus hanc *voluntarii* rationem non posse provenire ab ipso *actu* voluntatis nostræ: relinquitur ergo ut proveniat ab actu voluntatis Adami: quod cæteroquin explicite docet Apostolus: *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi* (3).

---

(1) Cf. De Baets, *De ratione ac natura peccati originalis*, Lovanii, 1899, p. 16; *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 45 et p. 332.

(2) « Nota hic diligenter quod *in præsenti ordine*, dupliciter contingit aliquem esse a Deo aversum: vel præcisive in quantum per destitutionem gratiæ et charitatis, non est conversus ad Deum finem supernaturalem: vel amplius, in quantum reus etiam exsistit conversionis ad finem contrarium; et primo quidem modo, est tantum negative aversus, seu melius privative, alio vero modo, positive. Porro, aversio positiva consideratur in omni peccato personali...; sed in originali non est, nec esse potest plus quam simplex aversio privativa ». Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ, 1894, p. 65.

Hinc etiam intelliges quod nisi gratia fuisset data humanæ naturæ omnino impossibile fuisset in posteris Adami peccatum originale: impossibile enim est ut in infantibus sit conversio ad finem Deo contrarium per liberam electionem boni commutabilis, igitur in infantibus nequit esse *positiva* aversio a Deo; non alia igitur in ipsis inveniri potest *inordinatio* respectu Dei nisi *privativa* aversio a Deo: hæc autem privativa aversio supponit ordinem gratiæ, ut statim diximus.

(3) Rom. V, 19.

Quomodo autem fieri potest ut actus voluntatis Adami sit nobis etiam voluntarius? Quia Adami voluntas fuit aliqua ratione et *nostra* voluntas. Sed quomodo Adami voluntas fuit et nostra voluntas? Certe non quia Adamus erat aliquis homo, nec etiam quia erat primus homo, sed quia erat **principium propagandæ** *humanæ naturæ:* tunc in ipso naturæ principio *voluntarie* sese avertente a Deo integra humana familia privata fuit debita conversione ad Deum (nempe per privationem gratiæ sanctificantis) et sic habet hæc privatio rationem *voluntarii* in omnibus qui et quatenus hanc naturam participant (1).

Ad hoc igitur ut, quantum in mysterio fieri potest, explicetur quomodo peccatum originale habeat veram et propriam rationem peccati, admittendus est ille inter Adamum et posteros *nexus unitatis* quo Adamus sit *principium* humanæ naturæ *elevatæ* per gratiam (2): ille autem nexus constituitur per hoc quod Deus non singulis personis sed *ipsi humanæ naturæ* destinaverit gratiam et consequenter illam tribuerit Adamo *formaliter* prout in ordine physico erat principium naturæ per generationem transmittendæ, ita *consequenter* ut Ada-

---

(1) Cf. De Baets, op. c. p. 33.

(2) Sedulo animadvertamus, quando statuimus Adamum esse *principium* humanæ naturæ *elevatæ* per gratiam, illas duas notas requiri in nostra explicatione: nempe 1/ rationem *principii* in Adamo, 2/ *elevationem naturæ* per gratiam. Et sane, ut ab hac secunda nota ordiamur, nisi elevata fuisset per gratiam humana natura, non fuisset in posteris Adami, ex sola origine, *privatio debitæ conversionis ad Deum:* consequenter non invenir tur primum elementum essentiale peccati. Deinde nisi Adamus fuisset *principium* propagandæ per generationem humanæ naturæ, actus ejus voluntarius non infecisset ipsam naturam: consequenter non inveniretur secundum elementum essentiale peccati, nempe *voluntarietas*. Ad explicationem peccati originalis requiri omnino ut teneatur Adamum fuisse *principium* propagandæ humanæ naturæ confirmatur ex hoc quod theologi docent quod si Eva peccavisset, et non Adam, non fuisset originale peccatum: *quia* Eva non est principium activum, saltem principale, propagationis naturæ. Cf S. Thomas, I-IIae, Q. LXXXI, a. 5. — Tandem nota quod nisi Adam esset *ontologicum principium* humanæ naturæ, in Adamo ipsa humana *natura* non esset elevata ad gratiam.

mus, nisi peccasset, transmisisset humanam naturam *elevatam* per gratiam (1).

Ille nexus et requiritur et sufficit, ut ex supra dictis constare videtur. Etiam ex nexu sic intellecto consequitur originale peccatum esse *naturæ* peccatum, non personale: quod in proxima responsione enucleare conabimur.

Adnotatio. Sententia quam supra exposuimus est etiam S. Thomæ doctrina. Etenim

1/ docet S. Doctor *toti humanæ naturæ* fuisse in Adamo collatum donum justitiæ originalis:

« Justitia autem originalis, in qua primus homo conditus fuit, *fuit accidens naturæ speciei* non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum *toti naturæ.* » I, Q. C, a. 1.

« Generans univocum naturam suæ speciei communicat generato et per consequens omnia accidentia quæ speciem consequuntur... Fuit autem in principio conditionis humanæ quoddam donum gratuitum primo homini divinitus datum *non ratione personæ suæ tantum, sed ratione totius naturæ ab eo derivandæ*, quod donum fuit originalis justitia... Et ideo rationabiliter hoc donum fuisset ad posteros propagandum... » *De Malo*, Q. IV, a. 8.

2/ Docet S. Thomas *nexum unitatis* inter Adamum ejusque posteros, vi cujus ex peccato Adami ejus posteri constituuntur peccatores, esse in hoc quod Adamus sit *principium propagandæ* humanæ naturæ (utique elevatæ per gratiam): « Omnes homines qui nascuntur ex Adam possunt considerari ut unus homo, *inquantum conveniunt in natura, quam a primo parente*

---

(1) Talis destinatio gratiæ facta *toti naturæ* et per naturam personis, et illa ratio conferendi Adamo gratiam, proveniunt ex *positiva Dei ordinatione*. Non enim repugnat ut Deus *singulis personis* humanis seorsim ab aliis spectatis destinavisset donum justitiæ originalis: in hac hypothesi, ex solo Adami peccato non fuissent omnes homines constituti peccatores. Cf. Palmieri, op. c. p. 573.

accipiunt... Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tamquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei inquantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed *voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex ejus origine derivantur*... ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi *inquantum hæc persona recipit naturam a primo parente* » I-II^æ, Q. LXXXI, a. 1. Hoc manifestissime confirmat S. Thomas docendo (ibid. a. 4) quod « peccatum originale a primo parente traducitur in posteros, *inquantum moventur ob ipso per generationem*... Unde illi soli peccatum originale contrahunt, *qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam*... Si autem aliquis formaretur **virtute divina** (h. e. *miraculose*) ex carne humana, manifestum est quod *vis activa non derivaretur ab Adam*. **Unde** *non contraheret peccatum originale* » (1).

3/ Docet S. Thomas originale peccatum habere rationem *voluntarii* eo quod privatio justitiæ originalis dependet ab actu voluntario principii naturæ humanæ : « Si consideratur iste defectus (originalis justitiæ) per originem in istum hominem derivatus, secundum quod iste homo est quædam persona singularis, sic hujusmodi defectus non potest habere rationem culpæ, ad cujus rationem requiritur quod sit voluntaria : sed si consideretur iste homo generatus *sicut quoddam membrum totius*

(1) En ratio cur Christus, qui virtute divina, non hominis semine, formatus est ex carne humana, non potuit contrahere peccatum originale.

humanæ naturæ a primo parente propagatæ, ac si omnes homines essent unus homo, sic habet rationem *culpæ* propter voluntarium ejus principium, quod est *actuale peccatum primi parentis* » *De Malo*, Q. IV, a. 1.

« Per hunc igitur modum defectus originalis justitiæ est peccatum naturæ, *in quantum derivatur ex inordinata voluntate primi principii* in natura humana, scilicet *primi* parentis; et sic est *voluntarium* habito respectu ad naturam, *voluntate* scilicet *primi principii naturæ* et sic transit in omnes qui ab ipso naturam humanam accipiunt... » *Compendium theologiæ*, cap. 196.

J. V. D. M.

III

Q. *Expone et vindica generalia principia de occisione innocentis.*

R. **Exponuntur principia.**

Occisio directa innocentis, quacumque auctoritate sive publica sive privata præter divinam facta, est intrinsece mala et gravis injuria erga Deum et proximum.

Indirecta innocentis occisio ex causa justa, etiam privata auctoritate licet, salvo tamen simul ordine **charitatis.**

Explicantur et vindicantur.

I. Occisio directa innocentis

1° *est licita si fiat auctoritate divina.*

« Deus enim, ut ait S. Thomas, habet dominium mortis et vitæ: ejus enim ordinatione moriuntur et peccatores et justi; et ideo ille qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat, sicut nec Deus cujus est executor, et ostenditur Deum timere ejus mandatis obediens (1) », sicut obedivit Abraham (Gen. XXII) dum jussu Dei occidere voluit filium suum Isaac, et

(1) *Summa Theol.*, 2ª 2ᵃᵉ, q. 64, a. 6 ad 1ᵐ.

Israelitæ dum occiderunt parvulos urbis Jericho (Josue VI, 21).

2° *Illicita est si fiat auctoritate privata.* Etenim

a/ adest gravis injuria erga proximum; omni enim homini competit jus congenitum vitæ atque integritatis, ideoque illud jus læditur quotiescumque aliquis directe, privato arbitrio innocenti mortem infert. Hujus criminis ille etiam reus est, qui cum intentione mortem inferendi alteri media ad ejus salutem necessaria, injuria surripit, vel alio modo injusto impedit quominus vitam suam salvare valeat.

b/ Adest injuria in Deum, quod deducitur imprimis ex S. Scriptura. Nam hic certe si unquam applicatur quintum præceptum Decalogi, Exod. XX, 13, *non occides*, et ibidem XXIII, 7, legitur: *Insontem et justum non occides.* Hæc sunt prorsus generalia, et nulla fieri potest exceptio, nisi in SS. Litteris aut alibi facta legatur. Sed nulla legitur facta quoad occisionem innocentis, immo illos textus Scripturæ ita stricte et absolute intelligendos esse constat ex communi sensu Ecclesiæ et unanimi Theologorum sententia. Occisionem innocentis gravissimum esse peccatum deduci potest ex verbis ipsius Dei, scelus illud Caino exprobrantis tanquam peccatum in cœlum clamans. Gen. IV, 10. (1) Eodem præcepto divino prohibetur etiam directa innocentis mutilatio et verberatio seu violenta percussio.

Præterea idem ex ratione constat. Etenim Deus sibi absolute reservavit dominium directum vitæ, homini relinquens tantum dominium utile sub onere custodiæ et conservationis. Sicut igitur supremo vitæ Domino gravem injuriam infert, qui seipsum directe interimit, ita a fortiori jura Dei lædit qui directe tollit alterius vitam cum minus jus aut dominium in eam habeat.

Ex quibus omnibus concludimus nunquam licere

---

(1) In diœcesi Brugensi homicidium directe voluntarium constituit etiam peccatum Episcopo reservatum.

privato arbitrio directe interficere innocentem etiam ad gravissima mala vitanda. Non igitur licet lethaliter vulneratum occidere ne diutius patiatur, furiosum aut malo contagioso infectum ne aliis noceat, matrem in extremis positam ut infans baptizari possit; pariter prohibetur quominus in naufragio aliquis in mare projiciatur, ut cæteri salventur, nam in omnibus his casibus haberetur directa innocentis occisio, intrinsece mala; non autem sunt facienda mala ad bonum obtinendum.

3° *Illicita est etiam directa occisio innocentis facta publica auctoritate.*

Respublica enim non potest de vita innocentis directe disponere vi dominii, quod soli Deo competit, nec indirecte vi jurisdictionis, cum homo nonnisi secundario ordinetur ad utilitatem reipublicæ. Neque cohonestari posset talis occisio eo quod innocentis mors sit necessaria ad bonum commune, ut si tyrannus vellet alicujus civitatis omnes cives occidere, nisi ad eum mittant caput alicujus innocentis quem apud se habent. Nec valet comparatio cum membris physicis corporis humani, quorum unum vel aliud ad salutem totius corporis abscindere potest homo. « Etenim, ut ait De Lugo, membra corporis non habent in se aliquod jus adversus alia membra, nec sunt capacia injuriæ prout condistinguuntur inadaequate a toto supposito, sed ipsum suppositum est quod habet jus ad usum membrorum, et cui fit injuria abscindendo membrum, et in cujus utilitatem sunt ipsa membra, quare merito abscinduntur, quando id necesse est ad conservationem suppositi, propter quod sunt et non propter se. At vero respublica non potest in suam utilitatem convertere vitam suorum membrorum, eamque propter suam utilitatem consumere, quia non cives propter rempublicam sed hæc propter cives est, et ad eorum utilitatem ac bonum ordinatur (1) ».

---

(1) *De Jure et Just.*, disp. X, n° 104.

II. Indirecta occisio innocentis

1° *licet ob justam causam etiam auctoritate privata.*

Quod ex iisdem principiis constat, quibus supra p. 380 ostenditur licitam esse indirectam sui occisionem. Iterum enim agitur de actione ut supponitur justa aut saltem indifferente, quæ duplicem habet effectum, nempe proximi mortem, et alterum effectum æque immediate ex actione oriturum. Licet autem illam actionem ponere, modo justa detur ratio permittendi alterius mortem, quæ nullatenus intenditur. Hac vero justa causa deficiente infertur gravis injuria tum Deo, qui æque dominus est vitæ proximi ac nostræ; tum proximo, qui injuste magno vitæ bono spoliatur. Unde licite princeps in bello justo tormenta bellica in urbem dirigit, etsi multi innocentes etiam vitæ damnum patiantur, cum utatur jure suo, nec ei imputari possit effectus præter intentionem secutus. Pari modo ob gravem rationem proximum vulnerare licet, aut omittere actionem, qua ex omissione alterius mors præter intentionem secutura prævidetur.

2° *Salvo tamen simul ordine charitatis.*

Ratio est quia « salva justitia potest obstare charitas ne indirecte occidatur innocens in extrema necessitate spirituali constitutus, puta si quis se defendendo adversus injustum aggressorem simul indirecte occidere deberet infantem non baptizatum, ipse vero invasus non esset in eadem necessitate » (1).

A. D. C.

---

(1) Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia* II, p. 46. Cfr. etiam Carrière, *De Justitia* II, p. 353 sqq.; Marres. *De Justitia* I, p. 380; Theol. Mechl. *De Jure et Just.* (Mechl. 1896) p. 186; Genicot, *Theol. Mor.* I, p. 364; Zigliara, *Summa Philos.* ed. 12a, T. III, p. 172.

Brevitatis causa silentio præterimus quæstionem de liceitate abortus; quæ quæstio ex iisdem principiis esset solvenda, sed ob rei momentum latius tractanda.

IV

Q. *An et cur licita est occisio malefactoris?*

R. Privata auctoritate occidere malefactorem nemini licet. At non est illicita directa occisio malefactoris quæ fit auctoritate publica.

Probatur.

I. *Privata auctoritate occidere malefactorem nemini licet.*

Seponimus casum legitimæ defensionis adversus injustum vitæ aggressorem, de quo in resp. seq.; hoc unum contendimus: reum, etsi in manifesto scelere deprehendatur, privata auctoritate in sceleris vindictam, mortis pœna afficere nemini licet, nec etiam populari turbæ. Etenim talis occisio nec esset legitima vi dominii, quod omnino in casu deficit, nec vi jurisdictionis, quum sermo sit de occisione, privata auctoritate peracta. Et hæc est sententia communis et certa theologorum post S. Thomam: « Occidere malefactorem licitum est, inquit S. Doctor, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis, et ideo ad illum solum pertinet cui committitur cura communitatis conservandæ..... cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem, et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis (1) ».

Cæterum publicus ordo et communis civium securitas postulant, ut potestas judicandi et puniendi reos communitati, ejusque magistratibus reservetur: quot enim cædibus injustis, quot tumultibus ortum non daret potestas singulis attributa injurias suas etiam nece vindicandi?

Hinc ab Alexandro VII damnata est hæc propositio

---

(1) *Summ. Theol.* 2ª 2ᵉ, q. 64. a. 3.

(XIX): *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam;* hinc pariter omnino reprobanda tanquam justitiæ et ordinis publici maxime læsiva consuetudo in quibusdam regionibus vigens, juxta quam popularis turba reos pro arbitrio judicat et statim punit etiam pœna capitis (1).

II. *Potest auctoritas publica malefactores morti tradere.*

In multiplici controversia circa pœnam capitis exorta, duplex quæstio sedulo est distinguenda: quæstio juris, et quæstio socialis utilitatis seu opportunitatis. Sit igitur.

A/ **Quæstio juris.**

Supremæ auctoritati civili jus competere atrociora crimina mortis pœna puniendi multiplici argumento ostenditur.

1° *Ex S. Scriptura.*

Etenim in Vet. Test. legitur *Gen.* IX, 6: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; *Ex.* XXII, 18: *maleficos non patieris vivere*, etc., ex quibus liquet præceptum *non occides* non ita esse universale, ut cum aliqua restrictione non sit intelligendum; præterea nec in Vet. nec in Novo Test. ullum invenitur indicium vel facultatis populo Hebraico specialis, vel positivæ dispensationis (2), quin potius in Novo Test. aperte insinuetur agi de potestate quæ naturaliter competit cuivis legitimæ auctoritati publicæ. Et sane in *Ep. ad Rom.* XIII, legitur: « *Vis autem non timere potestatem, bonum fac et habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* » Ubi

---

(1) Cfr. Marres, *l. c.*, p. 380; Sabetti, *Comp. Theol. Mor.*, p. 200; Kenrick, *Theol. Mor.*, tr. III, n° 142; Genicot, *l. c.*, p. 350; Ills ac Revs Waffelaert *l. c.*, p. 47.

(2) Hoc docuit Scotus in IV *Dist* XV, *q.* 3, *a.* 2, contra sententiam communem theologorum.

aperte dicit Apostolus, datum esse gladium a Deo principibus, qua facultate gladii omnes intelligunt jus mortis infligendæ (1).

2° Idem comprobatur *ex omnium legislatorum, populorumque suffragio.*

Legislatores enim ubique et semper pro quibusdam delictis determinarunt et irrogarunt pœnam mortis, idque agentes arbitrati sunt se exercere jus sibi a natura datum et implere officium sibi ab eadem natura demandatum; quod etiam ubique et semper admiserunt populi et approbarunt (2). Universalis autem hic consensus et praxis non potest non niti in ipsa lege naturæ.

Huic consensui accedit auctoritas non modo philosophorum et jurisconsultorum veri nominis omnium temporum, sed omnium etiam theologorum et SS. Patrum. Sit ad exemplum illud S. Augustini : « Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est *non occides*, qui... personam gerentes publicæ potestatis... sceleratos morte punierunt (3) ».

3° Pariter *ex doctrina Ecclesiæ* illud luculenter constat.

Cfr. ex. gr. professio fidei Waldensibus ad Ecclesiam reducibus præscripta ab Innoc. III : « De potestate sæculari asserimus, quod sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam non odio sed judicio, non incaute sed consulto procedat. » Item inter errores Lutheri a Leone X per bullam *Exsurge Domine* damnatos invenitur hæc prop., 33ª : « Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus » (4).

---

(1) Cfr. Carrière, *De Justitia* II, p. 375.

(2) Discrimen quod inveniri posset inter varias societates civiles respicit usum, quatenus ex. gr. speciale aliquod crimen in una societate punitur, in alia non punitur pœna capitis. Sed ubique admittitur jus puniendi, et quædam crimina ubique puniuntur pœna mortis. Cfr. Ferretti, *Instit. Philos. Mor.* (Romæ 1896) III, p. 305.

(3) Lib. I, *De Civ. Dei*, c. 21.

(4) Cfr. Denziger, *Enchir.* n° 371, 657.

4° Denique *ex ratione* probatur.

Suprema potestas civilis jure suo malefactores eis pœnis temporalibus afficere potest, quæ ad bonum commune efficaciter tuendum exiguntur, et naturæ ac gravitati delictorum quadam proportione respondent.

Atqui ad efficacem tuitionem boni communis requiritur ut possit infligi pœna capitis, sicut et pœna capitalis est sola pœna proportionata quibusdam criminibus.

Ergo auctoritas publica jus habet infligendi pœnam capitis.

Probatur minor.

a/ Requiritur pœna mortis *ad efficacem tuitionem boni communis.*

Ad bonum commune efficaciter tuendum requiritur ut auctoritas publica possit publice sancire et infligere eas pœnas temporales, quibus homines a delictis rempublicam vastantibus efficaciter deterreantur. Atqui experientia omnium populorum constat in multis non reprimi audaciam et furorem delinquendi nisi capitalis pœnæ timore. Talem vero persuasionem pacificorum civium animis inhærere comprobatur ex frequentia et instantia supplicum libellorum, quibus post quædam atrociora crimina in nonnullis regionibus ubi de jure aut de facto sublata est pœna mortis, postulatur pœnæ capitis restitutio. Unde concludendum procul dubio licere ad efficaciter tuendam societatis securitatem, sceleratorum audaciam pœna mortis reprimere (1).

Nec dicatur: generatim criminibus obfirmatos cum ad crimina perpetranda se frequenter objiciant periculo mortis, hanc parum timere, immo plerisque sceleratis magis timendam esse diuturnam vel perpetuam incarcerationem, quam miserrimæ vitæ acceleratum terminum. Etenim imprimis advertendum aliud esse se objicere mortis periculo cum spe evadendi et magna emolumenta percipiendi; aliud ante oculos habere ignominiosum

(1) Cf. Meyer, *Inst. Jur. nat.* (Frib. Brisg. 1900) II, p. 609.

mortis supplicium absque spe evadendi et sine utilitate ulla. Præterea quod hic veluti factum universale et constans exhibetur, ad summum instar exceptionis raro aliquando et plerumque apparenter magis quam vere contingit. Hominibus enim commune est naturali horrore mortem adversari, quem sensum horroris et perditissimi mortalium iique maxime experiuntur. Hinc ad mortem damnati postulant, ut plurimum, commutationem pœnæ mortis cum pœna carceris, eamque si concedatur excipiunt tanquam magnum beneficium. Denique experientia constat a sceleratis detentionem etiam laboriosam ideo minus timeri, quod norunt eam hodie plerumque magna humanitate temperari solere, et generatim, præcipue ex ipsa instabilitate rerum politicarum, suggeri spem non semper inanem opportuna occasione libertatem recuperandi.

b/ *Adest proportio inter delictum et pœnam.*

Sunt enim quædam delicta, quorum naturæ et gravitati secundum communem hominum æstimationem sola pœna mortis respondet. Talia sunt crimina, quæ ex suo genere summam socialis ordinis læsionem continent, quæ vel privati hominis vel ipsius civilis communitatis existentiam, ipsum fundamentum et quasi substratum jurium sive privatorum sive publicorum aggrediuntur atque subvertunt, ut homicidium, crimen formalis rebellionis et alia hujusmodi, eoque magis quo graviore aliqua atrocitate qualificantur (1).

B/ **Quæstio socialis utilitatis seu opportunitatis.**

Qui hodie institutionem pœnæ mortis impugnant, eamque ex jure criminali eliminandam dicunt, non omnes eousque procedere audent, ut ipsum jus gladii publicæ auctoritati competere negent, sed plerique omissa juris quæstione ad rationes potius opportunitatis confugere solent. Contra quos contendimus *plenam* (2)

(1) Ita fere ad verbum Meyer; *l. c.*, p. 610.

(2) Dicimus *plenam abolitionem*, ita scilicet ut etiam atrocissima crimina non sint obnoxia pœnæ capitis. Exinde ergo non sequitur frequentiorem usum pœnæ mortis utilem censendum esse ac opportunum.

legalem abolitionem pœnæ mortis etiam pro hodierna conditione societatis civilis nulla sufficiente ratione socialis utilitatis seu opportunitatis suaderi.

Non enim suadetur

1° *Ex hodierno progressu culturæ ac civilitate morum.* Eatenus enim ex eo aliquid concluderetur quatenus constaret, eo magis generatim in aliqua regione crimina et numero et gravitate decrescere, quo altiorem gradum culturæ animorum ac civilitatis homines attingant. Ast tantum abest ut hæc idealis hypothesis reali veritati consentiat, ut historica experientia potius contrarium demonstret.

2° *Neque ex eo quod detentio malefactorum diuturna et perpetua ad emendationem rei unice accommodata sit.* Etenim quod mali quamdiu vivunt emendari possunt non prohibet quin juste et opportune possint occidi, « quia, ut ait S. Thomas, *c. gent.* l. 3, c. 147, periculum quod de eorum vita imminet est majus et certius quam bonum quod de eorum emendatione expectatur. » Præterea conspectus mortis est maxime utilis ad pœnitentiam, reisque semper sufficiens temporis spatium et opportuna copia cum supremo judice se reconciliandi omnino est providenda. « Quod si adeo sunt obstinati, ut ibidem prosequitur S. Thomas, quod etiam in mortis articulo cor eorum a malitia non recedit, satis probabiliter æstimari potest quod nunquam a malitia resipiscant. » Nec propterea abstinendum ab infligenda pœna capitis, cum illud procul dubio ad augenda magis quam refrænanda crimina valeret, et sceleratos pœnæ capitis jam addictos ad pertinaciter omnem resipiscentiam respuendam certa spe vitæ conservandæ invitaret. Denique notetur emendationem rei justitiæ criminali ut finem tantum secundarium proponi, quapropter hujus intuitu efficax securitatis civium tuitio neque negligi neque postponi debet.

3° *Neque tandem ex periculis quæ ex fallibilitate judicum aut arbitrario abusu pœnæ capitalis imminere possunt.*

Nam talis effectus malus non sequitur per se ex pœnæ capitis institutione, sed occasione illius dimanat aliunde per accidens. Nulla autem est potestas ab hominibus administranda, nulla bona institutio, cujus occasione propter hominum aut fallibilitatem aut improbitatem non enascuntur mala. Verum multo frequentiores sunt cædes innocentium, quæ per se oriuntur ex defectu fræni, quo nefarii homines unice retineri possunt ab aliorum civium vita inique impetenda. Abolita igitur pœna mortis, non ageretur jam de uno vel alio innocente viro, cujus vita sententiæ judicum fallibilium vel improborum subjacet, sed de tot honestis, probisque civibus quorum vita a gladio malefactorum non esset satis tuta ac protecta (1).

A. D. C.

V

Q. *Licitum est propriam tueri vitam etiam cum occisione injusti aggressoris, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Explica et proba.*

R. I. **Explicatur.** Dicitur

1° *Licitum est:* loquimur tantum de jure quod unicuique est vim vi repellendi etiam aliquando cum nece injusti aggressoris. Non enim per se loquendo datur obligatio ad id faciendum, cum nemo ad vitam servandam teneatur uti medio adeo extraordinario, adeo crudeli et arduo, quale est occisio proximi præsertim in statu peccati. Fieri tamen potest ut qualitas personæ cujus vita impetitur aliud exigat, ut si invasus esset

(1) Hæ sunt præcipuæ rationes ob quas pœna mortis ex moderna legislatione prorsus eliminanda dicitur. Cfr. Meyer, *l. c.*, p. 618 sqq.; Ferretti, *l. c.*, p. 310; Zigliara, *l. c.*, p. 248. Cfr. etiam Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. c.*, p. 53, ubi notatur aliquando ob gravissimam causam licite fieri posse unicuique copiam occidendi reum rite damnatum, immo et rarissime statim post crimen non expectata sententia. Quo in casu, ut patet, homo privatus non occidit auctoritate privata, sed publica, ut legitimus reipublicæ minister. Videsis de Lugo, *De Just. et Jure*, Disp. X, n° 82.

persona bono publico necessaria aut paterfamilias, tunc enim ex charitate vel pietate nasci posset obligatio ad vitæ tuitionem etiam cum occisione injusti aggressoris.

2° *propriam tueri vitam:* hic attende finem quem agens intendere debet. Licet enim directe interimi possit injustus vitæ aggressor, cum ejus occisio, ut supponimus, unicum medium est ad propriam vitam tuendam, non tamen unquam, ut efficax sit defensio, requiritur intentio proprie dicta mortis tanquam finis, et ideo non est legitima illa intentio. (1)

3° *etiam cum occisione injusti aggressoris.* Ut licita sit talis occisio requiritur

a/ ut aggressio sit *actualis*, scil. ut alter jam actu aggrediatur, aut saltem quædam jam hoc ipso momento agat, ex quibus moraliter judicatur jam aggredi, v. gr. jam arma tollat aut præparet, nam nemo expectare debet, donec facultas sese defendendi sibi jam fuerit erepta. Non tamen sufficit gravis suspicio, nec certo testimonio accepta scientia de alicujus proposito prima data opportunitate aggrediendi, nam actio violenta ipsi opposita non esset vera defensio sed præveniens aggressio; neque sufficiunt sola verba ex parte aggressoris, ut licite occidi possit, cum injuriæ verbis illatæ

---

(1) Qua ratione occisio aggressoris, quæ unicum medium supponitur ad propriam vitam tuendam, non possit directe eligi ut tale medium, quod plures auctores asserunt, profecto non videmus. Cfr. dicta de occisione directa et indirecta, p. 378. Aliud est directe velle et eligere mortem ut medium necessarium ad propriam salutem, ideoque intendere mortem non præcise qua mors est aut malum proximi, sed qua est defensio; aliud directe intendere mortem ut finem, quod esset lædere charitatem affectu odii, iræ vel vindictæ.

Et hoc modo forte conciliari possent dicta quorumdam AA: alii enim, affirmantes licere aggressoris mortem intendere, agere videntur de directa voluntate occisionis, quæ intenditur non ut finis, sed ut medium ad propriam defensionem, quam esse sine morte et malo alterius vellet invasus; alii contra, negantes licitam esse mortis intentionem, videntur loqui de intentione stricte dicta mortis ut finis, quam intentionem nemo dicet legitimam. Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia,* II, p. 55.

generatim aliter quam vi et potissimum quam occisione propulsari queant, atque inde evidens oriretur periculum multiplicis abusus, et occasio daretur cædibus infinitis.

b/ ut aggressio sit *injusta*. Non enim licet vitam defendere occidendo justum vitæ invasorem, puta satellitem, qui reum capere conatur, judicem qui juste ad mortem damnavit, accusatores, testes et lictores, qui cooperati sunt vel sententiam exsequuntur. Aggressor autem potest esse vel formaliter injustus, cujus nempe aggressio est actus humanus, seu voluntarius et liber, vel tantum materialiter ut est ex. gr. aggressor ebrius vel amens. Hic vero præsertim de aggressore formaliter injusto loqui intendimus, quamvis per se idem dicendum quoad aggressorem materialiter injustum. Equidem non negamus contingere posse ut aggressor materialiter injustus versetur in extrema necessitate spirituali, cui invasus tantum subvenire posset. Ut autem ex caritate quis teneatur permittere se potius occidi, oportet ut invasus prudenter judicet se esse in statu gratiæ, et certo sciat injustum aggressorem in peccato mortali versari, sed quia hæc utraque scientia plerumque non habetur, nemo incerta hac obligatione certo suo jure sese defendendi privari potest.

4° *Servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.*

Ut moderamen inculpatæ tutelæ servetur, oportet imprimis ut non detur alia via honesta periculum evadendi, nec unquam cruentam defensionem tentare licet, quamdiu vel recursus ad publicam auctoritatem, vel fuga sine gravi incommodo patet. Præterea requiritur ut illud dumtaxat malum inferatur, quod est necessarium ad injuriam seu imminens periculum avertendum. Non igitur occidat aggressorem qui vulnere tantum inflicto sese defendere potest, neque licitum putetur occidere invasorem fugientem, aut aliter aggressionem cessantem.

II. **Probatur**

1° *Ex jure canonico.*

Vide cap. *Si perfodiens* III, lib. V, tit. 12, *De homicidio:* « Quamvis vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittant, tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. » Et alibi passim.

2° *Ex jure naturali.*

Cum unusquisque jus habeat ad propriam vitam conservandam, habere etiam debet jus adhibendi media quæ sunt ad hunc finem necessaria, nec aliunde illicita. Atqui occidere injustum vitæ aggressorem quandoque est unicum medium salvandi propriam vitam, neque per hoc ullius certa jura violantur; aggressor enim libere et inique vocando in discrimen vitam alterius, nequit retinere jus in propriam vitam contra jus certum innocentis. Ergo unusquisque jus habet ad vitam defendendam etiam cum injusti aggressoris occisione. Addimus « servato moderamine inculpatæ tutelæ », quia quod necessitas non excusat, est contra justitiam.

Præterea nisi talis cruenta defensio liceret, publicæ securitati atque ordini sociali pessime provisum foret.

3° *Ex auctoritate theologorum*, qui, duce S. Thoma, illud communissima sententia docent. Nec dicatur, cum paucis aliter sentientibus, invasum teneri saltem ex charitate ad mortem injustam subeundam, quia salus æterna proximi præferenda est vitæ temporali propriæ. Etenim, ut ait De Lugo, obligatio charitatis ad procurandam salutem æternam proximi non est universalis nisi in casu necessitatis extremæ. Atqui non est in hac necessitate ille, qui libera sua voluntate se in discrimen salutis suæ conjicit, sibi enim soli imputare debet si a pravo conatu non desistat et sic semetipsum sponte perdat (1).

A. D. C.

---

(1) Cfr. De Lugo, *De Just. et Jure*, D. X, s VI; S. Thom. 2ª 2ᵃᵉ, q. 64, a. 7; S. Alph., lib. III, n° 380 sqq.; Marres, *De Justitia*, II, p. 382;

VI

Q. *Quel est, au point de vue juridique, le caractère du décret de 1809?*

R. **Remarque.** Abstraction faite de ce qui a été dit dans l'article précédent au sujet de la valeur du décret *au point de vue canonique et constitutionnel*, nous examinons la question *au seul point de vue juridique civil.*

Principes.

1° Il importe tout d'abord de déterminer la valeur juridique d'un décret impérial. Depuis le sénatus-consulte du 28 Floréal, an XII (18 Mai 1804) (1) qui organisa le gouvernement impérial, les actes du gouvernement appelés arrêtés (2) sous le Consulat, portèrent le nom de décrets impériaux. Le chef de l'État français n'avait point l'autorité législative. Néanmoins, sous la constitution du 22 Frimaire an VIII (13 Décembre 1799) (3), les arrêtés du premier Consul statuant sur un objet d'intérêt général et de régime intérieur et dûment promulgués, acquéraient force de loi, s'ils n'avaient point été dans les dix jours de leur publication déférés au Sénat par le Tribunat pour cause d'inconstitutionnalité ou si déférés, ils y avaient été

Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, p. 54 sqq.; Theol. Mechl, *De Jure et Just.*, (Mechl. 1896), p. 186; Ballerini-Palmieri, *Theol. Mor.*, (Prati, 1890), II, p. 622 sqq.; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, (Frib. Brisg. 1902), I, p. 494; Bucceroni, *Theol. Mor.*, (Romæ 1898) I, p. 303; Ferretti, *o. c.*, p. 252; Taparelli, *Essai Théor. de Droit Nat.*, I, n° 379 ss.; Castelein, *Droit Naturel*, (Paris-Namur, 1903) p. 108.

(1) *Pasinomie*, 1e Sér., T. XIII, p. 1 ss.

(2) On entend généralement par arrêtés, les actes qui peuvent être exercés par une autorité quelconque autre que le pouvoir législatif, dans le cercle des attributions que la loi lui confère. On a ainsi nommé les actes du pouvoir exécutif, du gouvernement, des administrations tant départementales que communales. Voir Bon, *Législation des paroisses*, Bruxelles, 1841, Introd., p. XVIII; Brixhe, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e édit., Liége, 1874, V° Arrêtés, p. 82 ss.

(3) *Pasinomie*, 1e Sér., T. X, p. 20-30, a. 21, 28, 37, 44 etc.

maintenus. Le sénatus-consulte du 28 Floréal maintint l'existence du Tribunat avec le privilège de déférer au Sénat conservateur les actes du Corps législatif ou de l'empereur.

Le Tribunat fut aboli le 17 Août 1807 (1). Cette suppression suscita une controverse sur la valeur des décrets postérieurs à cette date. (2). Mais la jurisprudence et la doctrine, tant française que belge, ont admis que ces actes bien que viciés dans leur origine, mais promulgués et exécutés comme lois sans opposition de la puissance législative, devaient conserver la force obligatoire d'une loi jusqu'à révocation. La base juridique de cette opinion se trouve d'une part, dans la compétence qu'avait le Sénat et de par la nature de son pouvoir conservateur et de par l'art. 21 de la Constitution de l'an VIII, pour se prononcer d'office sur la constitutionnalité de ces actes, et d'autre part, dans l'incompétence des tribunaux et de l'administration pour refuser de les appliquer à défaut d'opposition par le Sénat (3).

2° Donc seuls les décrets impériaux qui, en statuant *sur un objet d'intérêt général*, empiètent sur le domaine du pouvoir législatif, ont par approbation tacite du Sénat, force de loi et requièrent pour être abrogés, le concours du pouvoir législatif lui-même. Il n'en est point ainsi de ces décrets auxquels opposition n'a pas été faite, mais qui ont statué sur des matières qu'il appartenait *au pouvoir exécutif* de régler. Ces derniers ne sont que des règlements d'administration, qui par

---

(1) Sénatus-consulte concernant l'organisation du Corps législatif, *Pasinomie*, 1e Sér., T. XIV, p. 151-152.

(2) Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., Louvain, 1899, p. 61-62; Giron, *Le droit administratif de la Belgique*, 3 vol., 2e édit., Bruxelles, 1885, T. I, p. 43, n° 35; Soenens, *Des fabriques d'églises*, Louvain, 1862, p. 92-93; Bon, *o. c.*, p. XIX.

(3) Soenens, *l. c.*; Moulart, *l. c.*; Giron, *l. c.*; De Brouckere et Tielemans, *Répertoire de l'administration*, 8 vol., Bruxelles, 1834-1856, V° Décret, T. VI, p. 23-24.

conséquent peuvent être abrogés ou modifiés par les dépositaires actuels du pouvoir exécutif. (1)

Application.

1° A ne considérer les choses qu'au point de vue juridique civil, le décret de 1809 postérieur à la suppression du Tribunat, n'ayant pas été attaqué pour vice d'inconstitutionnalité dans le délai prescrit, est obligatoire.

2° Quant à sa nature propre, la question se pose si nous sommes en présence de dispositions qui ont un caractère purement législatif ou purement réglementaire.

D'aucuns ont soutenu que ce décret constitue une loi dans toute et chacune de ses dispositions, vu qu'il ne lui a pas été fait d'opposition dans les formes voulues (2). Un arrêt de la Cour de cassation, en date du 25 Février 1842 dit d'une façon générale : « Il est incontestable que ce décret n'ayant pas été attaqué pour inconstitutionnalité dans le délai prescrit, a acquis toute la force et l'autorité d'une loi », et dans la série des attendus, la Cour qualifie cet acte de décret-loi. (3)

Mais l'opinion le mieux fondée en droit, en jurisprudence et en doctrine voit dans le décret de 1809 un acte de nature mixte, partie loi et partie règlement.

En effet, d'après le principe énoncé plus haut, de ce qu'un décret impérial n'ait pas été déclaré inconstitutionnel dans les dix jours qui suivent sa publication, on

---

(1) Arrêt de la Cour de Cassation de France avec le réquisitoire du procureur-général Dupin, *Journal français des conseils de fabriques*, T. III, p. 368; André, *Cours de droit canon*, 2 vol, Paris, 1844-1846, V° Fabriques T. II, col. 58, note 1; voir aussi les auteurs cités à la note précédente.

(2) Jugement du Tribunal de Tongres du 28 Mars 1838 et arrêté de la Cour de Liége du 14 Juillet 1841. *Journal belge des conseils de fabriques*, T. I, p. 304 ss., 310.

(3) *Journal belge*, I, p. 199-200; Soenens, *o. c.*, p. 96, note 2 cite dans le même sens, deux arrêtés de la Cour de Liége du 13 Juillet 1840 et du 10 Juillet 1847. Voir aussi le *Journal français*, etc., T. X, p. 267.

ne peut évidemment conclure que toute et chacune de ses dispositions soit devenue une loi; mais son caractère juridique dépendra de l'objet qu'il réglemente ou sur lequel il légifère. Or, quand on considère l'objet des divers articles du décret de 1809, soit en eux-mêmes, soit dans leur corrélation avec les actes antérieurs, il est facile de se convaincre que beaucoup de ces prescriptions rentrent dans le domaine du pouvoir législatif, tandisque d'autres n'ont qu'une portée simplement réglementaire et d'exécution.

Cette opinion a prévalu devant l'administration française. (1) — En Belgique elle a été suivie par la jurisprudence administrative (2) et judiciaire (3) et elle explique pourquoi tantôt une loi fut jugée nécessaire pour modifier ou étendre les dispositions de cet acte, tandisque de simples arrêtés royaux ont suffi à cet effet dans d'autres circonstances (4).

La doctrine du reste semble unanime sur ce point. (5)

Il est cependant plus difficile de déterminer le ca-

---

(1) Ordonnance du 12 Janvier 1825 relative aux conseils de fabriques (André, *l. c.*, col. 58; Soenens, *o. c.*, p. 96-97); arrêt cité de la Cour de cassation du 18 Mars 1835 avec le réquisitoire de M. Dupin (*Journal franç.*, T. III, p. 368; T. X, p. 274, 276).

(2) Arrêté royal du 12 Mars 1849; circulaire ministérielle du 14 Mars 1849 (Versluysen, *Handboek van de Kerkfabrieken*, Leuven, 1877, p. 219-225).

(3) Arrêt de la Cour de cassation du 24 Février 1843 (*Journal belge*, etc., I, p. 312-313; *Pasicrisie*, 1843, I, 61).

(4) Delcour, *Traité de l'administration des fabriques d'églises*, Louvain, 1846, Introd., p. XXXVIII.

(5) *Journal franç.*, T X, p. 280 ss.; André, *l. c.*, Delcour. *o. c.*, Introd., p. XXXVIII, p. 57, 71, 112 etc.; Soenens, *o. c.*, p 93 ss.; Moulart, *l. c.*; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, 7a edit., T. II, nº 961, p. 260; Giron, *o. c.*, T. III, p. 14; du même, *Dictionnaire de droit administratif et de droit public*, 3 vol., Bruxelles, 1895, Vº Fabriques, T. II, p. 46, nº 7; Tielemans, *o. c.*, Vº Fabriques, T. VII, p. 259 ss. Cet auteur est d'avis que le décret de 1809 est principalement réglementaire et exceptionnellement législatif. Il avoue que son opinion — fondée du reste sur des arguments qui portent à faux — n'a pas prévalu dans les cercles du gouvernement.

ractère particulier de chaque article du décret. Voici à titre d'exemples les dispositions que la jurisprudence et les auteurs ont considérées comme appartenant au régime réglementaire ou législatif.

Sont purement réglementaires:

1° Toutes les dispositions concernant l'organisation des fabriques, la nomination et le renouvellement des membres du conseil et du bureau, la nature et la durée des fonctions fabriciennes etc., (1) « attendu, dit l'arrêt de cassation du 24 Février 1843, que l'article 76 de la loi du 18 Germinal an X, a ordonné l'établissement des fabriques, que le décret du 30 Décembre 1809 porté pour l'exécution de cette loi, a tracé les règles à suivre pour l'organisation de ces conseils et leur marche, que toutes ces règles sont purement administratives ». Cela ressort du reste de l'examen des anciens règlements des fabriques d'églises. (2)

2° La nomination et la révocation des serviteurs d'églises (3).

3° L'approbation du roi exigée par l'art. 62 pour les aliénations et les baux à long terme, était aussi considérée comme disposition réglementaire, mais la loi du 30 Juin 1865 a changé ce caractère (4). La même

---

(1) Voir néanmoins une réponse du ministre de la justice au ministre de l'intérieur, en 1838. Le ministre de la justice fait observer que les articles 6, 7, 8 du décret contiennent des dispositions législatives et qu'il serait par conséquent illégal d'établir en faveur du gouvernement le droit de dissoudre les conseils de fabriques. V. Tielemans, *l. c.*, p. 260.

(2) Documents relatifs au Décret du 30 Décembre 1809. — Rapport de la section de l'intérieur du Conseil d'État dans *le Mémorial*, T. XIV, 1870, col. 337-338, 341-342.

(3) Ordon. franç. du 12 Janv. 1825 (de Champeaux, *Recueil général de droit civil-ecclésiastique français*, 2e édit., Paris, T. II, p. 497-498); arrêté royal du 22 Déc. 1819 (Bon, *o. c.*, p. 186). On discute la légalité et la force obligatoire de cet arrêté. Voir: Moulart, *o. c.*, p. 223; Delcour, *o. c.*, p. 112; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, n° 1048, p. 338, ss.; de Corswarem, *De la législation civile des cultes et spécialement de l'administration des fabriques d'églises*, Hasselt, Ceysens, 1904, p. 464-466.

(4) Loi communale a. 76, 1°; voir Moulart, *o. c.*, p. 66; Delcour, *o. c.*, p. 71-72, se prononçait déjà pour le caractère législatif d'un article aussi important.

remarque vaut pour l'autorisation du ministre des cultes, requise par l'article 59 pour les dons et legs. (1)

Ont le caractère législatif.

1° Les dispositions du décret qui attribuent aux fabriques la propriété des biens célés au domaine (2).

2° Celles, en général, qui concernent les revenus des fabriques.

3° Celles qui imposent des charges aux communes, au profit des fabriques.

4° Les règles de comptabilité, modifiées par la loi du 4 Mars 1870.

5° Les pouvoirs reconnus à l'évêque en matière d'élection, de nomination, de reddition des comptes etc. (3).

A. D. M.

---

(1) Loi communale, a. 76, 3°.

(2) Ar. cité de la Cour de cassation en date du 16 Février 1841; voir Tielemans, *l. c.*, p. 260; 291-292.

(3) Cela ressort de la tradition juridique. Voir l'art. 52 de l'ordonnance de Blois (1579); l'art. 3 de l'édit de Melun (1580); les aa. 17, 21 de l'édit de 1695, *le Mémorial*, l. c., col. 356-358, 349.

Le liber memorialis

des églises du diocèse de Bruges.

(Suite. — Voir ci-dessus p. 265).

—

Questions de méthode.

Dans les écrits de beaucoup de chroniqueurs et d'historiographes, l'histoire se trouve trop souvent réduite à n'être que la narration d'une série de faits et d'événements saillants à date précise, concernant surtout la vie et l'influence des dirigeants. Ces écrivains nous exposent-ils l'histoire d'un peuple, il faudra les suivre presque toujours sur un champ de bataille ou à la cour d'un prince, dans les salons d'une ambassade ou l'enceinte d'un parlement. Mais la vie de l'ouvrier et du bourgeois, les fluctuations du commerce et de l'industrie, les manifestations de la vie religieuse et intellectuelle du peuple, les courants d'opinion et les habitudes qui se dessinent dans les masses, tout cela bien souvent est passé sous silence dans les œuvres de ces auteurs. Ecrivent-ils une histoire plus modeste, une monographie paroissiale, on y trouvera les dates de la construction ou de la restauration de l'église, la série des curés et vicaires, la biographie de quelques hommes remarquables et certains autres grands faits; mais rarement le fonctionnement et l'influence des diverses institutions établies; plus rarement encore on y verra groupées les données qui permettent de saisir sur le vif la vie réelle, morale, religieuse, sociale et matérielle de la généralité de la population. Et cependant ces éléments sont indispensables pour donner une idée exacte et utile d'une paroisse. L'auteur du *liber memorialis* fera donc bien de consigner non seulement les

faits saillants et uniques, mais encore les *situations* générales intéressantes.

***

Ce serait une erreur de croire que les faits et les situations qui coexistent ou se succèdent, viennent se juxtaposer comme des unités indépendantes. Ils s'influencent mutuellement. Ils sont l'effet de telle cause et deviennent à leur tour les facteurs de nouveaux changements. Ce *principe de causalité*, qui domine les événements dans leur réalité objective, doit être mis en lumière dans leur exposé historique. S'il faut constater, par exemple, un affaiblissement dans la pratique religieuse, ne conviendrait-il pas d'en rechercher la cause et l'explication, qui se trouvera peut-être dans une certaine négligence du clergé, un manque ou une mauvaise direction des écoles, une propagande antireligieuse plus active, des changements économiques ou sociaux (usines, ouvriers allant travailler à l'étranger, influence plus grande d'une ville voisine, etc.). Faut-il signaler la création d'une nouvelle œuvre de charité ou de préservation sociale, pourquoi n'indiquerait-on pas la situation qui la provoque et les motifs qui inspirent les organisateurs? Il va de soi que dans ces conditions, le *liber memorialis* présenterait un intérêt bien plus vif et aurait une utilité beaucoup plus grande.

***

Enfin, **quel ordre** faut-il suivre dans l'exposé de tous ces éléments historiques? Quelle division faut-il adopter ?

Chaque fait a son caractère spécial et se produit à un point déterminé du temps et de l'espace. Pour classer les matériaux historiques, on peut donc se mettre à trois points de vue différents : la *nature* des événements, le *temps* où ils se passent, la *contrée* où ils se produisent. De là un triple principe d'ordre et de division, dé-

terminant le groupement *logique*, *chronologique* ou *géographique*.

Dans une étude d'histoire locale, p. ex. une monographie paroissiale, il n'y a évidemment que peu de place pour des divisions ou des subdivisions *géographiques*.

Les deux autres méthodes peuvent être suivies. En réalité, l'une et l'autre ont été adoptées, soit dans les anciens registres historiques ou *dagboeken*, conservés dans quelques églises paroissiales, soit dans les livres mémoriaux qui ont été mis à jour ou commencés à la suite du décret prosynodal de 1900.

Le *procédé chronologique* ne tient compte que d'un seul élément: la succession chronologique des événements. Jour par jour, année par année, on annote successivement, dans l'ordre où ils se produisent, tous les faits qu'on juge dignes d'être enregistrés. Aujourd'hui c'est l'achat d'un nouvel ornement, demain ce sera l'érection d'une confrérie, puis une visite épiscopale, suivie bientôt d'une réparation à la toiture de l'église ou de la nomination d'un nouveau vicaire.

Ce mode de raconter l'histoire sous forme d'éphémérides ou d'annales (dag- of jaarboeken) est sans contredit le plus facile et le plus simple. Il a été suivi assez généralement par nos historiographes du moyen âge et leur a valu le nom soit de chroniqueurs (χρόνος) soit même d'annalistes *(annus)*.

Malheureusement ce système présente assez bien d'inconvénients. Le pêle-mêle de ces notes sur les matières les plus hétérogènes, rend plus difficiles les recherches sur des faits à date inconnue ou sur les péripéties diverses par lesquelles une institution a passé. Il y aurait bien des pages à parcourir inutilement à celui qui voudrait, par exemple, dresser la liste chronologique des curés ou des vicaires, ou se rendre compte des modifications apportées à l'église ou des changements subis par l'organisation de l'enseigne-

ment (1). En outre, en coupant par tranches les divers faits qui se rapportent à un même objet, on cache, si on ne détruit pas, le lien logique qui rattache ces faits les uns aux autres, et on empêche de suivre l'évolution naturelle d'une habitude ou d'une institution. Enfin, cette méthode tend à faire omettre bien des points intéressants. N'ayant des yeux que pour voir les événements plus ou moins extraordinaires, à date précise, on remarquera plus difficilement ces transformations successives, ces évolutions lentes qui se produisent dans la collectivité et qui expliquent des faits à première vue étranges, et font comprendre le succès ou l'insuccès de certaines mesures prises par l'autorité. On songera rarement à enregistrer des faits qui se reproduisent régulièrement, des habitudes existantes, des situations générales, dont la connaissance épargnerait cependant bien des difficultés à un nouveau curé.

La *seconde méthode*, préconisée et adoptée généralement aujourd'hui, groupe les matériaux et divise l'exposé non seulement d'après la chronologie des faits, mais encore et surtout d'après la *nature* même des matières qu'il s'agit d'enregistrer ou de faire connaître.

Mais ici se présente une sérieuse difficulté, surtout pour ceux qui sont peu initiés aux secrets de la méthode historique. La nature des événements et des situations variant presque à l'infini, d'après quels caractères groupera-t-on les matériaux? Cette question de méthodologie a donné lieu à de nombreuses controverses et à de grandes divergences d'opinions, qu'il serait trop long de développer ici. Il n'y a pas de principes bien fixes ni de limites bien rigoureuses pour la détermination des divers groupements, qui diffèrent évidemment d'après

(1) On peut jusqu'à un certain point obvier à ce premier inconvénient au moyen de manchettes ou notes marginales indiquant l'objet des renseignements donnés dans le texte.

la nature du sujet et même d'après les idées personnelles de chaque auteur.

En ce qui concerne les monographies paroissiales, la question du plan à suivre a été discutée à plus d'un congrès, sans que l'accord se soit établi. Les grandes lignes toutefois ont été tracées. Les auteurs de quelques monographies les ont suivies avec plus ou moins de succès. Enfin et surtout les questionnaires-programmes élaborés avec autant de soin que de compétence pour plusieurs diocèses, notamment pour ceux de Cambrai et de Malines, constituent des guides excellents, que nous serions heureux de voir suivre dans leurs grandes lignes. C'est d'après ces multiples données que nous nous permettons de proposer pour le *liber memorialis* le plan général suivant, que nous développerons plus tard sous forme de questionnaire détaillé.

*
* *

Le registre comprendrait — après les préliminaires, dont nous avons traité antérieurement (1) — deux grandes sections, dont l'une nous donnerait sous forme d'*annales*, les éléments d'une sorte d'histoire générale, tandis que l'autre grouperait d'après l'ordre logique, les données de l'histoire spéciale.

I. L'**histoire spéciale** de la paroisse grouperait en cinq chapitres tout ce qui concerne :

1/ le temporel : l'église et ses dépendances — le cimetière — le presbytère — les biens et revenus de la fabrique — les chapelles et oratoires séparés ;

2/ le personnel de l'église et la population ;

3/ la vie spirituelle : culte et pratique religieuse ;

4/ les institutions de piété, de charité, d'enseignement, de préservation sociale, etc. ;

---

(1) Voir plus haut, p. 267 ss.

5/ la vie sociale : mœurs, habitudes, coutumes spéciales, etc.

Quiconque veut commencer, à un point déterminé, l'histoire d'une institution qui n'est plus à ses débuts, doit, sous peine d'être incompréhensible, donner une idée exacte de la situation existant au point de départ. Avant donc d'exposer — dans le registre consacré aux faits contemporains — les changements que les événements successifs vont amener, il faudra que le *liber memorialis* commence par un relevé, une sorte d'inventaire, de ce qui existe actuellement, de ce qui se pratique aujourd'hui. C'est la partie *statistique*, qui devra servir de base à la partie *historique*. Le questionnaire-programme que nous donnerons fournira à ce sujet des indications assez détaillées et permettra de grouper convenablement les matériaux.

Cette partie une fois achevée, il suffira d'annoter, sous chaque rubrique, au fur et à mesure qu'ils se produisent, tous les faits qui amènent des modifications à la situation étudiée dans chacun des paragraphes.

Nous ne mentionnons explicitement dans cette partie que les faits et les situations qui se rapportent directement à l'histoire *religieuse de la paroisse*. Il en est beaucoup d'autres, qui, tout en appartenant plutôt au domaine de la vie civile et de l'histoire politique de la commune, ont des rapports si intimes avec l'administration ecclésiastique et la vie religieuse de la paroisse, que le curé ne pourra se soustraire à la nécessité de les consigner. D'autres enfin, sans avoir un rapport si direct avec l'objet propre du *liber memorialis*, mériteraient d'être notés, moins pour satisfaire la curiosité que pour faciliter l'intelligence des faits contemporains de l'histoire de la paroisse.

Bon nombre de ces notes auront leur place toute marquée dans les divers chapitres de la section d'histoire spéciale : p. ex. *tout* ce qui regarde directement les écoles, soit catholiques, soit officielles, sera renseigné

au chap. 4/, dans le paragraphe qui traite de l'enseignement. Au besoin, on pourra introduire une subdivision spéciale: p. ex. au chap. 2/ un paragraphe consacré au personnel administratif de la commune. Enfin, ce qui semblerait moins bien cadrer avec les divisions indiquées, p. ex. l'histoire des luttes politico-religieuses, serait régulièrement annoté dans l'autre section, dans les annales.

II. La section des **annales** serait consacrée au récit de ces faits qui ne se présentent que rarement, qui ont un caractère plus extraordinaire, de ceux qui se rapportent davantage à la situation ou la direction générale de la paroisse ou dont l'influence s'exerce à la fois sur divers domaines spéciaux. On y ajouterait tout ce qu'on estime ne pas rentrer directement dans le cadre de l'un des chapitres de la section spéciale. Le rédacteur du *liber memorialis* aurait ainsi une plus grande liberté d'allures et donnerait à ces notes journalières tous les développements qu'il juge convenables.

Cette section ne comporterait aucune division logique, aucun classement basé sur la nature des événements. On ne tiendrait compte que de la succession chronologique. Elle serait rédigée d'après la première méthode, et donnerait sous forme d'éphémérides, d'annales ou de chronique les données principales d'une sorte d'histoire générale de la paroisse. Rien n'empêcherait de placer cette section la première.

C. C.

Ex S. Congr. Rituum

I

COMPOSTELLANA

Quum ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una *Pisana* diei 20 Martii anni nuper elapsi 1903, (1) tolerari non possit ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* in Feriis IV, V et VI Majoris Hebdomadæ fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis instrumentis sine strepitu, *a corda*, *violini*, *viole*, *controbassi* nuncupatis, neque cum solo instrumento *Harmonium*, E^mus^ et R^mus^ D^nus^ Cardinalis Joseph M. Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus ab eadem Sacra Congregatione sequentis dubii opportunam declarationem reverenter expostulavit; nimirum: An prædictum Decretum habendum sit tanquam Decretum generale seu *Urbis et Orbis*, ita ut ubique obliget, non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemoriali?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicæ, respondendum censuit: Affirmative, quum Decretum Rubricas respiciat universam Ecclesiam spectantes: et in casu *provisum etiam Motu proprio SS^mi^ D^ni^ Pii Papæ X super musica sacra*, d. d. 22 Novembris 1903 et subsequenti Decreto *Urbis et Orbis* S. R. C. hac die 8 Januarii 1904 edito (2).

Atque ita rescripsit, die 8 Januarii 1904.

S. Card. Cretoni, *Præf.*
D. Panici, Archiep. Loadicen., *Secret.*

II

PLOCENSIS.

Quum quædam Ephemerides Polonicæ, quæ Varsaviæ eduntur, nuper asseruerint aliquem Ordinarium hujus Pro-

(1) *Il Monitore Ecclesiastico*, T. XV, p. 106.
(2) *Coll. Brug.*, T. IX, p. 111-123.

vinciæ Varsavien. obtinuisse a S. Sede permissionem pro populo canendi juxta antiquum morem, tempore Missæ Solemnis, sine Ministris sacris celebratæ, varias cantilenas pias in lingua vernacula, omissis iis, quæ a rubricis cani præscribuntur, hodiernus R^mus D^nus Episcopus Plocensis a Sacrorum Rituum Congregatione opportunam sequentium dubiorum solutionem reverenter expetivit:

I. Sitne reapse data talis permissio cuidam Antistitum hujus Varsaviensis Provinciæ?

II. In casu affirmativo ad I. sitne hoc merum tantummodo privilegium pro una Diœcesi; vel extendi possit ad omnes Diœceses hujus Provinciæ?

III. In casu affirmativo ad II., sintne Decreta Sacræ Rituum Congregationis n. 3365 *Clodien.* 7 Aug. 1875, ad VII, n. 3496 *Præfecturæ Apostolicæ de Madagascar* 21 Junii 1879 ad I, n. 3880 *Bisarchien.* 31 Jan. 1896, et n. 3994 *Plocen.* 25 Junii 1898 ad I abrogata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative et ad tempus; sed hæc permissio jam fuit revocata *Motu proprio SS^mi D. N. Pii Papæ X super musica sacra* 22 Novembris 1903 et *Decreto S. R. C. Urbis et Orbis* 8 Januarii 1904.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Negative et serventur Decreta prædictis Motu Proprio et Decreto Urbis et Orbis confirmata.

Atque ita rescripsit, die 29 Januarii 1904.

S. Card. Cretoni, *Præfectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotationes. — Juvat occasione hujus decreti, quædam afferre de valore juridico Instructionis SS^mi D^ni Pii Papæ X, super musica sacra, d. d. 22 Nov. 1903, cui accessit Decretum generale S. C. R., eadem die 8 Jan. 1904 ac documentum supra sub I transcriptum in lucem editum.

1° Præfata Instructio constituit codicem juridicum, universalem, non tamen exclusivum, musicæ sacræ.

Etenim Summus Pontifex *præcipuas* præscriptiones ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in templis vel promovendam vel restituendam in unum corpus collegit, cui tanquam *Codici juridico musicæ sacræ* ex plenitudine apostolicæ suæ potestatis, *vim legis pro universa Ecclesia* habere voluit. (1) Ergo jus prorsus novum non conditur, sed agitur de codificatione aliqua juris anterioris, et de confirmatione illius per insertionem in aliquam collectionem vim legis universalis habentem; ita ut ex unâ parte dispositiones anteriores universales quæ cum Motu proprio concordant, *etiam* ex nostra Instructione vim suam sortiantur, et ex alterâ parte dispositiones juris particularis per illam insertionem ad summum gradum valoris juridici assurgere dicendæ sint. (2).

Cum nullum verbum faciat legislator de suppressione juris anterioris (3), illudque imò adhuc vigere supponat, (4) ea sola, juxta principia, abolitio est affirmanda, quæ ex alicujus legis universalis promulgatione sequitur, et juxta quam omnes et solæ leges et consuetudines anteriores, universales et contrariæ, vi juridica destituuntur. Non ita fecerat Leo XIII, Constitutione « *Officiorum et Munerum,* » ubi abrogatio juris præcedentis est quoad suam extensionem, una salva exceptione, amplissima, quoad suam intensionem seu vim intrinsecam fortissima.

---

(1) Introd. Instruct. in fine; Decret. cit., *Coll. Brug.*, l. c., p. 113, 122.

(2) Comparanda est hodierna legislatio cum variis articulis litterarum pastoralium Card. Sarto patriarchæ Venetorum d. d. 1a Maii 1895. *Musica Sacra*, 23e année, 1903-1904, p. 3-8.

(3) Ita inter alia, ordinationes Cærem. Episc. vel Decreta S. C. R. circa organum concomitans, circa ea quæ in Missa Solemni cantanda sunt, circa textum canticorum ecclesiasticorum eligendum. Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, t. III, p. 484 sqq.; De Herdt, *Sacræ Liturgiæ Praxis*, 9a ed., t. I, p. 152; Van der Stappen, *Cæremoniale*, in Append. II, p. 297 sqq.; Haberl, *Magister choralis*, 11a ed., Ratisbonnæ, 1896.

(4) Quod abunde confirmat Decretum 29 Januarii, ad III.

Ex præcedentibus, principia interpretationis novæ legis facillime deducuntur. (1)

2° Abrogantur *omnes exemptiones* et *privilegia quæcumque* etiam speciali mentione digna; et per modum exempli afferuntur privilegia et exemptiones ab Apostolica Sede majoribus Urbis basilicis, præsertim vero Sacrosanctæ Ecclesiæ Lateranensi concessa (2). Decretum d. 29 Januarii, cujus textum supra transcripsimus non est nisi applicatio dictæ abrogationis.

3° Instructio Pii X pro objecto habet, non tantummodo sacræ musicæ dignitatem et sanctitatem promovere et instaurare, sed etiam venerabilem Cantum Gregorianum juxta codicum fidem in Ecclesia feliciter restituere. Inde est quod pariter revocantur privilegia et commendationes, quibus aliæ quæcumque cantus liturgici recentiores formæ, ob rerum ac temporum circumstantias ab Apostolica Sede et a S. Congregatione Rituum inducebantur. Nihilominus Sanctissimus Dominus noster benigne concedere dignatus est ut prædictæ editiones in iis Ecclesiis ubi jam invectæ sunt, licite retineri et cantari queant, donec *quam primum fieri poterit,* venerabilis Cantus Cregorianus juxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur. Ita Decretum S. C. R. Evidenter alludit S. Congregatio ad editiones cantus liturgici Ratisbonnæ curatas, ad unitatem in re liturgica habendam repetitis vicibus et magnopere reverendissimis locorum Ordinariis a Sancta Sede commendatas et uti authenticas, *sensu vocis juridico,* habitas et habendas (3) ita ut in novis editionibus Missalium, Ritualium, Pontificalium, eæ

---

(1) *Rev. théol. franç.*, T. IX, 1904, p. 166 ss.

(2) Decret. cit., *Coll. Brug.*, loc. cit.

(3) Cf. illa acta S.S. ap. *Decreta authentica SS. Rituum congregationis*, 1898-1901, T. III, n° 3830; quibus addi possunt Decr. 25 Sept. 1884, ap. *Acta Sanctæ Sedis*, T. XVII, p. 340; Ordinatio de Musica Sacra à S. C. R. approbata dd. 7 et 12 Junii 1894, Decreta 7 et 21 Julii 1894 in *Appendice ad Concilium Plenarium Americæ latinæ*, p. 547 ss.

partes quæ musicis notis designantur ad normam editionis prædictæ omnino conformes exigantur. (1) Harum commendationum revocatio, pluribus Leonis XIII et Pii X declarationibus præparata, authentice et absolute peracta est (2) et loco hujus officialis editionis *imponitur* versio cantus Gregoriani traditionalis, juxta fidem manuscriptorum critice restituta (3). Ita editiones Benedictinæ, ab eruditis piisque viris post longa et scientifica studia curatæ, non obscure designantur. (4) Tamen in Congressu historico-liturgico, occasione decimi tertii centenarii a glorioso decessu S^ti^ Gregorii Magni Romæ habito, diebus 7, 8 et 9 Aprilis, hac ultima die Ill^mus^ et Rev^mus^ D^nus^ Foucault nomine Summi Pontificis hanc protulit declarationem : « Sa Sainteté ne veut instituer aucun privilège, ni monopole pour aucun éditeur. Aussitôt après le Congrès, Sa Sainteté établira une Commission pour préparer l'édition typique. A mesure que les feuilles sortiront de l'imprimerie vaticane, elles seront mises à la disposition des éditeurs qui auront le droit de les reproduire, mais sans aucune modification.

« En attendant chaque diocèse pourra se servir de ses livres actuels, sans être obligé d'en adopter d'autres, avant la publication de l'édition typique » (5).

---

(1) Decret. 26 Aprilis 1883 ap. Haberl, *l. c.*, p. VI.

(2) Jam nunc saltem mutanda sunt quæ multi scripserunt de valore horum actorum S.S., ita quæ scripsit R. P. Bogaerts C. SS. R. *Die Kanonistiche Würdigung der neuesten Choraldekrete*, ap Pastor-Bonus, T. XVI, 1903, p. 14-24, 59-67; et ap. *Kirchenmusikalisches Jahrbuch 1903*, Ratisbonnæ, Pustet, 1904.

(3) Uno verbo loco editionis *juridice* authenticæ habebimus editionem *historice* authenticam.

(4) Ita omnes qui de hac re scripserunt: *Rev. th. franç.*, 1 c. p. 166; *Gregorianische Rundschau*, T. III, 1904, p. 36; *La civiltà cattolica*, T. LV, 1904, p. 274-275, etc. Nuperrime prodiit Decretum S. C. R. d. d. 24 Februarii 1904, juxta quod Editiones Benedictinæ Solesmenses, quoad textum typicæ editioni plane conformes repertæ sunt et quoad cantum, respondentes Motui Proprio et Decreto S. C. R. diei 8 Januarii. Cf. *Rassegna Gregoriana*, t. III, 1904, col. 260-261, in nota, col. 273; *Revue ecclésiastique de Metz*, t. XV, 1904, p. 368 ss.

(5) Juxta transcriptionem ipsius documenti publicatam in periodico *Rassegna Gregoriana*, T. III, 1904, col. 280.

En clare determinatus sensus vocis *Quam primum* in Decreto Urbi et Orbi S. C. R. contentæ.

Brevi post hanc declarationem, S^mus^ Dominus noster Pius X, *Motu Proprio* d. d. 25 Aprilis, normas determinavit secundum quas, cum diligentia et alacritate instruenda erit Editio Vaticana librorum liturgicorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ melodias Gregorianas referentium; simulque instituit commissionem, cujus examini et revisioni versio cantus Gregoriani, operæ RR. PP. Benedictinorum Solesmensium concredita, erit submittenda. (1) His normis jam ex nunc plane conformes reperiuntur Editiones Benedictinæ a S. C. R. approbatæ.

4° Nec Instructio, nec Decretum supramemoratum specialem mentionem faciebant de abrogatione consuetudinum particularium. Quæ proinde, dummodo essent rationabiles (quod tamen in re liturgica difficulter verificatur) et legitime præscriptæ, juxta principia, adhuc vigere dicendæ erant. Fatendum est quod juxta spiritum actualis legislationis, attentaque ejus indole absoluta, quædam sat momentosa argumenta pro earum suppressione quis posset afferre (2). Hujus quæstionis solutioni, elementum magni valoris præbet transcriptum Decretum S. C. R. ad E^mum^ et R^mum^ Archiepiscopum Compostellanum.

Petitum fuerat, an Decretum datum in una Pisana 20 Martii 1903 (in quo praxis adhibendi instrumenta musicalia in cantu Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* in Hebdomada sancta, reprobata fuerat ut contraria præscriptionibus Cœremonialis Episcoporum L. I, Cap. XXVII et variis S. C. R. Decretis) habendum esset tanquam Decretum Generale ita ut ubique obligaret, non obstante quacumque consuetu-

(1) *Analecta Ecclesiastica*, T. XII, 1904, p. 147 sq ; *Rassegna Gregoriana*, l. c.; col. 257 ss. Illa Vaticana editio, ipso declarante pontifice, spectat tantum ad Ecclesiam Romanam, aliasque ejusdem ritus ecclesias..

(2) *Rev. th. fr.* l. c. p. 168-169.

dine in contrarium etiam immemoriali. Et Respondit S. Congregatio « Affirmative, quum Decretum Rubricas respiciat universam Ecclesiam spectantes, et in casu *provisum etiam Motu Proprio SSmi Dni Papæ Pii X super musica sacra* (1) *et subsequenti Decreto Urbis et Orbis S. C. R.* » In hoc Decreto legitur formula « Contrariis non obstantibus quibuscumque », quæ juxta responsum S. Sedis est etiam intelligenda de consuetudinibus particularibus etiam immemorialibus. (2) In casu tamen quo abrogatio consuetudinis esset nimiis obnoxia difficultatibus semper patet via ad S. C. Rituum.

« Ita, Deo auxiliante, ait SSmus Dnus noster Pius X in fine sui decreti d. d. 25 Aprilis, confidimus posse Ecclesiæ restituere cantum unicum traditione acceptum eo modo qui scientiæ, historiæ, arti dignitatique liturgici cultus respondeat, quantum hodierna studia permittunt; reservantes Nobis Nostrisque Successoribus aliter disponendi facultatem » (3).

A. D. M.

---

(1) a. 15.
(2) Ita *Il Monitore Ecclesiastico*, T. XVI, p. 27.
(3) Nuntius Romanus, T. XXIII, 1904, p. 110.

Consultationes

I

Quæritur. Nuper celebratum est matrimonium coram me, parocho in civitate X, inter juvenem Titium extraneum et puellam Bertham majorennem, natam in parochia B. Hujus sponsæ pater, uxore defuncta et Bertha adhuc minorenni, secundas nuptias inierat et lares transtulerat a parochia B. in parochiam R., plures filias, inter quas Bertham, relinquens in parochia B., intra cujus limites domum occupabant, a domicilio paterno penitus segregatæ, omni cum ipso consuetudine abrupta. Interim Bertha famulatum susceperat in parochia mea, domum sororum in B. continuò habens ut suam, ad quam etiam, immediatè ante matrimonium, per aliquot dies secessit. Porro, illius votis obsecundans, matrimonio assistentiam præbui, sola delegatione parochi de B. munitus.

Quid censendum de valore hujusmodi matrimonii?

Respondetur. Ad hujus quæstionis solutionem prævie inquirendum est in quanam parochia, matrimonii tempore, domicilium vel quasi-domicilium habuerit Bertha sponsa.

Profecto quasi-domicilium, quod forte contraxerat, durante famulatu, in parochia parochi consulentis, amiserat per ipsum discessum, aliquot dies ante nuptias institutum.

Quod spectat parochiam R., ad quam pater diverterat, in illa domicilium retinuit Bertha, *quousque minorennis exstitit*, cum, eo tempore, vi dispositionis juris, de qua fusius apud *Collat.*, VIII, pp. 348 et seq., necessariò sequeretur domicilium paternum, licet alibi de facto commorans; atvero, *sui juris effecta,* dicto domicilio efficaciter renuntiare valebat, quod, attentis expositis, reipsa fecisse præsumitur, siquidem, toto

tempore, a paterna parochia R. vixerit penitus segregata, et domum a sororibus in parochia B. occupatam continuò habuerit ut suam.

Tandem ad parochiam B. quod attinet, ex expositis non satis liquet utrum, nuptiarum momento, ad eam pertinuerit sponsa. Ulterius nempe indagandum foret utrum, *inde a majoritate sua,* ibidem de facto habitaverit, ante conceptum animum exinde in perpetuum recedendi. Habebat quidem domum a sororibus habitatam ut suam et hac sola electione potuit utique, juxta dicta, efficaciter renuntiare domicilio juris, supposita majoritate, non autem novum sibi constituere domicilium proprium et personale: ad hoc enim oportet ut, ad tramites juris, animo domicilium eligendi in proprium accesserit factum commorationis; nec attendenda est illa habitatio per paucos dies matrimonium præcedentes protracta, cum tunc jam propositum conceperit puella ad alium locum divertendi.

Quibus positis jam in promptu est solutio casus propositi: Videlicet opus non erat licentia parochi de R. et ad summum procuranda erat delegatio parochi de B. Imo, ut hæc diceretur necessaria, oporteret ut, examine peracto, de conditione suprà posita rite constiterit: hac namque conditione non obtinente, tractanda fuisset Bertha sponsa tanquam momentaneè vaga, adeoque potuisset parochus consulens, citra omnem delegationem, ad celebrationem matrimonii procedere.

A. D. S.

II

Q. Monialis absque debita licentia e congregatione discessit cum animo non redeundi. Quæritur utrum 1/ absolvi possit; 2/ a quolibet confessario et 3/ etiam in casu quo in confessione exponat fornicationem inde a recessu commissam?

R. **Ad 1m.**

Hujusmodi monialis non potest ad sacramenta ad-

mitti donec res suas cum Episcopo composuerit; et in hunc sensum est monenda. Quodsi non monita ad confessarium accesserit, posset, urgenti de ratione, absolvi, modò de cætero fuerit rite disposita et onus in se susceperit adeundi Ordinarium ejusque standi mandatis.

Ad 2m.

Confessarius qui, juxta modò dicta, eam absolvi posse prudenter reputaret, posset ad absolutionis impertitionem procedere, licet non fuerit *pro monialibus specialiter approbatus*. Hæc namque specialis approbationis necessitas solas censetur spectare confessiones a monialibus institutas intra septa monasterii versantibus, aut, attento jure diœcesano Brugensi, cum debita licentia extra domum degentibus.

Ad 3m.

Nihil impedit quominus communis confessarius, facultate a reservatis destitutus, hujusmodi mulierem, in memoratis adjunctis, absolvat a crimine fornicationis, sive ante sive post discessum admisso. Tenor namque reservationis, prouti viget in diœcesi Brugensi, ita est exaratus ut, attenta stricta interpretatione adhibenda, solos viros videatur spectare moniali sacrilege abutentes, et ut saltem probabile sit, quod ad exemptionem sufficit, monialem fornicantem reservationis pœna non attingi. Dicitur enim: « copula habita *cum* muliere religiosa » et non *a* muliere. Cf. *Libellum,* ed. 2a, p. 48.

Profectò a sacrilegio non est excusanda mulier religiosa; ast, præterquam quod ipsa, ratione debilitatis, majori indulgentia forsan est digna, facile intelligitur quod Episcopus, peculiaris pœnæ comminatione, viros libidinosos voluerit cohibere ne castitatem sanctimonialium sacrilego ausu invadere attentent. Cæterùm in dijudicanda et extendenda pœna, positivo statuto a legislatore lata, non est arguendum a priori, ac signanter ex paritate delicti imprudenter concluderes ad æqualitatem pœnæ. Ita etiam mater prægnans abortum in se procurans ab auctoribus communius declaratur immu-

nis ab excommunicatione lata in procurantes abortum, licet paris criminis rea cognoscatur. Cf. *Collat.*, VI, p. 134 et seq.

Nota. Ipsum peccatum a viro admissum, carnaliter peccante cum moniali, maneret reservationi obnoxium, in diœcesi Brugensi, quemadmodum in tenore explicite providetur l. c., etiam in casu, de quo quæritur, in quo fornicatio secuta fuerit *illegitimum* a religione discessum.

A. D. S.

III

Quæritur. Quotannis feria III hebdomadæ quæ sequitur festum Assumptionis B. Mariæ Virginis celebrandum est in ecclesia nostra anniversarium, ut aiunt, pro defuncto N. Quæritur utrum missa cantata illa die haberi possit ut verum anniversarium saltem late sumptum ?

Respondetur. Quæstio solvitur ex S. R. C. decreto generali 2 Dec. 1891, n. 3753 (1).

1. Certum est missam, de qua quæritur, annumerari non posse *anniversariis* quæ proprio sensu vocari solent *late sumptis*. Hujusmodi enim sunt a/ missæ cantatæ quæ quotannis pro confratribus defunctis semel celebrari solent a religiosis communitatibus, a canonicorum collegiis, a confraternitatibus aut aliis quibuscumque piis sodalitatibus; b/ eis æquiparantur missæ cantatæ etiam manuales, quæ pro quibusvis defunctis etsi pro semel tantum petuntur, dummodo celebrentur infra octavam omnium fidelium defunctorum. Privilegia quibus gaudent illæ missæ pro defunctis et quibus habentur ut anniversaria late sumpta, conceduntur vel a/ intuitu ipsius communitatis, vel b/ intuitu præfatæ octavæ. Nequeunt igitur extendi ad missam de qua quæritur.

---

(1) Quod vide ap. Ill. Van der Stappen, *Rubricæ generales Missalis*, edit. 1902, p. 348 (quæst. 354). De hoc decreto pluries actum est ap. *Collat. Brug.*, notatim T. III, p. 592; IV, 313 ss.; VII, 91 ss.

2. Dubium autem moveri potest an non sit *anniversarium stricte dictum?*

a/ Fieri posset ut identidem prædicta feria III incideret in diem mensis quæ vere est anniversaria diei obitus aut depositionis defuncti N. Quoties hoc contingit, toties missa cantata est anniversarium stricte dictum « pro die obitus », sive fundatum sit, sive « privatum ad petitionem viventium » celebratum.

b/ Si autem feria III incidat extra diem vere anniversariam a die obitus vel depositionis, missa cantata *non fundata* pro defuncto N certe non est anniversarium, etiamsi quotannis eadem die hebdomadæ vel mensis celebretur. Anniversarium enim « privatum » debet semper peti « pro die obitus ».

Si vero missa cantata pro defuncto N sit *fundata*, probabilius tamen non erit verum anniversarium. Hoc enim debet fundari, ad perpetuum vel ad tempus, « pro die obitus aut alia *determinata die* ». Ut autem in hac materia dies sit determinata, oportet eligere, ait Erker (1) « diem mensis, utpote fixam, nunquam feriam hebdomadæ, utpote mobilem ». Idem censent *Ephemerides liturgicæ*, 1899, p. 519-523. Ratio est quia Ecclesia videtur velle in his salvare veram *anniversarii* rationem, quæ non obtinet nisi habeat sedem fixam in die qua recurrente annus completus versus seu revolutus est.

Ergo, excepto casu sub 2, a/, officium et missa pro defuncto N nullo gaudent privilegio: 1/ non duplicantur antiphonæ; 2/ absque speciali indulto nequit celebrari missa de Requie in duplicibus; 3/ tres cantandæ sunt orationes, quarum prior non erit ex missa anniversarii. De quibus cfr. *Collat. Brugen.*, T. IV, p. 315 ss.

C. C.

---

(1) *Missæ de Requiem*, Labaci, 1903, p. 58.

Libri dijudicantur.

Prælectiones de Dei existentia *quas in collegio Lovaniensi Ord. Prædicatorum tradebat* Fr. M. P. De Munnynck, O. P. — Lovanii, Uytspruyst, 1904. — Pr. 2 fr.

Rationes varias, quæ ad Dei existentiam demonstrandam assumuntur, exponere ac dijudicare finis fuit Auctoris in opere de quo agitur: ad quem finem attingendum conscripsit A. *quæstionis secundæ primæ partis Summæ theologicæ S. Thomæ* commentarium, cui inserit « ea præcipue quibus studiosi apti etiam fieri possint ad *modernos* philosophos intelligendos, ad *hodiernos* errores capiendos ac refellendos » (p. 5).

Prædicta Summæ Theologicæ quæstio tres complectitur articulos, quorum primus inscribitur: *utrum Deum esse sit per se notum*. Articuli hujus explanationi adnectit A. crisim de argumentis re vel specie *a priori*, inter quæ specialiter exhibentur argumenta P. Lepidi (pp. 14-23); adnectitur etiam consideratio *de ontologismo* (pp. 23-25) et de *contemplatione mystica* (pp. 25-31), scilicet de « contemplatione pura Dei, quam ad aliquam immediatam Dei intuitionem reducere videntur auctores mystici » opportunum sane hîc locum invenit hæc tractatio, quæ tamen nimis est brevis ut legitimæ lectoris curiositati fiat satis.

Secundi articuli, cujus titulus: *utrum Deum esse sit demonstrabile*, expositio continet etiam refutationem *traditionalismi* (pp. 35-37).

Tertius articulus est præcipuus: inscribitur *utrum Deus sit* et continet *quinque vias* quibus Angelicus Doctor demonstrat Deum existere (1). In hujus articuli

(1) Prima via est ex *motu* seu *mutationibus* rerum hujus mundi; secunda, ex processu rerum e suis *causis efficientibus*; tertia, ex *contingentia* rerum corruptibilium: quarta, *ex gradibus perfectionis* quæ in rebus inveniuntur; quinta, ex *ordine* qui viget in universo.

commentario imprimis notanda occurrit interpretatio quam tradit A. de *secunda* via. Hæc dupliciter exponitur ab auctoribus: primo quidem intelligitur a multis de subordinatione causarum in *actuali causalitate,* quam subordinationem *per se* vocant, altera est interpretatio quæ ponit Angelicum Doctorem loqui de subordinatione *per accidens* (pp. 40-43). Hæc ultima expositio Auctori magis arridet qui deinde ostendit argumentum in utroque sensu acceptum esse omnino validum propter hoc principium: *infinitum non est pertransire.* Efficacior tamen videtur illius argumenti expositio quæ traditur a P. Billot (1), in qua ad Dei existentiam concluditur etiam in hypothesi quod non repugnet series causarum *per accidens* subordinatarum *infinita.*

Mira sane est expositio quam de *quarta* via proponit A.: sic breviter exponi potest: ex gradibus perfectionis rerum inest nobis *idea* entis perfectissimi; immediate absque ulla extranea consideratione concludit Angelicus: *est* (sc. existit) igitur aliquid quod est perfectissimum. Quo pacto talis transitus est legitimus? Hoc modo: *objectum* intellectus est *esse, realitas.* Ergo concipiendo perfectissimum ens, intellectus attingit suo conceptu realitatem objectivam: attingendo igitur ut quid objectivum realitatem entis perfectissimi concludere possum ad suam actualem existentiam (p. 57). — Si talis esset sensus a S. Thoma intentus, rejiciendum foret illud argumentum: illegitimus enim ibi esset transitus ab ordine *logico* ad ordinem *ontologicum.* Etenim valor objectivus nostræ intellectualis cognitionis hoc importat quod ideæ, quas per abstractionem a rebus habemus, repræsentant nobis ens *vel* actu existens, *vel* mere possibile (2): ex hoc quod concipio ens perfectissimum non intelligo illud *esse in rerum natura:* consequenter concipiendo ens perfectissimum

(1) *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 52.
(2) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 107.

non attingo ejus actualem existentiam (1). Ad rem S. Thomas: « Dato etiam quod quilibet intelligat hoc nomine, *Deus*, significari quod dicitur (scilicet illud quo majus cogitari non potest), non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id, quod significatur per nomen, *esse in rerum natura,* sed in apprehensione intellectus. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quod sit in re aliquid quo majus cogitari non potest (2) ». Quia S. Thomas his verbis clare rejicit transitum illum ab ordine logico ad ordinem ontologicum (licet S. Thomas etiam admittat valorem objectivum nostræ cognitionis) et quia in textu, in quo a S. Doctore quarta via exponitur, nihil est quo cogamur *interpretationem* Auctoris admittere, ideo censemus aliam esse tenendam hujus loci explicationem quam bene proponunt Billot (3), Buonpensiere (4) et alii: nempe ex hoc quod existunt perfectiones *limitatæ* et consequenter *causatæ* concludit S. Thomas ad *existentiam causæ,* et efficientis et exemplaris, in qua illæ perfectiones (sive formaliter, sive tantum eminenter) sunt *illimitatæ*. Hæc indicasse sufficiat: ulterioris discussionis hic non est locus: hoc adjungere liceat quod argumentum quod A. hic propugnat et argumentum P. Lepidi (p. 19) eodem vitio, ut videtur, laborant quo laborat argumentum dictum S. Anselmi quod tamen A. recte rejecit (p. 15).

In reliquis operis paginis ab Auctore ostenditur *connexio* quinque argumentorum inter se et cum sequentibus in tractatu de Deo (p. 63), optime defenduntur illa argumenta contra quasdam objectiones desumptas ex notione philosophica *vitæ* et ex conceptu hodierno *motus localis* (p. 64), deinde quædam alia discutiuntur argumenta (p. 82): hac in parte præsertim

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 439.
(2) I, Q. II, a. 1, ad 2.
(3) op. c., p. 56.
(4) *Commentaria in I P. Summæ theologicæ S. Thomæ*, Romæ, 1902, p. 124.

notatu dignæ sunt quædam distinctiones quarum ratio est habenda ut ex *consensu generis humani* confici possit argumentum apodicticum, tandem exponit A. quales esse possint athei (p. 90) et præcipuas refellit rationes quibus atheismus propugnatur.

Operis, de qua rectam sed necessario imperfectam dedimus notitiam, lectio erit et utilissima et jucunda valde tum illis qui prælectionum de Dei existentia tradendarum munere funguntur, tum illis quos profundum delectat philosophiæ studium : ibi enim invenient multa et acute cogitata et clare exposita.

J. V. D. M.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 353).

—

III. *De indole propria libri Geneseos.*

408. Ex supra dictis habemus librum Genesis, etiam abstrahendo ab inspiratione divina, esse prisci temporis, nempe antediluviani saltem, documentum unicum hoc nomine dignum; ideo operæ pretium erit illud paulo diligentius inspicere, ut proprius caracter libri perspiciatur. In hunc autem finem præ oculis habebimus ipsum solum textum, et quæ eodem manifesto continentur, ita ut nonnisi quæ certa sunt et a nemine negari possunt affirmemus; omittemus vero omnes quascumque hypotheses et conjecturas circa documenta a scriptore adhibita, vel librum, prout nunc jacet, juxta aliquos quovis modo componentia seu ingredientia; quamquam enim a priori negare nolumus varios fontes ab auctore adhibitos fuisse, aut imo e variis documentis librum, ut jacet, coaluisse, malumus tamen ea sola afferre quæ ipse textus manifesto exhibet, ex quibus confidimus lectorem, nulla præconcepta opinione ductum, merito illaturum unitatem tum operis, prout nunc legitur, tum auctoris ejusdem.

409. Itaque, indoles propria libri Geneseos eo continetur manifesto, ut vere sit liber originum, cum respectu præprimis ad gentem Israeliticam. Complectitur, præter cosmogoniam in hexamero, decem sectiones, quæ omnes incipiunt his verbis: *Istæ sunt generationes* seu *hic est liber generationis*..., quibus non sola proprie genealogia patriarcharum, sed et vitæ universim evolutio fataque quædam præcipua designantur.

Et prima quidem ex his decem sectionibus inscribitur: *Istæ sunt generationes cœli et terræ*, cui sectioni, cum prius sit esse quam evolvi, præmittitur ipsa generatim cosmogonia, in qua describitur origo rerum universarum ipsiusque hominis omnium prima a Deo creante; qua explicata creatione rerum et hominis in hexamero, auctor jam incipit 1/ primævam evolutionem et historiam terræ cœlique in ordine ad hominem, ipsiusque hominis; deinde exponit 2/ generationes Adam; postea 3/ Noë; 4/ filiorum Noë; 5/ Sem; 6/ Thare, patris Abraham; 7/ Ismaël; 8/ Isaac; 9/ Esaü; 10/ Jacob; adjectis genealogiæ stricte dictæ variis factis historicis vitæ patriarcharum.

Constanter autem generationes seu historiam ac speciatim genealogias prosequitur cum respectu ad populum Israël, utpote ex quo nasciturus est Salvator promissus. Ita quidem in prima sectione seu in generationibus cœli et terræ, tota narratio tandem respicit lapsum et promissionem Redemptoris: videlicet enarrat auctor terram prius sine ornatu et habitatore fuisse a Deo plantis animalibusque instructam in ordine ad habitationem hominis, describit creationem Adæ, plantationem paradisi quem homo inhabitaret ac coleret, formationem Evæ, felicitatem primorum parentum, eorumdem miserum lapsum et denique promissionem Redemptoris ac punitionem lapsorum. Addit nativitatem primorum filiorum protoparentum, brevemque historiam Caïn et Abel, in qua jam sequelæ lapsus elucent; porro statim expedit genealogiam Caïn, utpote cujus ex progenie non est oriturus Salvator, ut potius genealogiam Adam texere pergat per Seth. Similiter infra, post genealogiam filiorum Noë, speciatim generationes Sem prosequitur per Arphaxad, ex quo oriundus est Abraham; et rursum expedita genealogia Ismaël, generationes Isaac; expedita genealogia Esau, generationes Jacob seu Israël exponit.

Hæc omnia non conjecturis aut hypothesibus nitun-

tur, sed ipso textu plane continentur; et nobis quidem videntur omnino manifestare unitatem scopi in scribendo, unitatem ipsius scripti, prout nunc est, unitatem auctoris ejusdem. Simul etiam manifestant indolem propriam libri, quæ vere in eo constat ut sit liber originum, cum speciali respectu ad gentem Israëliticam, tamquam populum a Deo electum, ex quo Redemptor mundi erat nasciturus.

410. Præmissa triplici annotatione prævia, jam ad propositum nostrum redimus, præ oculis habentes narrata inde a promissione Redemptoris usque ad vocationem Abrahæ, utrimque exclusive (*Gen.*, IV-XI); videlicet in summa, peccatum Caïn, hujusque genealogiam; genealogiam Adam per Seth seu Sethitarum, ubi notatur horum longævitas ante diluvium, multiplicatorum hominum corruptio, punitio per diluvium, servatis Noë justo cum filiis; genealogiam filiorum Noë, horum dispersionem, genealogiam Sem per Arphaxad usque ad Abram, qui eligendus est in patrem populi Dei et vocandus Abraham.

Hæc igitur est secunda mundi epocha, quam in præsenti capite II consideramus, demonstraturi pro scopo nostro quomodo per idem tempus divina Providentia omnia direxit in Christum venturum Salvatorem.

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo a promisso Redemptore ad dispersionem hominum post diluvium, omnes eventus a Deo diriguntur ad Christum venturum (Gen., IV-XI).

411. A promissione Redemptoris incipit alter ordo supernaturalis, nempe reparationis futuræ per Christum, in quo ordine omnia tendunt ad Salvatoris adventum et passionem, atque præscribuntur media, pro diversitate temporum diversa, quibus intuitu futuræ satisfactionis meritorumque futurorum sanguinis Christi homines salvari possent.

In hoc ordine jam non Deus immediate per se solus gubernat homines, ut ante lapsum, sed speciatim quoque Deus Verbum, utpote futurus Salvator, ministrantibus angelis: ita in theophaniis quandoque Verbum ipsum, quandoque angeli nomine ejus et auctoritate apparent (1); quam quidem actionem providentem Verbi per ministerium angelorum intellige non de motu naturæ, qui rebus a Deo creatis, sic Deo disponente, inhæret; nec de sanctificatione ac motu interiori gratiæ, quæ sunt Spiritus sancti; sed de omni interventu externo in finem constitutionis regni Christi venturi, ut sunt legislatio, doctrina, miracula, prophetiæ, etc.

Porro hic interventus divinæ Providentiæ, sicut et media ad salutem hominum instituta, pro diversis temporibus diversa sunt. Sic, ante diluvium, ob rationes divinæ sapientiæ, ut videbimus, conformes, sacramenta naturæ lexque naturalis, connaturalia quidem ordini gratiæ, sola fere obtinent; post diluvium jam quædam positiva adduntur, ut v. g. quæ Deus Noë præscribit (*Gen.*, IX, 4), et præsertim a vocatione Abrahæ, cui inter alia Deus sacramentum circumcisionis proponit (*Gen.*, XVII, 10 sqq.).

Similiter actio divina relate ad eventus in præparationem Salvatoris ante vocationem Abrahæ potius mere negativa est seu in non impediendo consistit, dum incipiendo a vocatione Abrahæ jam positiva quoque fit. Videlicet, ante Abraham, non tam positive præparavit Deus adventum Christi, quam potius non impediendo sequelas lapsus Adami, ita ut in dies magis dilaberetur in ruinam genus hominum, et imperium diaboli succresseret, sicque adventus Christi magis magisque demonstraretur atque efficeretur necessarius. Volebat quippe Deus ut Redemptor tum dæmonem devinceret, cum hic pervenisset ad culmen imperii sui, eoque proin

(1) Cf. *De theophaniis sub vetere testamento*, dissert. doctoralis Ph. Van den Troeck.

profundius confunderetur, cumque genus humanum jam ad ima delapsum et quasi desperatum vividius sentiret plurisque æstimaret beneficium redemptionis; ex quo rursum delapsu ipsi Redemptori via pateret evidentius demonstrandi missionem suam, sanando omnes, omnigenæ miseriæ medelam afferendo, simulque subeundi ignominiosissimam mortem, qua contra omnem spem humanam mundum erigeret ac renovaret.

Ex his quoque facile intelliges cur divina Providentia genus humanum universum, excepto uno populo, sibi quasi reliquerit (Cf. *Act. Apost.*, XIV, 15), et quomodo historia antiquitatis, præter solam historiam populi Dei, sit densis tenebris obsita et quasi nullius momenti in ordine ad humanitatem a Christo redemptam.

Itaque, in divinorum consiliorum secretis, pendebat tempus adventus Salvatoris a tempore summitatis imperii diabolici: unde et crescente hoc imperio signum quoque adventus Christi manifestius fieri volebat Deus, tum in honorem ipsius Salvatoris, tum ad salutem hominum, quam semper possibilem volebat. Propterea non ante elegit Deus in Abraham populum, qui esset omnibus in signum Salvatoris exspectandi, sed tum, cum jam multiplicatæ gentes et in diversas regiones dispersæ, distinctisque utentes linguis, omnes factæ erant idolorum cultores, et tunc quidem, in honorem Christi et salutem hominum ut diximus, non individuus homo sed populus segregatus fuit in signum manifestum et publicum sperandi Salvatoris.

412. Sed jam, juxta considerationes generales modo expositas, ad particularia quædam descendamus ut actio divinæ providentiæ in hac secunda mundi epocha, de qua agimus, clarius innotescat.

Et primo quidem voluit Deus non impedire sequelas lapsus, imprimis peccatum Caïn, quem post peccatum relegavit a facie sua cum posteris suis, qui a prædicatione Adæ et divino consortio semoti, brevi carnales facti ad corruptionem omnimodam delapsi sunt. Ubi

advertere oportet duplicem effectum conditionis antediluvianæ hominum. Videlicet, homines qui ante diluvium vivebant, licet facti mortales, erant relative ad illos qui post diluvium vixerunt, corpore longe robustiores et a multis infirmitatibus exempti vitam diutissime agebant: erant enim alimenta multo saniora, multoque magis nutritiva, et aër magis incorruptus, quam post diluvium; hinc concupiscentia minor ad res etiam prohibitas, ingenium acutius, firmior voluntas ad bonum. Hæc conditio hominum antediluviana duplicem effectum habebat: hinc quidem, ob longævam vitam, multis miseriis expertem, non cogitabant homines de mandatis Dei servandis et liberius indulgebant carnis deliciis, primum quidem Caïnitæ, a consortio divino et Adami prædicatione semoti, deinde vero brevi cæteri omnes, præcipue post mortem Adami, malorum quoque consortio et exemplo, ita ut mox cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore (*Gen.*, VI, 5); inde vero, traditio ob longævitatem facilius servabatur, et ob majus ingenii acumen, majoremque potentiam voluntatis ad bonum, ac minorem vim concupiscentiæ sensibilium, Dei mandata cognoscere ac implere facilius poterant homines, atque adeo magis erant culpabiles, cum ea transgrederentur.

Igitur ante diluvium universi fere homines erant peccatores, nondum tamen idololatræ, et regnum quidem peccati ac diaboli succreverat, nondum vero diabolus colebatur, sed divina veritas, Deique cultus servabatur: unde nondum mittendus erat Christus, sed, paucis justis exceptis, puniendi erant homines, et extinguenda corruptio, servata scintilla justa, e qua Christus nasceretur. Hæc autem punitio fuit simul justissima ac misericordissima: per aquas nempe diluvii, quæ est pœna mortis omnium mitissima, et majus dans spatium pœnitentiæ, neque enimvero homines impietate in Deum, sed concupiscentia, valde quidem culpabili, peccaverant.

413. Post diluvium voluit Deus non impedire effectum diluvii, breviationem vitæ, adauctionem passionum, deperditionem traditionum; voluit etiam non impedire hominum dispersionem, eorumque superbiam, quam confudit confusione linguarum, unde factum est ut magis oblivioni daretur traditio, ignorantia Dei succresseret, et nasceretur idololatria, quæ brevi facta est pene universalis (cf. *Josuë*, XXIV, 2).

Tum quidem gaudebat dæmon, nesciens Dei consilium qui, ipsi quasi relictis populis omnibus idolorum cultoribus, vocavit Abraham. Igitur hoc erat tempus a Deo præfinitum ut jam positive adventum Redemptoris præpararet. Et præparandus quidem, quo statim addemus modo, nondum vero mittendus erat Christus. Etenim, delapsum quidem erat genus humanum tum a vigore antediluviano naturæ, corporis et animi, tum ab ipsa divina veritate sibi tradita et cultu Dei veri, sed nondum satis senserat sequelas utriusque simul amissi boni, nempe extremas miserias tum idololatriæ tum corruptæ naturæ, et regnum diaboli ac peccati universale factum nondum ad culmen suum pervenerat; adeoque nondum Christus invenisset quasi desperandum genus humanum, et ad Salvatorem divinitus missum tamquam ad unicam suæ salutis spem anhelans, nondum invenisset ita vulneratum ut, sanando omne vulnus, omnem infirmitatem, suam divinam missionem infinitis miraculis cunctorum oculis manifestaret, nondum invenisset omnia parata ut pateretur ac morti traderetur a suis, qua totum genus redimeret, etc.

Præparandus vero erat adventus Christi, jamque positive : postulabat enim honor divinæ majestatis, Christique venturi, ut non extingueretur omnino divina veritas, agnitio atque cultus veri Dei inter homines; ut promissio et exspectatio Salvatoris usque permaneret; ut intuitu meritorum futurorum Redemptoris salus quoque cujusvis hominis bonæ voluntatis maneret possibilis. Ideo Deus elegit Abraham in patrem populi, qui

esset populus Dei, e quo oriturus erat Salvator, et qui esset inter cunctas gentes tamquam signum publicum et manifestum adventuri Redemptoris, in quo solo esset omnibus cujusvis ævi aut gentis salus.

414. Antequam transeamus ad tertiam epocham, quæ incipit a vocatione Abrahæ, ad duo adhuc attentum facimus animum lectoris, quæ in libro Genesis, hac præsenti epocha, sunt notatu dignissima, et apud interpretes inquirenda: 1° *Gen.*, IX, 18-27, maledictio Noë in Cham atque benedictiones in Sem et Japhet, speciatim benedictio Sem, in qua continetur *secunda prophetia messianica*, definita jam progenie Sem tamquam e qua oriturus est Redemptor; 2° *Gen.*, X, tabula ethnographica, de qua scribit Lenormant (*Hist. anc.*, 1869, p. 96): « C'est le document le plus ancien, le plus précieux et le plus complet sur la distribution des peuples dans le monde de la haute antiquité. »

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris

—

I

Plures Rationalistæ authentiam decreti apostolici (Act. XV, 28-29) impugnant 1°/ ex silentio S. Pauli de illo decreto in ep. ad Gal. II, 1 ss.; 2°/ ex controversia inter S. Petrum et S. Paulum Gal. II, 11 ss. quam post dictum decretum ut plane inintelligibilem proponunt. — Utramque difficultatem solve.

II

Quænam est peccati originalis *pœna* quæ in hac terrestri vita luitur.

III

Quoad obligationem restituendi titulo rei acceptæ, distinguendum est inter possessorem bonæ, malæ vel dubiæ fidei. Quisnam hic intelligitur rei alienæ possessor bonæ fidei?

IV

An et quare qui rem furtivam emit, potest eam furi reddere ad pretium solutum recuperandum?

V

An idem emptor, si a fure pretium recuperare nequit, potest rem illam alteri vendere, aut in proprios usus convertere ut se indemnem servet? Adde rationem.

VI

Quid significat in rubricis missæ privatæ vox a/ *clara*, b/ *mediocris*, c/ *secreta?* Quænam preces hac triplici vocis diversitate sunt pronuntiandæ?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Explica proœmium Actuum Apostolorum I, 1-3.*

R. I. **Argumentum**. Hoc quasi prologo liber Actuum annectitur evangelio S. Lucæ, ità ut quæ ibi in ultima parte (c. XXIV) narrata sunt, compendiose commemorentur, quo simul statim v. 4 fiat narrationis exordium (1).

II. **Explicatio**. v. 1. *Primum quidem sermonem feci:* Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην. Post πρῶτον μὲν expectasses apodosin per particulam δὲ introducendam (2), et qua explicite præsens liber tanquam δεύτερος λόγος evangelio Lucæ opponeretur; verùm, missa apodosi μὲν solitarium apparet (3), et Lc. voci *apostolis* v. 2 initium secundi *sermonis*, i. e. narrationis, annectit. Πρῶτος ponitur hîc pro πρότερος, quæ forma cum aliis quæ dualem numerum denotant ex usu linguæ popularis exoleverat, neque sensu « prior ex duobus » in N. T. occurrit (4). Nomine *primi sermonis* narrationem suam evangelicam eidem Theophilo dedicatam (5) L. aperte designat. Cùm πρῶτος in græcitate recentiori et in specie in græcitate N. T. significare valeat « *primum ex*

---

(1) *Act.* I, 3-14 parallelo modo respondent *Luc.* XXIV, 36-53.

(2) Cfr. v. g. *Act.* III, 13-14.

(3) Sicut alibi apud auctores sacros et profanos. Cfr. Beelen, *Comment. in Act. Ap.* Lovanii 1850, T. I, p. 2. — Grimm, *Lexicon græco-lat. in libros N. T.* Lipsiæ, 1903, p. 277.

(4) Cfr. Blass, *Grammatik des neut. Griech.*, Göttingen, 1896, § 34, 5 — Grimm, *o. c.*, p. 387.

(5) Cfr. *suprà* p. 153 ss.

duobus » immeritò Zahn (1) ex defectu comparativi πρότερος concludit mentem fuisse Lucæ ut tertium quemdam librum exararet quo historiam primævæ ecclesiæ usque ad tempus quo tertium scripsit evangelium, deduceret. Contra quam opinionem jam plura suprà (p. 155 not. 3 et 156 not. 5) allegavimus et infrà (n. 9) notabimus.

O Theophile (v. suprà p. 158 s.). Ex eo quod epitheton κράτιστε (Lc. I, 3) hic non occurrat, haud improbabiliter conjicitur, Theophilum post scriptum tertium evangelium, vel munere suo publico esse defunctum vel etiam (2) religioni christianæ, in quam jam ante priorem dedicationem optime erat affectus (v. suprà p. 159), nomen suum dedisse.

de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere. De omnibus non nimis est premendum sc. « de omnibus fecit sermonem, eligendo de omnibus unde faceret sermonem » (3). Verbum *cœpit* (ἤρξατο) fere pleonastice positum: *cœpit facere et docere* = fecit et docuit, ità tamen ut innuatur aliquid continui fuisse in actu faciendi ac docendi (4). « *Facere et docere* » complectitur totam

---

(1) *Einleitung in das N. T.* Leipzig, 1900, T. II, p. 372 s. 390 s. — Cfr. pariter Semeria, *Rev. Bibl.* 1895, p. 339.

(2) Cfr. Zahn, *o. c.*, T. II, p. 362.

(3) Cfr. S. Aug. *De Consensu Evang.* IV, 6, 8.

(4) Eamdem locutionem simili modo adhibere videtur Lc. in *Ev.* III, 8; IV, 21; V, 21; VII, 15, 24, 38, 49; XII, 45; XIV, 18, 30; XIX, 45. Verbum ἄρχομαι idem valet in hac locutione ac gall. *se mettre à*. Zahn (*o. c.*, p. 389), ex verbo *cœpit* aliud desumit argumentum quo demonstret procœmium *Ev. Lc.* I, 1-4 in mente auctoris præfationem esse ad tertium Ev. ad Act. Ap. et ad alium quemdam librum nunquam forsan exaratum. Tenet nimirum verba *quæ cœpit Jesus facere et docere* antithetice referenda esse ad *Lc.* I, 1 *quæ in nobis completæ sunt rerum*, quasi Lc. Ev., Act. Ap. et tertium quoddam opus proponat respective tanquam initium; continuationem ac complementum historiæ a se narrandæ. Verùm sensus *complere* = *ad exitum perducere* apud *Lc.* I, 1 haud certo probatur (v. *suprà* p. 155 s.); præterea, etiamsi *cœpit* pleonastice non esset sumendum, *Act.* I, 1, ἤρξατο modo plane naturali et obvio referri posset ad *Lc.* I, 3: « visum est et mihi *assecuto omnia a principio* diligenter ». Cfr. suprà *l. c.* — Semeria, *Rev. Bibl.* 1895, p. 317. — Weiss, *Die Apostelgeschichte*, Göttingen 1899, p. 62.

vitam Christi privatam ac, maxime, publicam, sc. exempla virtutum, miracula, doctrinam, passionem mortem et resurrectionem.

v. 2 enuntiatur quoadusque narratio evangelica in priori sermone perducta fuerit: *usque in diem qua præcipiens* (ἐντειλάμενος) *Apostolis*, i. e. postquam Apostolis mandata dedit, et præcipue quidem mandatum docendi omnes gentes et manendi in civitate usque ad adventum Spiritus sancti (1).

per Spiritum sanctum: hæc verba quæ plures jungunt (2) cum *elegit,* ex ipsorum verborum ordine melius referuntur ad participium *præcipiens.* Præterea non appareret cur hoc loco mentio fiat apostolos *olim* electos esse Spiritu sancto dirigente: non rem olim gestam, sed eam de qua nunc narraturus est, velle suis quasi conditionibus vestire scriptor censendus est (3). Christus autem qua homo dicitur *præcepisse per Spiritum sanctum* h. e. per sapientiam ejus humanitati a Spiritu sancto infusam. Quum enim ut homo esset plenus Spiritu sancto seu donis divinis quæ Spiritui sancto appropriantur, dicitur ut homo agi et agere per Spiritum sanctum (4).

Apostolis (τοῖς ἀποστόλοις): in libro Act. specialiter hoc titulo insigniuntur illi discipuli duodecim quos Christus e reliquo sectatorum numero ad individuam sui sequelam assumpserat, et regni divini hominibus prædicandi nuntios creaverat (5).

---

(1) *Lc.* XXIV, 47-49 coll. *Mt.* XXVIII, 18-20; *Mc.* XVI, 15.

(2) Cfr. Weiss, *o c.*, p. 62 s. Eodem modo interpretantur versio syr. et æthiop.

(3) Cfr. Knabenbauer, *Comment. in Act Ap.*, Parisiis 1899, p. 23.

(4) Cfr. Ceulemans, *Comment. in Act. Ap.*, Mechliniæ 1903, p. 8. — Christum plenum Spiritu sancto, in virtute Spiritus sancti munere suo functum sæpius testatur S. Lucas. *Ev.* IV, 1, 14, 18; X, 21; *Act.* X, 38.

(5) Quibus S. Paulus se merito æquiparavit, quippe qui Christum redivivum viderat et ab Ipso immediate ad prædicandum evangelium electus est. (I *Cor.* XV, 5 ss.). — *Act.* XIV, 4 tamen nomen *Apostoli* sensu quodam lato ad Barnabam extenditur.

quos elegit (ἐξελέξατο = elegerat) *assumptus est:* sc. de Christo Lc. ut homine loquitur.

v. 3 *quibus* sc. Apostolis *et* (etiam) præbuit (παρέστησεν = exhibuerat) *seipsum vivum* (ζῶντα = viventem) *post passionem* (et mortem) in *multis argumentis*, gr. ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις i. e. per multa indicia certa et indubitata (1), putà loquendo cum ipsis, cibum cum ipsis sumendo, vulnera ostendendo, corpus suum palpandum præbendo (*Lc.* XXIV, 38 ss.).

per dies quadraginta apparens eis: non tot diebus continuate, sed frequenter per illud temporis spatium.

et loquens de regno Dei quod ab ipsis annunciandum et propagandum erat.

Regnum Dei in *Act.* (2) intelligitur regnum spirituale et universale (3) a Messia hîc in terris fundatum et quondam in cœlis consummandum; significatur nempe *tota Novæ Legis œconomia,* cujus visibile organon in terris est cœtus fidelium coadunatorum seu Ecclesia a Christo instituta et per Apostolos diffundenda (4).

---

(1) Cfr. Grimm, *o. c.*, p. 429. — Beelen, *o. c.*, p. 3.

(2) Excepto XIV, 21 ubi significat vitam cœlestem beatam.

(3) A prophetis fuerat prædictum, a Baptista prænunciatum, sed a Judæis sensu materiali et terreno acceptum, de regno felicissimo quod Deus per Messiam, terra et cœlo ad meliorem formam redactis, conditurus erat, et in quo Judæi, devictis hostibus, imperium erant exercituri in omnes terrarum gentes, quæ omnes cultum Jehovæ amplecterentur.

(4) *Lc.* et *Mc.* frequenter loquuntur de *regno Dei. Jo.* bis tantum (III, 3, 5) et *Mt.* quater (XII, 28; XIX, 24; XXI, 31, 34). *Mt.* ordinarie adhibet formulam *regnum cœlorum* (malcouth schamaim) quæ videtur antiquior esse priore. (Rose, *Rev. Bibl.* 1895, p. 350 s.); ad sensum tamen quod attinet perfecte idem significant. Judaico enim dicendi usu *cœlum* sæpe dicitur metonymice pro *Deo* cœli habitatore. Cfr. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter J. C.* Leipzig, T. II (1898) p. 538 s. — Grimm, *o. c*, p. 66.

Christus locutionem « *regnum cœlorum* » a coævis frequentissime adhibitam assumpsit, eique in sua prædicatione novam significationem affixit. Nam, regnum cœlorum seu regnum Dei (Mc. et Lc. scribentes pro græcis et gentilibus, scripserint *regnum Dei*) in prædicatione Christi pariter significat œconomiam Novæ Legis spiritualem et universalem.

Falluntur tamen qui contendunt Christum de regno divino tanquam

III. **Paraphrasis**, v. 1. Primum quidem [illegible] evangelistam [illegible] semper [illegible] Deum in [illegible] suam [illegible] [illegible] suprema Lc. XXIV, [illegible] [illegible] [illegible]

ex antea dictis constat, in posteris Adami habetur *aversio a Deo*, aversio nempe negativa seu potius *privativa,* quatenus homo, ex Adamo per generationem procedens, privatur gratia sanctificante et donis supernaturalibus illi annexis, quibus in præsenti Providentiæ ordine, homo *sicut oportet* conversus est ad Deum; deinde hæc aversio est *voluntaria,* quatenus inducitur actu voluntario ipsius *principii naturæ elevatæ.* Ergo homines, vi originis, constituuntur peccatores, *quia* habent humanam *naturam* privatam sanctitate supernaturali quæ ipsi naturæ fuerat collata, et *quia* hac afficiuntur privatione propter inordinatum actum ipsius *principii naturæ.* Ergo originale peccatum revera est et recte dicitur *naturæ* peccatum.

2. Quod ut melius intelligatur, animadvertamus *naturæ* peccatum opponi *personæ* peccato, seu *personali* peccato. Est autem personale peccatum carentia debiti ordinis ad Deum voluntaria voluntate ipsius personæ in qua est hæc carentia (1). Jamvero originale peccatum nequit esse personaliter voluntarium ipsis in quibus inest: etenim manifestum est peccatum originale parvulorum non esse *actum* voluntarium ipsorum; manifestum pariter est, non esse *habitum* causatum actione aliqua quam parvuli personaliter perfecerunt; nascuntur enim omnes cum peccato originali, et macula illa adest ante quemcumque liberæ voluntatis usum. Sed voluntaria est illa macula peccati, *quatenus refertur ad voluntariam transgressionem Adæ*, qui erat *principium naturæ*

---

(1) Peccatum personale est vel *actuale,* vel *habituale:* actuale est ipsa *actio* voluntatis inordinata; *habituale* est *formaliter:* permanens actus peccaminosi reitas in illo qui actum peccaminosum commisit. Cf. *Collat. Brug.* T. VIII, pp. 334, 374, 436, 476.

Ipse voluntarius actus Adami erat ipsi personale peccatum; sed quia hæc persona erat principium humanæ naturæ elevatæ per gratiam, ideo ex actu peccaminoso Adami peccatrix constituta est integra natura, et peccatores constituuntur homines quatenus illam peccato vitiatam recipiunt naturam ex Adamo.

elevatæ per gratiam (1). Remanet igitur ut originale peccatum fuerit *naturæ* peccatum (2).

Hanc, quam tradidimus, notionem sæpe inculcat S. Thomas: « Nec dicuntur homines peccasse in eo (sc. in Adamo) quasi *aliquem actum exercentes*, sed *in quantum pertinent ad naturam* ipsius quæ per peccatum corrupta est. » *Summa cont. Gent.* L. IV, c. 52.

« Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis, ita hujusmodi defectus (sc. justitiæ originalis) non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturæ, nec ad personam pertinet, nisi in quantum natura inficit personam. » *De Malo*, Q. IV, a. 1.

« Sed remanet quæstio magis urgens: utrum defectus originalis justitiæ, in his qui ex primo parente prodierunt, rationem *culpæ* (3) possit habere... Sed hæc quæstio de facili solvitur, si distinguatur inter personam et naturam... Per hunc igitur modum defectus originalis justitiæ est peccatum *naturæ*, inquantum derivatur ex inordinata voluntate primi principii in natura humana, scilicet primi parentis; et sic est voluntarium habito respectu ad naturam, voluntate scilicet primi principii naturæ; et sic transit in omnes qui ab ipso naturam humanam accipiunt, quasi in quædam membra ipsius: et propter hoc dicitur originale peccatum, quia per originem a primo parente in posteros derivatur: unde cum alia peccata, scilicet actualia, immediate respiciant personam peccantem; hoc peccatum *directe respicit naturam*. Nam primus parens suo peccato inficit naturam et natura infecta inficit personam aliorum, qui ipsam a primo parente suscipiunt ». *Compendium theologiæ*, c. 196.

---

(1) Cf. Jungmann, *De Deo creante*, n. 358.

(2) Naturæ peccatum fit singulis hominibus *proprium* quatenus unusquisque recipit humanam naturam, quæ sua est, privatam supernaturali sanctitate ex voluntario actu principii naturæ.

(3) Culpa seu peccatum est voluntaria carentia debiti ordinis ad Deum finem ultimum.

Hoc etiam docuerat S. Augustinus: « Non hoc (*in quo omnes peccaverunt*) dicitur propter *arbitrium singulorum,* sed propter originem seminis, unde omnes futuri erant. Secundum quam originem omnes in illo uno erant, et hi omnes unus ille erat, qui in seipsis nulli adhuc erant ». *Opus imperf.* L. IV, n. 104 (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Da notionem famæ et honoris.*

R. Ut supra notavimus p. 377, tria bonorum genera communiter distinguuntur: bona externa, interna, et media seu mixta, nempe fama et honor, de quorum notione nunc inquiritur.

1° **Fama** in genere describi potest: *multorum existimatio de alicujus vita, moribus ac qualitatibus;* quæ definitio tum bonam tum malam famam complectitur. Verum satis apertum est hic non agi nisi de bona fama, quæ definiri potest: *multorum bona de aliquo existimatio.* Dicitur

bona existimatio, fama enim essentialiter, primario et fundamentaliter existit in sola opinione et judicio interno, et completive tantum in sermone, quum non videatur esse completa nisi ista interna existimatio per verba quasi per signum et effectum ad extra diffundatur et manifestetur. Agitur vero de existimatione quæ vertitur in alterius laudem, utpote pro objecto habens ipsius excellentiam ut statim dicemus, ideoque vocatur *bona* existimatio;

multorum, nam licet opinio unius privati possit dici fama partialiter et secundum quid, non habetur tamen simpliciter fama, nisi ista existimatio sit aliquo modo communis;

(1) Cf. Palmieri, *De Deo creante,* Romæ, 1878, p. 585.

de aliquo, nempe ob ejus excellentiam et qualitates, quæ ipsum reddunt existimatione dignum. Distinguendum vero inter objectum famæ primarium et secundarium: *primarium* est vita honesta, probi mores, virtutes, et hæc bona sunt procul dubio objectum istius famæ, quæ tantopere extollitur in Scripturis: *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ*, Prov. XXII, 1; *curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni,* Eccl. XLI, 15. Objectum *secundarium* est bona indoles, scientia, immo divitiæ et quæcumque bona ab hominibus magni haberi solent, ac hominem quovis titulo laudabilem reddunt. Sed cum fieri possit ut quis eas virtutes aut qualitates non habeat, quas fama ei tribuit, sequitur aliam esse famam veram, aliam falsam.

2° **Honor** definiri potest: *bonæ de aliquo propriæ existimationis testificatio.* Dicitur

testificatio bonæ existimationis propriæ, quibus verbis jam indicatur essentiale discrimen famam inter et honorem. Honor enim est in actu externo, in testimonio externo etiam unius privati de alicujus excellentia, dum fama potissimum consistit in opinione interna plurium de alicujus perfectione. Hujus autem existimationis testificatio triplici modo inter homines fieri solet: per verba honorifica, vocando aliquem ex. gr. dominum, magistrum, eximium, sapientissimum; per actiones honorificas, ex. gr. inclinatione, genuflexione; per res exteriores, ut per oblationem munerum, erectionem statuæ et similia;

de aliquo, nempe ob ejus excellentiam, quæ primario consistit in virtute et secundario in aliis perfectionibus sive naturalibus sive acquisitis, sicut de fama dictum est; unde honor est radicaliter in honorato et formaliter in honorante, quod etiam de fama valet.

Hæc autem excellentia honorati importat aliquam superioritatem, ideoque qui honoratur debet superior et excellentior esse, non quidem semper ipso honorante,

sed vel aliis quibusdam, vel etiam ipso honorante non simpliciter sed quantum ad aliquid, prout explicat S. Thomas, 2ª 2ᵃᵉ, q. 103, a. 2.

Animadvertendum etiam, famam esse de absente, honorem vero de præsente aut absente, de vivo aut defuncto; insuper honorem tribui alicui sive in propria persona, sive in personis vel rebus ipsi conjunctis aut ad ipsum quocumque modo pertinentibus. Nec confundatur honor cum cultu, quum hic honori addat submissionem honorantis; unde Deus honorat sanctos, sed eos non colit (1).

A. D. C.

IV

Q. *An et quare licita est revelatio criminis occulti?*

R. **Prænotandum.**

Occultum dicitur crimen quod non est publice notum, sive sit *omnino occultum*, utpote nullo pacto demonstrationi subjacens, et soli Dei judicio commissum, sive *quasi occultum*, seu paucis tantum notum, modo spes sit illud ad cognitionem communitatis non esse perventurum.

Respondetur.

I. *Injuriosum non est revelare crimen occultum ex justa causa, nempe ob bonum communitatis aut etiam privatorum, modo adsit quædam proportio inter malum illatum et bonum obtinendum.*

1° Nullum dubium quin interdum licita sit revelatio criminis occulti, nempe ob legitimam causam, debitis circumstantiis observatis, ut concludit S. Thomas, 2ª 2ᵃᵉ, q. 73, a. 2. Etenim ad famam falsam, quæ

(1) Hæc omnia fusius explicata invenies apud Illᵐ ac Revᵐ Waffelaert, *De Justitia*, II, p. 125 sqq.; cfr. etiam Carrière, *De Just. et Jure*, II, p. 477; Theol. Mechl, *De Justitia*, p. 145; De Lugo, *De Just. et Jure*, disp. XIV, s. 1ª; Molina, T. V, tract. IV, Disp. 1; Billuart, Lessius, etc.

probitate non vera fundatur, homo non habet jus absolutum, sed limitatum tantum quatenus « propter inconvenientia, quæ contra commune bonum et pacem et tranquillitatem sequerentur, oportuit defectus occultos non publicari nisi in iis circumstantiis, in quibus ad eamdem pacem et bonum vitæ humanæ expedit eorum publicatio. (1) »

2° Ob justam causam igitur occultum proximi crimen manifestari potest, immo quandoque debet. Hæc justa causa petitur

a/ *ex religione,* ne quis auctoritate immeritæ famæ fulcitus incautos falsa doctrina decipiat, aut ne quis indignus ad sacros ordines, munera et dignitates promotus, Ecclesiæ scandalo vel detrimento sit;

b/ *ex justitia;* ita judex aut superior potest crimina revelare ad reorum pœnam, aliorumque exemplum, ita pariter licet privato, ex studio justitiæ, crimen ad judicem deferre ut puniatur, immo adest obligatio si quis ex officio ad illud sit constitutus;

c/ *ex caritate,* quando illud utile est aut necessarium

ad avertendum malum ipsius delinquentis; hinc juste parentibus, domino, prælato manifestari possunt, et quandoque debent delicta filiorum, famulorum, subditorum, ut nempe hi opportune corrigantur;

ad præcavendum malum ipsius manifestantis, hinc revelare potest quis crimen alterius ad proprium periculum evadendum, ad auxilium obtinendum, ad petendum consilium; immo interdum etiam quando bonum narrantis non oritur nisi ex infamia proximi: « si accusator vel testis, ait de Lugo, injuste te vexat in judicio, poteris ejus crimina occulta manifestare, quatenus illud conducit ad tuam defensionem, vel ad minuendam ejus fidem (2) » ;

ad avertendum malum tertii et a fortiori reipublicæ;

---

(1) De Lugo, *De Jure et Just.,* disp. 14, n° 97.
(2) *l. c.* n° 108.

hinc legitime revelantur tum impedimenta matrimonii, ne proximus male vel invalide contrahat, tum occultissima crimina ne innocens pro reo damnetur, tum etiam quorumdam inhabilitas ac ineptitudo ne noceant aliis; hinc pariter legitima est denuntiatio illorum, quorum crimina occulta vergunt in reipublicæ detrimentum.

3° Requiritur ut damnum quod per revelationem cavetur sit proportionatum damno quod ex manifestatione delicti proximo infertur; proportionatum autem censetur si damnum vitandum sit grave et notabile, quamvis majus damnum sequatur diffamato; nam, ut ait Billuart (1), nocens et innocens non sunt jure pares, et alioquin sequeretur ad avertendum damnum in bonis fortunæ nunquam licitum esse manifestare crimen alterius, cum fama prævaleat divitiis, quod tamen nemo admittit (2).

Præterea oportet ut hæc revelatio non fiat nisi quando et in quantum necessaria est ad bonum procurandum vel damnum avertendum.

Denique vix non inutile videtur animadvertere hanc revelationem criminis occulti fieri debere ex recta intentione, nempe ex religionis, justitiæ aut caritatis studio, non vero ex odio aut spiritu vindictæ (3).

II. *Injuriam ex genere suo gravem committit, qui absque justa causa crimen occultum manifestat.* Hujusmodi divulgationem esse peccatum contra charitatem satis per se intelligitur; contendimus autem illam etiam justitiæ adversari. Etenim qui sine sufficienti ratione delictum occultum manifestat, absque legitima causa efficaciter contribuit, ut alter in bono suo, quod relate ad eos, qui illud crimen ignorant, legitime possidet, damnum patiatur, præterquam quod cum famæ jactura plerumque alia quoque plurima bona amissurus sit.

---

(1) Disp. XV, a. 2.

(2) Cfr. Theol. Mechl. *De Justitia*, p. 159; Baller. Palm. II, p. 759; S. Alphonsus, lib. 3, n° 968.

(3) Cfr. Carrière, *De Just. et Jure*, T. II, p. 502.

Neque dicatur æquum non esse quemquam meliorem famam habere quam meretur. Nam multo minus æquum et justum est unumquemque aliorum judicem ac vindicem se constituere; solius enim judicis est cuiquam malum seu pœnam propter demeritum infligere. Cæterum quantum intersit boni communis etiam et privati, ut non omnia delicta palam innotescant, nemo non videt (1).

Detractionem vero ex genere suo esse graviter culpabilem abunde constat ex S. Scriptura. Legimus enim *I Cor. VI, 10: neque fures... neque maledici... regnum Dei possidebunt;* pariter *ad Rom.* I, 30, *detractores* sicut et *contumeliosi* recensentur inter eos *qui digni sunt morte;* cfr. etiam *Prov. XXIV, 9; Eccl*es. *X, 11.* Idem evincitur ex doctrina SS. Patrum.

Ut autem in casu particulari gravis committatur injuria, oportet gravis sit materia et efficax divulgatio (2).

A. D. C.

V

Q. *An licet revelare crimen publicum? Adde rationem.*

R. **Prænota.**

Absoluta quæstione de liceitate revelationis criminis occulti, jam inquiritur de crimine quod nulla potest tergiversatione celari utpote vel publice notum, vel ex sese ulterius diffundendum, seu *de crimine publico.* Porro duplex distinguenda est *publicitas* seu notorietas: juris et facti. Crimen dicitur *jure publicum,* si de illo per sententiam judicis constat. Juxta nonnullos Auctores latiore sensu etiam jure publicum dicitur illud, de quo constat per confessionem rei in judicio,

(1) Ita fere ad verbum Meyer, *Instit. Jur. Nat.,* T. II, p. 74; cfr. Carrière, *l. c.,* p. 515; De Lugo, *l. c.,* nº 61.

(2) Cfr. Ill^{s} ac Rev^{s} Waffelaert, *De Justitia,* T. II, p. 151 et sqq.

aut legitimam testium depositionem, sed cum de tali delicto nihil adhuc secundum jus fuerit decretum, illud recte etiam publicum facto nuncupari posse videtur (1).

Crimen dicitur *facto publicum*, quod palam multis præsentibus factum est, vel jam notum majori parti communitatis, aut saltem tam multis ut moraliter impossibile sit quod non deveniat in communitatis notitiam. Quot vero personis notum esse debeat, ut facto publicum esse possit, definiri nequit, sed morali judicio est determinandum inspectis omnibus circumstantiis, ut loci, rei et facinoris, numeri et conditionis testium etc.

Insuper publicum sive jure sive facto, tale est vel *relative* vel *absolute* prout agitur vel non de quadam speciali communitate puta collegio, monasterio, familia, quæ extraneis exclusis sua secreta servare potest ac debet (2).

His prænotatis **respondetur**

1° *Crimen publicum absoluta publicitate juris* quovis loco et tempore manifestari potest. Dicimus

a/ manifestari potest *quovis loco.*

Nulla certe difficultas quoad loca in quibus crimen jam est publice notum : non enim læditur justitia, quia famam non habenti fama auferri nequit ; neque talis revelatio caritate prohibetur, cum cujuslibet intersit scire quæ publice nota sunt.

Sed idem dicendum censemus si agatur de iis locis ad quæ divulgatio verosimiliter non est perventura. Etenim non læditur justitia: nam judex ferendo sententiam intendit ut quantum fieri possit promulgetur, divulgantes ergo facultate sibi concessa a judice qui illam concedere potest utuntur. Neque læditur cha-

---

(1) Cfr. Marres, *De Justitia,* T. I. p. 433.

(2) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia;* T. II, p. 147.

Talis communitas recte vocatur communitas clausa, ipsique opponitur communitas patens, ut est urbs, oppidum, pagus. Cfr. Noldin, *De Præceptis Dei et Eccl.* (Æniponte, 1904) p. 625; Genicot, *Theol. mor*, p. 417.

ritas: quando enim jus ad famam sublatum est, etiam semper adest ratio sufficiens cur caritas non lædatur, quia ad bonum commune magnopere confert sententiam ubique divulgari, ut efficacior sit pœna ac reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotæ, qui cum illo negotia tractanda habere possent (1).

b/ manifestari potest *quovis tempore,* etiam, juxta communiorem sententiam, si temporis lapsu memoria illius criminis jam oblivione fuerit deleta. Etenim, ut ait De Lugo (2), facultas evulgandi per judicis sententiam tributa adhuc perseverat, et semper exstat ratio boni communis, propter quod contemni potest proximi bonum.

Adverte tamen lædi posse charitatem tum ex prava intentione crimen revelantis, tum etiam si ex manifestatione prævideatur damnum extraordinarium per accidens aut damnum extrinsecum secuturum, quod et de manifestatione delicti facto publici valet (3).

2° *Crimen publicum absoluta publicitate facti*

a/ juxta sententiam practice probabilem *quovis loco* divulgari potest. Ratio est quia in fama quæ falsa probitate nititur, non habetur jus nisi in quantum per illam non noceatur bono publico. Sed expedit ad bonum publicum ut unusquisque ab aliis cognoscatur qualis publice est, ne homines in relationibus, quas cum improbis habere possunt, decipiantur.

Huic vero sententiæ hodiedum novum exinde accedit robur quod locorum distantia fere non sit, et res ubique maxima facilitate publicentur.

b/ Crimen autem quodam tempore publicum absoluta publicitate facti, *manifestari non potest in alio tempore, quo jam datum est oblivioni,* sed occulto delicto est æquiparandum. Talis enim divulgatio læderet

(1) Cfr. Bucceroni, *Theol. Mor.*, T. I, p. 566.
(2) *De Just. et Jure,* Disp. XIV, n° 77.
(3) Ita Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. c.*, p. 150.

charitatem juxta omnes, et probabilius, ut De Lugo aliique plures tradunt, etiam justitiam, quia alter famæ suæ possessionem recuperavit, a qua pacifica possessione absque sufficienti ratione iterum privari non potest.

Nec sunt ejusdem rationis quoad hoc distantia localis et temporalis. « Distantia localis facit quidem quod res in loco distanti non sit publica, non tamen facit quod res eadem tunc non sit publica : quod enim alicubi est, vere est : ergo quod alicubi est vere et simpliciter publicum, vere est tunc publicum. Distantia autem temporalis facit quod res vere non sit publica, sed *fuerit* publica : quare cum quilibet habeat jus sciendi quæ vere sunt nunc publica apud eos cum quibus commercium habet, sufficit publicitas in alio loco, ut possit alibi sciri : quod vero solum in alio tempore fuit publicum publicitate facti, non dat nunc jus ut sciatur, cum nunc nullo modo sit publicum. (1) »

3° *Crimen publicum relativa publicitate sive juris sive facti* divulgari non potest extra illam communitatem, respectu cujus est publicum. Etenim « restricta est talis notitia ad personas solum talis collegii vel congregationis, quæ est quasi quædam persona politica retinens apud se secretas res suas, nec volens eas aliis communicare quando in detrimentum vel dedecus ejusdem communitatis redundare posset talis communicatio. (2) »

A. D. C.

VI

Q. *Quænam cæremoniæ speciales servandæ sunt ad offertorium, consecrationem et communionem missæ privatæ, quando particulæ sunt consecrandæ ?*

R. **Prænotanda.** Textus rubricarum ex quo respon-

(1) De Lugo, *l. c.*, n° 85.
(2) De Lugo, *l. c.*, n° 83.

sum primarie desumendum est invenitur in Missali Romano, *Ritus servandus in celebr. Missæ*, tit. II, n. 3, de dispositione hostiarum super altare; tit. VII, n. 3, de oblatione; tit. VIII, nn. 5 et 6, de consecratione; tit. X, nn. 5, 6, 7, de communione. Cujus textus dispositiones clarius perspiciuntur, si ratio habeatur moris vigentis eo tempore quo rubricæ illæ confectæ et Missali Romano insertæ fuerunt. Solebant enim fideles generatim communicare infra missam et quidem ex particulis quas celebrans præmonitus hunc in finem certo numero consecrabat (1). Præterea rarissime inveniebatur tabernaculum in ipso altaris medio fixum (2).

In quæstione ex professo agitur tantum de *particulis* (3), h. e. de minoribus hostiis quæ fidelium communioni sunt destinatæ. Eadem tamen applicanda veniunt etiam hostiæ majori pro expositione consecrandæ. Particulæ jam in altari positæ supponuntur ante offertorium: debent enim offerri cum hostia sacrificii. Ideo admitti nequeunt post oblationem hostiæ nisi ob motivum grave ante canonem, ob motivum gravius post incœptum canonem. Quo casu statim mentaliter offerendæ sunt. Poni autem possunt vel « super patena »

---

(1) Quæ consuetudo hodiedum aliquatenus servata est in quibusdam regionibus v. g. in Italia.

(2) Sacræ species, præsertim pro communione infirmorum reservandæ, pendebant supra altare in pyxide aut vase habente formam columbæ aut turris serico tentorio seu *tabernaculo* contectæ; vel includebantur in parva capsa mobili posita in sacristia aut super aliquo altari; vel in armario in parieti chori; vel in turri quadam specialiter ad hoc destinata; aut tandem, inde a sæc. XIV, cœpit servari in tabernaculo in medio altaris fixo, qui usus communior factus est, notatim in nostra diœcesi, tantum inde a sæculis XVI et XVII. Cf. Reusens, *Éléments d'archéologie chrétienne*, (Louvain, 1886) T. II, p. 236, n. 573; J. Corblet, *Hist. du Sacrem. de l'Eucharistie*, T. I, p. 561.

(3) Cf. tit. X, 6, 7. *Particulæ* ne confundantur cum *fragmentis*, de quibus tit. X, nn. 5 et 6. Nomen *particularum* vix intelligitur nisi attendatur mori antiquo. Antequam enim sæculo XI invaluisset mos consecrandi hostias minores « in modum nummorum » ut aiebant, solebant consecrari panes ampliores qui pro communione fidelium revera frangebantur in *particulas* singulis distribuendas.

si sint paucæ (v. g. quinque vel ad summum decem); vel, si « ob quantitatem super patena manere non possunt, celebrans locat eas super corporale, ante calicem »; vel congruentius ponuntur « in aliquo calice vel vase mundo benedicto » notatim in pyxide. Qui calix vel pyxis locatur a sacerdote « retro post calicem missæ ».

I. Tractabimus imprimis de casu frequentiori quo particulæ sunt **inclusæ in pyxide** (seu calice).

1. *Ad offertorium*, amoto jam calice extra corporale, antequam celebrans patenam cum hostia elevet, pyxidem, quam potest versus medium corporale adducere, « dextra discooperit » sinistra nodum tenente; cooperculum extra corporale a dextris deponit; « intentionem suam etiam ad illas [hostias] offerendas et consecrandas dirigit » et more solito patenam cum hostia missæ elevans offert, dicens *Suscipe* etc. Dein modo consueto deposita hostia « circa medium anterioris partis corporalis ante se » et dimissa patena, celebrans dextra pyxidem cooperit, eamque relinquit vel reponit in locum pristinum qui, juxta rubricam est « retro post calicem », ita ut in medio corporali, linea recta sint hostia, calix missæ et pyxis. Ratione tamen angustiæ altaris aut corporalis ponenda erit pyxis extra medium: locari potest tunc versus cornu epistolæ (1) vel potius evangelii (2), ubi pyxis, præsertim si alta sit, non erit impedimento quominus palla calicis infra missam a dextris deponatur vel reponatur.

2. Ad consecrationem, antequam celebrans « pollices et indices super corporale extergat », sibi admovet pyxidem (quod necessario faciendum est, si forte staret extra fines lapidis consecrati), eam aperit (3) ut supra,

(1) ZUALDI, *Cæremoniale missæ privatæ*, p. III, cap. I, n. 1.

(2) Ill. VAN DER STAPPEN, *Sac. liturgia*, T. III: *de celebrat. missæ*, q. 326, 327; COPPIN et STIMART, *Sac. liturg. compendium*, n. 412.

(3) Quodsi hæc omissa fuerint, non ideo dubitandum de validitate consecrationis. De casu quo pyxis extra corporale remanserit, vide dissertationem *Collat. Brugen.* T. VII, p. 598-604.

et dicens: *Qui pridie* etc., peragit consecrationem panis more solito, intentionem suam dirigens etiam in particulas consecrandas. De cetero in ritu consecrationis et postea, crucisignationes aliæque cæremoniæ in missa præscriptæ super hostiam aut calicem, nullo modo mutari debent ut extendantur ad particulas consecrandas aut consecratas.

Dein, facta elevatione et secunda genuflexione qua adoravit SS. Sacramentum, celebrans pyxidem cooperit operculo, eamque reponit in locum pristinum, reponit calicem in medium corporale et modo solito perficit consecrationem calicis.

3. *Ad communionem missæ.*

A. Si s. communio fidelibus non sit distribuenda et non sit tabernaculum in altari in quo celebratur, pyxis in corporali relinqui potest usque ad finem missæ, ut tunc debito honore deferatur ad tabernaculum (tit. X, n. 7). Quo casu, sumpta secunda purificatione, celebrans ornat calicem (non imposita tamen bursa) eumque ponit extra corporale a parte evangelii, relinquens pyxidem in medio corporali (1). De cetero in omnibus debet se gerere (v. g. quoad genuflexiones et modum se vertendi aut recedendi a medio altari) juxta præscripta pro casu quo SS. Sacramentum est asservatum super mensa altaris, v. g. in fine missæ in Cœna Domini.

Si tamen alius adsit sacerdos, potest ille, post communionem calicis, accedere ad altare et statim deferre SS. Sacramentum ad tabernaculum (2).

B. Si vero in ipso altaris medio adsit tabernaculum, versamur extra hypothesim Missalis Romani. Non mirum igitur auctores in varias abire sententias et consuetudinem facilius servari posse.

Quidquid sentiant aliqui, nulla apparet ratio cur servetur pyxis in corporali usque ad finem missæ, ut in

---

(1) Ill. Van der Stappen, *op. cit.* q. 331, nota IV.

(2) Coppin et Stimart, *Sacr. liturgiæ compendium* (1904) p. 444.

hypothesi præcedenti. Nec placet sententia (1) juxta quam pyxis sit reponenda post primam ablutionem.

Manet igitur ut pyxis tabernaculo includatur vel immediate post meditationem quæ sequitur communionem sacræ hostiæ, vel statim post sumptionem SS. Sanguinis (2). Utroque enim momento admittit rubrica Missalis aliqualem interruptionem ut tractentur particulæ consecratæ.

Priori sententiæ, quam tenent Ill. Van der Stappen (q. 330, *b*) et Erker (*Enchirid. liturgic.* n. 222), favet quod certe hostiæ *super corporale* consecratæ et non distribuendæ debent reponi in vas ad hoc destinatum, antequam fiat collectio fragmentorum (tit. X, n. 5). Ratio assignatur ut corporale reddatur liberum ita ut semel tantum ac statim fragmenta colligi possint ante sumptionem calicis. Quæ ratio tamen non obtinet quando particulæ in pyxide servantur.

Et ideo alteri sententiæ suffragatur calculus communior auctorum (3) qui malunt pyxidem esse reponendam post communionem calicis. Ita inter utramque communionem SS. Corporis et Sanguinis nulla fit interruptio, quæ facilius admitti potest post sumptionem SS. Sanguinis, imo et certe admitti debet si communicandi sint fideles (tit. X, n. 6) (4) vel purificanda vasa.

Huic ultimæ sententiæ conformis est praxis quæ in diœcesi obtinet. Quare practice, post sumptum SS. Sanguinem, celebrans calicem palla et pyxidem (5)

---

(1) *S. Alphonsi liber de cærem. missæ* ed. G. Schober (1898) p. 112.

(2) VICTORIUS AB APPELTERN, Manuale liturgicum, p. 264, n. 8.

(3) P. QUARTI *Rubr. Miss. Rom.*, p. II, tit. X, rubr. 5; F. ZUALDI, *Cærem. missæ privatæ*, p. III, cap. I, n. 5; COPPIN et STIMART, op. cit., n. 444; KUNZ, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten* (Regensburg 1904) p. 208, citans auctoritatem SOLANS, LE VAVASSEUR, DE CARPO et WAPELHORST.

(4) Quo casu certe pyxis non est deponenda in tabernaculum ante sumptum S. Sanguinem (tit. X, n. 6).

(5) Si communio sit distribuenda ex particulis consecratis, pyxidem celebrans aperit, communionem distribuit et tabernaculum tantum aperit

velo suo tegit, tabernaculum aperit, non genuflectit etiamsi SS. Sacramentum ibidem asservetur, quia ante se habet SS. Sacramentum in pyxide servatum (1); dextra imponit pyxidem in tabernaculum, genuflectit antequam clauso tabernaculo SS. Sacramentum oculis subtrahatur, claudit tabernaculum et detecto calice, pergit in missa modo consueto celebranda.

II. Si particulæ non sint inclusæ in pyxide aut vase alio, sed super patena positæ, sacerdos post orationem *Suscipe Sancte Pater,* more solito dimittit patenam, facit signum crucis super corporale, et inflectit posteriorem partem patenæ ita ut effluant primo hostia missæ quæ deponatur in loco consueto, deinde particulæ quæ collocentur retro post hostiam missæ, ita ut reservetur locus sufficiens pro calicis pede. Si necesse fuerit, dextera manu hostiæ in loco suo adaptari possunt. Si particulæ jam sint positæ super corporale ab initio, nullus ritus externus mutandus est ad offertorium.

Ad consecrationem similiter nihil speciale præscribitur.

Ad communionem missæ, si particulæ sint reservandæ, peracta meditatione post sumptionem SS. Corporis Domini, sacerdos « facta prius genuflexione » quam semper facit quando in missa est tractaturus SS. Corpus et Sanguinem, « reponit eas in vas ad hoc ordinatum » (v. g. pyxidem) quod absque nova genuflexione claudit. Pyxidem clausam vel relinquit in altari usque post communionem SS. Sanguinis, vel statim

(sine genuflexione) post s. communionem. Si autem distribuendæ sint particulæ ex alia pyxide tabernaculo inclusa, aperit tabernaculum, pyxidem illam extrahit, aliam quæ est in altari reponit in tabernaculum, illud claudit, aperit pyxidem et s. communionis cæremonias adimplet.

(1) Contrà Zualdi *op. cit.*, ibid. n. 5. — Confirmari potest nostra opinio argumento a pari, ex eo quod nec S. C. R. (decr. 23 dec. 1862, n. 3116 et diei 14 Jan. 1898, n. 3975, ad III, 2°) nec auctores contendunt esse genuflectendum quando, distributa s. communione extra missam, et deposita pyxide super altari, aperitur tabernaculum in quo forte est asservatum SS. Sacramentum.

velo suo coopertam in tabernaculum includit. In hoc casu, nec post apertum tabernaculum nec antequam claudatur videtur esse genuflectendum, etiamsi aliæ hostiæ consecratæ essent in tabernaculo (1). Ratio nobis est quia SS. Sacramentum toto hoc tempore sub specie vini remanet in ipsa altaris mensa.

Contingere potest ut particulæ modo consecratæ sint reponendæ in pyxidem quæ sit e tabernaculo extrahenda et in qua remanent vel fragmenta vel imo paucæ quædam particulæ (aut species major) nunc a sacerdote sumendæ. Quo casu celebrans repositionem particularum differt usque post sumptionem SS. Sanguinis. Relinquit nempe particulas in corporali et ideo differt collectionem fragmentorum quæ sunt in corporali. Peracta communione SS. Sanguinis, calicem cooperit, tabernaculum aperit, pyxidem extrahit et, clauso tabernaculo (saltem si contineat aliud vas cum sacris speciebus), pyxidem aperit. Si sint species consumendæ genuflexus adorat et reverenter eas sumit et mox, detecto calice, e pyxide quam sinistra manu elevatam et inclinatam tenet, fragmenta indice dextero accurate colligit et in calicem immittit. Consultius est pyxidem ulterius non purificare vino, ne parieti forte non satis exsiccatæ adhærere possint sacræ species. Tunc « facta prius genuflexione » particulas modo consecratas immittit in pyxidem, quam absque nova genuflexione claudit et ponit in tabernaculum, quod facta genuflexione claudit. Tunc patena colligit fragmenta in corporali forte remanentia eaque deponit in calicem quem modo consueto purificat.

C. C.

---

(1) Contrarium proponunt De Herdt, *Sac. liturgiæ praxis*, T. III, n. 278, I; Ill. Van der Stappen, *op. cit.*, q. 330, et alii. Cf. supra p. 510, nota 1.

Législation Sociale.

Commentaire de la Loi du 24 décembre 1903.

(Suite. — Voir plus haut p. 198; 270; 338).

CHAPITRE II. — Des Garanties de l'assurance (1).

Art. 14. Sauf dans les cas déterminés à l'article 16, le chef d'entreprise est tenu de constituer le capital de la rente, conformément au tarif visé à l'article 7, soit à la caisse générale d'épargne et de retraite, soit à un autre établissement agréé pour le service des rentes. Un arrêté royal déterminera les conditions requises pour cette agréation, qui ne pourra être accordée par le gouvernement que sur l'avis de la commission des accidents du travail.

La constitution du capital doit être effectuée:

En cas de mort de l'ouvrier, dans le mois de l'accord entre les intéressés et, à défaut d'accord, dans le mois du jugement définitif;

En cas d'incapacité permanente de travail, dans le mois de l'expiration du délai de revision prévu à l'article 30.

Toutefois, les établissements chargés du service des rentes peuvent, sous leur responsabilité, accorder des délais aux chefs d'entreprise.

Ces établissements sont, dans ce cas, subrogés aux actions et privilèges de la victime et de ses ayants droit.

Notes. 1. *Autre établissement agréé pour le service des rentes.* Il convient de noter qu'il ne faut pas confondre les établisse-

(1) Voir plus haut p. 207 ss.

ments *agréés pour le service des rentes* avec ceux qui sont *agréés pour l'assurance.* La loi ne s'oppose pas à ce qu'un établissement agréé pour l'assurance le soit en même temps pour le service des rentes et réciproquement. L'administration chargée de l'exécution de la loi, pourra, si elle le juge opportun, autoriser ce cumul (1).

2. *Accorder des délais aux chefs d'entreprises.* Le chef d'entreprise qui n'avait pas contracté avec un assureur agréé et qui n'a pas constitué le capital des rentes à un établissement agréé, peut cependant éviter d'être exécuté sur ses biens; il suffit pour cela qu'un établissement agréé pour le service des rentes lui accorde des délais sous sa responsabilité. Dans ce cas, cet établissement fait crédit au chef d'entreprise et se subroge à lui à l'égard du créancier; celui-ci ne peut qu'y gagner et le chef d'entreprise échappe à la nécessité de verser à bref délai un capital dont peut-être il ne peut disposer (2).

ART. 15. La créance de la victime de l'accident ou de ses ayants droit est garantie par un privilège qui prend rang immédiatement après le n° 4° et sous le n° 4*bis* de l'article 19 de la loi du 16 décembre 1851 sur les privilèges et hypothèques.

Note. Privilège. Ce privilège embrasse tout l'actif mobilier, tous les objets qui ne rentrent pas sous la dénomination d'immeubles. La victime ou les ayants droit exerceront éventuellement leur privilège sur l'assureur subrogé au chef d'entreprise ou sur l'établissement chargé du service des rentes (3).

ART. 16. Le chef d'entreprise est dispensé du versement du capital de la rente s'il justifie:

Qu'il a subrogé un assureur à ses obligations conformément à l'article 10. Cette subrogation emporte libération du privilège établi par l'article 15;

Ou bien qu'il a garanti le service de la rente en déposant, conformément aux conditions à déterminer

---

(1) Voir Wodon, *o. c.*, p. 40.
(2) Voir *Rapport* de M. Van Cleemputte, n° LXXXI.
(3) Voir Coppyn, *o. c.*, n. 117 et s.

par arrêté royal, à la caisse des dépôts et consignations ou à la caisse générale d'épargne et de retraite, des titres d'une valeur suffisante pour assurer éventuellement la constitution du capital dont le versement n'a pas été effectué.

Il est également dispensé de verser le capital de la rente, si la constitution éventuelle de ce capital ou le service de la rente est assuré par une hypothèque, ou une caution, déclarée suffisante par le juge de paix, sauf appel, après que la victime ou ses ayants droit ont été entendus ou dûment cités.

Le jugement désigne les immeubles grevés de l'hypothèque, l'objet de la garantie et la somme jusqu'à concurrence de laquelle l'inscription peut être prise.

Le juge peut aussi déclarer suffisante l'affectation, à la garantie dont il s'agit, d'une inscription, soit pour la propriété, soit pour l'usufruit, au grand-livre de la dette publique.

Les inscriptions ou les oppositions sont requises, en vertu du jugement, soit par le greffier, soit par le procureur du roi, soit par la victime ou les ayants droit.

L'article 32 est applicable aux actes prévus par la présente disposition.

Note. Caution (al. 4). Le mot *caution* doit s'entendre de la caution réelle aussi bien que de la caution personnelle. L'insolvabilité de la caution personnelle venant à se produire, le créancier de l'indemnité aura le droit de demander la modification de la garantie (1).

Art. 17. Seront agréées aux fins de la présente loi les caisses communes d'assurance contre les accidents, constituées par les chefs d'entreprise, ainsi que les compagnies d'assurance à primes fixes, qui se conformeront au règlement à établir par arrêté royal.

Les assureurs agréés sont astreints à constituer des

---

(1) Voir *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 57.

réserves ou cautionnements dans les conditions à déterminer par le règlement.

Le montant des réserves ou cautionnements est affecté, par privilège, au payement des indemnités.

Aucune clause de déchéance ne pourra être opposée par les assureurs agréés aux créanciers d'indemnités ou aux ayants droit.

Notes. 1. L'assurance n'est donc pas monopolisée par la Caisse générale d'épargne et de retraite autorisée par l'art. 35 à traiter des opérations d'assurances contre le risque accident.

2. *Les caisses communes d'assurance* comprennent dans leur généralité les sociétés d'assurance mutuelle. Espérons que de nombreuses mutualités patronales et professionnelles ne tarderont pas à solliciter l'agréation légale. La supériorité des mutualités, c'est de réaliser l'assurance *au prix de revient.* Elles n'ont ni frais considérables d'administration, ni frais de propagande, ni frais de surveillance, ni rémunération de capitaux engagés. Ce sont des organismes autant que possible locaux, décentralisés, d'où tout esprit de lucre est banni et où la surveillance est exercée par les membres eux-mêmes (1). L'intérêt personnel des membres, mis directement en jeu, sera le meilleur garant de mesures préventives contre les accidents. Ces mutualités unissant les membres d'une même profession ou, au besoin, de professions différentes, amèneront encore cet heureux résultat de contribuer à dissiper au sein de la bourgeoisie ces rivalités mesquines, si nuisibles à son bonheur comme à sa prospérité (2).

L'Exposé des motifs (3) stipule que « l'agréation ne sera accordée que si les sociétés qui la sollicitent sont organisées d'après les principes rationnels de la pratique des assurances. »

Les sociétés agréées, qui seront substituées aux chefs d'entreprises exonérés, devront, aussi bien que les patrons non assurés, constituer le capital représentatif des rentes à servir. Elles devront, d'après un règlement établi par arrêté royal,

---

(1) Voir Ch. Dejace, *Revue Gén.* 1903, p. 329 s.

(2) Voir le *Manuel Social* du R. P. Vermeersch, 2e éd. Louvain 1904, p. 916.

(3) *Documents parlem.* 1900-1901, nº 123, p. 297.

constituer ces capitaux soit à la Caisse générale d'épargne et de retraite, soit aux caisses agréées pour le service des rentes. Si les sociétés agréées d'assurances sont également autorisées à faire le service des rentes, *la réserve* devra représenter la valeur mathématique des rentes en cours. Les établissements agréés pour le service des rentes pourront garder la possession de leurs réserves techniques ou mathématiques, qu'il ne faut pas confondre avec les *cautionnements* destinés à garantir les obligations futures (1). Ces cautionnements qui seront exigés des assureurs devront toujours être consignés, à moins que la nature des fonds ne rende la consignation inutile (2).

3. *Aucune clause de déchéance* etc. La loi toutefois ne défend pas aux sociétés d'assurances de prévoir des causes de déchéance d'assureur à patron assuré, de stipuler dans leurs polices, que le chef d'entreprise aura la responsabilité de sa faute, d'exiger l'observation de règlements, de prescriptions, de précautions spéciales, tout comme elles l'ont fait sous l'ancien régime. Le recours de l'assureur contre l'assuré, stipulé expressément dans la police, est donc légalement valable; mais il n'existe plus de plein droit comme sous l'ancien régime, sauf dans le cas de faute intentionnelle chez le patron. Le dernier alinéa ne vise donc que l'intérêt des victimes ou des ayants droits auxquels la loi veut assurer dans tous les cas la réparation forfaitaire (3).

4. Les sociétés et les caisses communes d'assurance agréées ne pourront contracter des *assurances partielles:* l'assurance devra toujours être totale, c'est-à-dire s'étendre à tous les ouvriers de l'entreprise et couvrir tous les risques dont ils pourraient être victimes (4).

Art. 18. L'agréation sera accordée et révoquée par le gouvernement, qui prendra préalablement l'avis de la commission des accidents du travail.

---

(1) L'art. 17 al. 2 eût donc mieux dit: des réserves *et* cautionnements. Voir le *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 60.

(2) Un immeuble p. e. est consigné par sa nature même. Il suffira que ces immeubles ne puissent être grevés d'hypothèques et doivent, par privilège, être affectés au paiement des indemnités.

(3) Voir Coppyn, *o. c.*, p. 156 s.

(4) *Annales parl. Sénat,* Session 1903-1904, p. 115 s.

Les arrêtés royaux d'agréation et de révocation seront insérés au *Moniteur*.

La liste des sociétés agréées sera publiée tous les trois mois au *Moniteur*.

Note. Les assureurs ne seront pas agréés de plein droit et par le seul fait qu'ils se conformeront au règlement qui sera établi par arrêté royal (art. 17) : il faudra en outre que le gouvernement leur accorde *expressément* l'agréation, et, à ce sujet, le gouvernement statue souverainement (1).

ART. 19. Les caisses communes d'assurance contre les accidents, agréées en vertu de l'article 17, jouiront de la capacité juridique et des avantages attribués par la loi du 28 mars 1868 aux caises communes de prévoyance en faveur des ouvriers mineurs, reconnues par le gouvernement.

Les statuts des caisses communes pourront stipuler que les indemnités du chef d'incapacité de travail seront, pendant un délai qui n'excédera pas six mois à partir de l'accident, directement payées aux victimes par le chef d'entreprise ou par une caisse locale fonctionnant à son intervention, le tout sous la garantie de la caisse commune intéressée.

Note. Caisse locale : que cette caisse locale soit une société mutualiste reconnue ou une société non reconnue, ou une caisse établie par les ouvriers de l'usine, la faculté est la même, par la raison qu'elle s'exerce toujours sous la garantie de la Caisse commune intéressée (2). Voir art. 11.

De multiples *avantages* résultent de cette disposition : elle facilite le règlement des petits accidents, fait profiter le patron ou l'assureur de la surveillance exacte que les sociétés ont organisée sur leurs membres ; elle épargne des frais. En rapprochant les patrons des sociétés ouvrières, elle a même une portée sociale (3). Nous estimons toutefois que l'organi-

(1) Voir le *Rapport* de M. Van Cleemputte, nº LXXVI.

(2) Voir plus haut p. 346 s. et Coppyn, *o. c.*, p. 165.

(3) Voir le *Manuel Social* du R. P. Vermeersch, p. 915 s. et : *Le rôle de la mutualité dans la réparation des accidents du travail*, par Ch. Dejace, *Revue Génér.* févr. 1903, p. 316 ss.

sation de ce service mutualiste rencontrera des difficultés pratiques sérieuses, surtout à la campagne.

Art. 20. Il est institué, sous le nom de fonds de garantie, une caisse d'assurance contre l'insolvabilité patronale; cette caisse a pour but de pourvoir au payement des allocations dues en cas d'accident, lorsque le chef d'entreprise est en défaut de s'acquitter des obligations qui lui incombent.

Le fonds est rattaché à la caisse des dépôts et consignations.

L'intervention de ce fonds est subordonnée à la constatation préalable du défaut d'exécution des obligations du chef d'entreprise et, s'il y a lieu, de l'assureur. Cette constatation est faite par le juge de paix, dans les formes à établir par arrêté royal.

La caisse pourra exercer un recours contre les débiteurs défaillants; elle est subrogée aux droits, actions et privilèges des victimes ou des ayants droit, tant à l'égard des chefs d'entreprise qu'à l'égard des tiers.

Le recours contre les chefs d'entreprise est exercé, par voie de contrainte, comme en matière de contributions directes.

Le fonds de garantie est alimenté par des cotisations mises à la charge des chefs des entreprises privées qui, sur réquisition de l'administration des contributions directes, n'auront pas justifié du contrat d'assurance prévu au 2e alinéa de l'article 10 ou de la dispense visée au 3e alinéa du même article. Un arrêté royal règle la déclaration et les autres formalités à exiger en vue d'établir cette justification.

Le montant des cotisations est déterminé par arrêté royal, sur l'avis de la commission des accidents du travail.

Les rôles d'assujettissement sont dressés, le recours des imposés s'exerce, et les recouvrements sont opérés, au besoin par voie de contrainte comme en matière de contributions directes.

Notes 1. Nous avons déjà dit (1) que le législateur n'a pas cru devoir admettre le principe de l'assurance obligatoire; il laisse au chef d'entreprise la liberté de s'assurer ou de ne pas s'assurer; mais pour garantir aux intéressés le payement effectif des indemnités forfaitaires, il oblige le chef d'entreprise, qui n'aura pas contracté une assurance avec un établissement agréé, à payer des allocations à la Caisse de garantie contre l'insolvabilité patronale.

Le patron qui paie sa cotisation au fonds de garantie n'est pas pour cela assuré, et ne se couvre nullement du risque qu'il court personnellement. Aussi, le Gouvernement espère-t-il que *cette disposition de la loi recommandera efficacement l'assurance* aux chefs d'entreprise, sans toutefois la leur imposer.

2. A l'alinéa 3, les termes *et s'il y a lieu, de l'assureur* visent l'assureur *non agréé,* car l'article 20 traite de l'insolvabilité patronale, et si le patron s'était fait assurer à une société agréée, il eût été exonéré (2).

3. Le fonds de garantie devra également pourvoir à l'insolvabilité éventuelle du chef d'entreprise qui aurait obtenu la dispense prévue au dernier alinéa de l'art. 10 (3).

CHAPITRE III. — De la responsabilité civile.

Art. 21. Il n'est en rien dérogé aux règles générales de la responsabilité civile lorsque l'accident a été intentionnellement provoqué par le chef d'entreprise.

Sauf cette exception, les dommages résultant des accidents du travail ne donnent lieu, à charge du chef d'entreprise, au profit de la victime ou de ses ayants droit, qu'aux seules réparations déterminées par la présente loi.

Les dommages et intérêts ne seront, en aucun cas, cumulés avec ces réparations.

Indépendamment de l'action résultant de la présente loi, la victime et les ayants droit conservent, contre les

---

(1) Voir *plus haut* p. 207 s.

(2) Voir le *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 64.

(3) *Annales parl. Sénat,* Session de 1903-1904, p. 121.

personnes responsables de l'accident, autres que le chef d'entreprise ou ses ouvriers et préposés, le droit de réclamer la réparation du préjudice causé, conformément aux règles du droit commun; le chef d'entreprise sera, le cas échéant, exonéré de ses obligations à concurrence du montant des dommages et intérêts accordés.

L'action contre les tiers responsables pourra même être exercée par le chef d'entreprise, à ses risques et périls, au lieu et place de la victime ou des ayants droit, s'ils négligent d'en faire usage.

Notes. 1. La *faute lourde* étant comprise dans la réparation forfaitaire et la *faute intentionnelle* étant seule exclue, la loi ne favorisera pas cependant l'imprévoyance, car les obligations de l'employeur et de l'employé ne manqueront pas de sanction. Patrons et ouvriers, outre la *sanction morale* procédant de la conscience, s'exposeront aux *sanctions pénales,* à l'amende, à la prison, lorsqu'ils contreviendront à quelqu'une des nombreuses dispositions, soit des lois, soit des règlements généraux, soit des règlements particuliers de l'entreprise, règlements pris en vertu des lois de 1888, 1889 et 1899 sur la police du travail, soit des art. 418 ss. du code pénal. En matière pénale, quand un accident a pour suite une blessure, une lésion, la faute la plus légère suffit pour faire encourir l'amende ou la prison.

Reste en outre la *sanction civile:* les compagnies d'assurances et les caisses communes connaîtront les installations défectueuses; elles refuseront les risques mauvais ou imposeront des conditions plus onéreuses; elles pourront même stipuler des précautions spéciales et décréter que le chef d'entreprise encourra la responsabilité de sa faute (1). Reste enfin la *sanction administrative:* les inspecteurs du travail signaleront les installations fautives, avertiront les patrons, exigeront les modifications nécessaires et au besoin feront usage de mesures coercitives (2).

2. Tout ce qui dans les alinéas 4 et 5 est dit du *chef*

---

(1) Voir Art. 17 note 3; — Coppyn, *o. c.*, p. 179 s.
(2) Voir le *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 13.

d'entreprise s'applique évidemment à l'assureur subrogé conformément à la loi (1).

ART. 22. Les indemnités établies par la présente loi ne sont point dues lorsque l'accident a été intentionnellement provoqué par la victime.

Aucune indemnité n'est due à celui des ayants droit qui a intentionnellement provoqué l'accident.

Notes. 1. *Ayants droit.* Pour ceux-ci il n'y a aucune dérogation au droit commun : il en résulterait, d'après M. Claeys Boúúaert, qu'aucune indemnité ne leur serait due, alors même que l'accident serait le résultat *d'une simple faute* de leur part. La couverture de la faute lourde n'existe que pour la victime seule. Dans le cas où l'un des ayants droit est exclu, sa part accroît aux autres (2).

2. Le chef d'entreprise conserve son *action personnelle* de droit commun s'il est victime d'un accident, d'un préjudice dans sa personne ou dans ses biens par le fait ou par la faute de son ouvrier. Pour obtenir des dommages-intérêts, il aura à prouver la faute (3).

ART. 23. Toute convention contraire aux dispositions de la présente loi est nulle de plein droit.

A. C.

(A suivre).

(1) Voir Coppyn, *o. c.*, p. 190.
(2) Voir le *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 66.
(3) Voir Coppyn, *o. c.*, p. 192 s.

A propos de l'origine du Magnificat

M. Ladeuze a publié (1) sur l'origine du *Magnificat* une étude qui fut très remarquée. Le savant professeur nous fait connaître d'abord les opinions des auteurs et l'état actuel de la controverse. « Ainsi donc, soit en Allemagne, soit en France, les exégètes catholiques se sont contentés de revendiquer pour la Vierge son célèbre cantique, sans s'occuper de la dernière origine littéraire de celui-ci. Et cependant, à notre avis, la première question ne peut pas être résolue sans la seconde » (p. 625). La controverse contient donc deux questions : la première, qu'on pourrait nommer *historique*, est celle-ci : est-ce Marie qui a prononcé le Magnificat ; la seconde, la question *littéraire*, se subdivise en deux problèmes : le premier concerne le *texte :* l'Évangéliste a-t-il écrit : « Et ait *Maria* » ; le second concerne la *source* d'où l'Évangéliste a tiré le *Magnificat :* la source à laquelle S. Luc a emprunté le Cantique est-elle différente de celle qui lui a fourni le reste de l'histoire de l'Enfance (v. p. 635)?

C'est à résoudre la question *littéraire* qu'est consacré avant tout l'article de l'A. Dans une première partie, M. Ladeuze avec une rigoureuse logique et une grande clarté d'exposition démontre péremptoirement que l'auteur du troisième évangile a introduit le *Magnificat* par les mots : « Et ait *Maria* » et a par conséquent attribué ce cantique à la Mère de Dieu. Dans une seconde partie, l'A. s'efforce d'établir que le *Magnificat* ne peut pas appartenir au même document qui a fourni à S. Luc le reste de l'histoire de l'enfance de Jésus. En faveur de cette thèse l'A. invoque et développe surtout deux raisons d'ordre psychologique, a savoir : 1/ la différence

(1) *Revue d'histoire ecclésiastique*, an. 1903, pp. 623-644.

entre l'attitude qu'accuse le *Magnificat* et l'attitude prise par Marie aux évènements antérieurs à la Visitation, 2/ l'incompatibilité du *Magnificat* avec la situation de Marie lors de la Visitation.

Nous nous proposons d'examiner la valeur de ces arguments.

I

La première considération est exprimée par les paroles suivantes : « Et d'abord on ne peut nier qu'*en faisant prononcer* (1) ce long et solennel cantique par la Vierge, l'Évangéliste lui prête une attitude différente de celle qu'il lui a fait observer dans tous les évènements de l'histoire de l'Enfance. Qu'on parcoure la description de l'Annonciation, de la Naissance du Christ, de la visite des Bergers, de la Purification : partout Marie et Joseph suivent en silence avec la plus grande simplicité les dispositions de la Providence, qu'elles leur soient manifestées par un ange, par un édit de l'empereur ou par une prescription de la Loi. A peine ouvrent-ils la bouche. Partout Marie garde la plus parfaite réserve et c'est cette réserve qui donne à son rôle un caractère si touchant (2). On ne s'attend guère à ce qu'un auteur qui nous représente la Vierge sous cet aspect, lui mette dans la bouche un long hymne où elle exalte les merveilles accomplies en elle » (p. 634). — Pourquoi, d'après M. Ladeuze, le lecteur de l'Évangile ne s'attend-il guère à ce qu'un auteur qui présente la Vierge sous cet aspect lui mette dans la bouche un long hymne...? Parce que la réserve observée par Marie dans les premiers évènements de la vie de Jésus constitue une attitude différente de celle qui est manifestée par le *Magnificat*. C'est le point de départ de l'argumentation qui, au fond, revient à ceci : Si

(1) Cette expression soulignée appliquée, sans explication, à un historien est équivoque

(2) Loisy, art. cit. de la Rev. d'hist. et de littér. rel. 1897, p. 430.

Marie avait prononcé le *Magnificat* lors de la Visitation, elle aurait eu alors une attitude différente de celle qu'elle a eue aux évènements antérieurs de la vie de Jésus; or un auteur qui a prêté à Marie l'attitude que, d'après le texte, elle a eue aux évènements antérieurs à la Visitation ne peut pas lui prêter l'attitude qu'accuse le *Magnificat;* donc le récit des premiers évènements de l'enfance de Jésus n'est pas du même auteur qui a attribué à Marie le *Magnificat*. Nous répondons: la majeure est fausse, c'est-à-dire qu'il n'y a pas connexion nécessaire entre la condition et son conséquent; la mineure est fausse aussi.

1. *La majeure est fausse*. L'attitude, dont parle ici M. Ladeuze, est une disposition psychologique habituelle, une manière d'être ou d'agir qui *caractérise* une personne. Ce qui, d'après l'A. caractérise la Vierge est sa réserve constante, son silence, résultant de sa simplicité, de sa soumission absolue aux dispositions de la Providence, de sa grande modestie. Pour qu'il y ait changement d'attitude chez une personne, il faut qu'elle manifeste des dispositions psychologiques contraires à celles qui la caractérisaient (1). La Vierge en prononçant le *Magnificat* exprime l'admiration, la reconnaissance qu'elle éprouve pour les grandes choses que Dieu a opérées en elle. Cette admiration, cette reconnaissance sont elles contraires à l'humilité, à la soumission aux dispositions de la Providence? Évidemment non. Et *l'expression* de ces sentiments, faite dans les circonstances où se trouvait Marie lors de la Visitation, est-elle opposée à la modestie, à la réserve habituelle? Non. Marie a entendu sa cousine, inspirée par Dieu,

(1) Ce n'est évidemment pas la *différence matérielle* entre le silence gardé et l'expression de sentiments qui constitue un changement d'attitude : tout homme sensé sait qu'il est un temps de se taire et un temps de parler; c'est la même vertu, la *prudence*, qui détermine le silence et l'usage de la parole : celui qui se tait, quand il doit se taire, et qui parle, quand il doit parler, ne change pas d'*attitude*.

saluer en elle la mère du Messie ; Marie ne peut cacher ici sa maternité divine : elle exprime les sentiments que sa grandeur *réelle* et *reconnue* fait naître en elle. Marie n'a pas dérogé à la réserve qu'elle s'est imposée : *elle* n'a pas changé, mais les circonstances où elle se trouve maintenant sont bien différentes de celles où elle était antérieurement. Marie, cette âme d'élite, foncièrement humble et parfaitement maîtresse d'elle-même, tend à cacher sa dignité aux hommes, mais quand celle-ci est révélée par Dieu à une personne qui, sous l'inspiration divine, adresse des éloges enthousiastes à Marie, celle-ci fait remonter vers Dieu seul la louange qui revient à Lui seul.

2. *La mineure est fausse.* Supposons un instant, ce que nous n'admettons nullement, qu'objectivement le *Magnificat* accuse chez Marie un changement d'attitude. Va-t-on en conclure qu'un même auteur ne peut pas prêter à Marie des attitudes différentes en des circonstances différentes ? Non. Il faudrait d'abord démontrer qu'en réalité Marie n'a pas pu changer d'attitude. Car si elle a pu changer d'attitude, un historien, qui rapporte les faits tels qu'ils se sont passés, peut donc présenter une même personne sous des aspects psychologiques différents. Or *il n'est pas impossible* que Marie change d'attitude. En effet, toute créature peut changer de dispositions psychologiques, et l'homme peut, en l'une ou l'autre circonstance, poser un acte qui ne cadre pas avec sa manière habituelle d'agir. — En outre, l'action surnaturelle de Dieu dans les âmes y opère des effets qui déjouent les prévisions des psychologues qui ne tiennent pas compte de cet élément. Et quand il s'agit de la Mère de Dieu, placée sous la direction constante et spéciale de l'Esprit Saint, peut-on décider ce que l'Esprit a pu lui inspirer ? Nous savons que la Vierge réalisa en elle au plus haut degré la perfection morale, dès lors nous concluons logiquement que tout acte, incompatible avec la sainteté la

plus éminente, ne peut exister en Marie; mais, dans le domaine si vaste et si varié de l'exercice des vertus, nous ne possédons aucun critère qui nous permette de définir tout le détail de ce que la Mère de Dieu n'a pas pu dire ou faire.

II

Le second argument est exposé dans les termes suivants: « Si nous passons à l'*examen du cantique lui-même*, la même explication va s'imposer à nous. Qu'on remarque bien la situation! Marie, ayant appris de la bouche de l'Ange, la grossesse d'Élisabeth, accourt chez sa cousine, pour constater le signe qui lui a été donné en sa personne. A son entrée dans la maison de Zacharie, son attention est concentrée sur Élisabeth. Marie voit que sa cousine est mère: son enfant tressaille dans son sein. Marie remarque l'inspiration de l'Esprit dans Élisabeth à qui la conception virginale et la scène de l'Annonciation (v. 45) sont révélées. Marie enfin va répondre aux louanges enthousiastes que sa cousine lui a adressées. Or, dans tout son long cantique, elle n'a pas un mot pour Élisabeth, pas un mot pour son enfant qui vient de tressaillir, pas une allusion aux circonstances où elle se trouve! Elle ne parle que d'elle-même et du Messie, et cela en des termes généraux qui n'ont aucun rapport avec les faits de *l'histoire de l'Enfance*. Est-il vraiment possible que ce cantique de Marie ait été primitivement conçu (1) comme une réponse à Élisabeth, comme provoqué par les circonstances de la Visitation? — Remarquez d'ailleurs ce que Marie dit d'elle-même dans son cantique. Ce n'est pas de sa conception virginale qu'elle loue

(1) Ceci n'est pas clair. Faut il comprendre: le Magnificat n'a pas pu être conçu *par Marie* lors de la Visitation? Quoi qu'il en soit l'A. affirme que le *Magnificat* n'a pas pu être regardé par l'auteur primitif, auquel nous devons l'ensemble des récits de l'Enfance, *comme une réponse provoquée par les éloges adressés par Élisabeth à Marie lors de la Visitation.*

Dieu, et pourtant c'est sur elle qu'a dû être rappelée toute son attention au moment où elle vit réalisé dans sa cousine jusque là stérile, le prodige qui lui avait été annoncé comme gage de sa propre maternité. Non ce qu'elle met uniquement en lumière c'est la modestie et la bassesse de sa condition..... Cette considération est parfaitement étrangère à *l'Évangile de l'Enfance*..... Encore une fois cette manière de nous présenter Marie n'est pas celle de l'auteur primitif à qui nous devons l'ensemble des récits de l'Enfance. Le *Magnificat* est un morceau intercalé dans ces récits » (pp. 636-637).

L'argumentation de l'A. peut se résumer comme suit: il n'est pas possible que le *Magnificat* ait été conçu comme une réponse à Élisabeth; donc il n'a pas été attribué à Marie par l'auteur primitif du récit de la Visitation. Nous ne nierons certes pas la conséquence de cet argument: *a non posse ad non esse valet illatio;* mais *nous nions l'antécédent* et examinerons les principales considérations exposées par M. Ladeuze à l'appui de cette assertion.

1. *Dans tout son long cantique, Marie n'a pas un mot pour Elisabeth, pas un mot pour son enfant.* On sous-entend: Marie devrait nécessairement, *dans ce cantique* (1), parler d'Élisabeth et de son enfant.

Pourquoi? M. Ladeuze ne le dit pas et nous ne le voyons pas.

2. « *Dans tout ce long cantique Marie ne fait pas une allusion aux circonstances où elle se trouve.* » Quelles sont ces circonstances? Marie voit que sa cousine est mère: son enfant tressaille dans son sein. Marie remarque l'inspiration de l'Esprit dans Élisabeth, Marie entend l'expression de l'admiration de sa cousine, qui salue en elle la Mère du Messie: Marie répond à ces paroles

(1) Nous ignorons ce que Marie a dit après: le séjour qu'elle fit lui a permis de dire à Élisabeth tout ce que la charité la plus délicate peut inspirer.

élogieuses : *Magnificat anima mea Dominum : et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est : et sanctum nomen ejus.* A quoi donc Marie fait-elle allusion ? A sa maternité : « quia fecit mihi *magna* » ; aux conséquences de cette maternité : « ecce enim ex hoc *beatam me dicent omnes generationes* ». Le fait de la maternité de Marie prime tout : c'est de cette dignité qu'Élisabeth la félicite : Marie répond à ces éloges, mais ne se complaisant pas pour elle-même dans les louanges que lui a adressées sa cousine, son esprit s'élève bien loin au-dessus de la terre pour s'unir à Dieu et lui offrir l'hommage de la plus pure reconnaissance.

3. « *Ce n'est pas de sa conception originelle qu'elle* (Marie) *loue Dieu... Ce qu'elle met uniquement en lumière c'est la modestie et la bassesse de sa condition.* » Quand Marie dit : « fecit mihi *magna* » n'inclue-t-elle pas dans l'ensemble de ces merveilles sa conception virginale ? Lorsqu'elle relève la bassesse de sa condition, n'est-ce pas afin de faire remarquer que Dieu ne tient aucun compte des situations humaines pour opérer ses prodiges ? *Il abaisse les puissants, il élève les faibles.* Cette constatation est bien à sa place dans la bouche de l'humble vierge. En outre n'est-il pas opportun que Marie appelle l'attention sur le fait que le Messie est le fils d'une mère pauvre et de condition obscure, puisque les juifs rêvaient un Messie grand et puissant selon le monde ? (1)

III

Si le *Magnificat* n'appartient pas au récit primitif de

1 Ces raisons de convenance ne sont pas données ici comme étant par elles-mêmes une preuve du fait que Marie a prononcé le *Magnificat* lors de la Visitation ; mais elles sont opposées aux raisons de convenance qu'invoque M. Ladeuze pour *nier le fait* dont il s'agit.

la Visitation, « comment l'Évangéliste fut-il amené à l'intercaler dans cette histoire? » Il *interprète librement par là la réponse que Marie dut faire à Élisabeth* (p. 644).

Cette explication nous semble insuffisante. En effet, dans ce qui précède, nous venons de le voir, l'A. en *considérant le Magnificat en lui-même* a été amené à conclure que ce cantique *ne peut pas* avoir été conçu primitivement comme une réponse à Élisabeth, comme provoqué par les circonstances de la Visitation et que, par conséquent, cette manière de nous représenter Marie n'est pas celle de l'auteur primitif à qui nous devons l'ensemble des récits de l'enfance de Jésus. Cette impossibilité de concevoir le *Magnificat* comme la réponse de Marie à Élisabeth est fondée sur l'étude du cantique *considéré en lui-même:* d'où il résulte que, d'après M. Ladeuze, tout homme sensé comprenant le *Magnificat* et les sentiments qu'il exprime, et connaissant, d'autre part, les circonstances de la Visitation, doit conclure : le *Magnificat ne peut pas être la réponse faite alors par Marie à Élisabeth*. Dès lors, l'A. ne peut, sans se contredire, soutenir que S. Luc en trouvant le *Magnificat* y a vu précisément *la réponse* que Marie *a du faire* à sa cousine *lors de la Visitation*. Et si S. Luc n'a pas jugé que le *Magnificat* est la réponse que Marie a du faire à Élisabeth, comment s'est-il décidé à intercaler ce cantique *comme réponse?* La seule correspondance des versets 48-49 avec le verset 45, correspondance dont parle l'A. p. 641, n'est pas une raison suffisant à expliquer comment S. Luc a été amené à intercaler le *Magnificat comme réponse* que Marie aurait dû faire à Élisabeth lors de la Visitation.

J. V. D. M.

De Jubilæo anni 1904

Triplici capite distincto inquiremus de natura præsentis Jubilæi, de ejus conditionibus et de ejus privilegiis.

CAP. I. — De natura præsentis Jubilæi.

Indoles propria jubilæi hujus anni 1904 est quod sit jubilæum *extraordinarium* seu *extra ordinem* concessum. Jubilæum videlicet *ordinarium* seu *anni sancti* recurrere nunc solet quolibet vigesimo quinto anno; aliis vero temporibus, h. e. extra ordinem, ob rationes speciales v. g. coronationem novi Pontificis, magnam calamitatem vel insigne beneficium, conceditur interdum jubilæum, quod ideo vocatur *extraordinarium* (1) vel *indulgentia extra ordinem, instar Jubilæi.* Præter hoc discrimen, assignantur et alia: ita extraordinarium promulgatur absque solemnitate et limitatur ad paucos menses, imo interdum ad aliquas hebdomadas (2); eo durante, non suspenduntur indulgentiæ et facultates (3); solent præscribi jejunium et eleemosyna, non vero iter romanum et visitationes basilicarum Urbis (4).

Ratio concessionis hujusce jubilæi est initium Pontifi-

---

(1) Cf. *Collat. Brugenses*, T. V, p. 127 sq. — *Jubilæum extensionis* (v. g. anno 1901) non est habendum ut extraordinarium: cf. *ibidem*, T. VI, p. 260.

(2) Jubilæum tamen extraordinarium anni 1886 Leo XIII extendit ad integrum annum; imo per plures annos duravit jubilæum a Pio IX edictum occasione concilii vaticani (1869).

(3) Cf. pro anno sancto 1900 Bulla Leonis XIII *Quod Pontificum*, apud *Collat. Brug.*, T. V, p. 47 sqq.; vide tamen eodem tomo moderationes postea appositas.

(4) Cf. Loiseaux, *Traité canonique et pratique du jubilé*, Tournai Casterman, 1859, p. 31 ss ; Bastien, *Tractatus de Jubilæo anni sancti...*, Rollarii, De Meester, 1901, p. 22.

catus Pii Pp. X: « Exemplo, ait, Decessorum usi quum Pontificatum inirent, indulgentiam extra ordinem, instar Jubilæi, orbi catholico impertiri decrevimus (1) »; simul verò quinquagesimum anniversarium a definita immaculata conceptione B. M. V.: ideo jubilæum promulgatur in fine litterarum encycl. *Ad diem illum* de cultu B. M. V. sine labe originali conceptæ.

Præsens jubilæum est *universale* seu « orbi catholico » concessum: « *Universis et singulis utriusque sexus christifidelibus* in alma Urbe Nostra degentibus vel ad eam advenientibus...; ceteris vero ubicumque, extra prædictam Urbem degentibus.... plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et impertimus »....

Duratio Jubilæi est limitata, uti solet fieri pro jubilæo extraordinario. Romæ duravit « a die XXI februarii, usque ad diem II junii inclusive »; in favorem verò christifidelium extra Urbem degentium spatium temporis sic assignatur: « Supra dicto tempore vel *per tres menses etiam non continuos*, Ordinariorum arbitrio, pro fidelium commodo, præcise designandos, *ante tamen diem VIII mensis decembris*. » Facultas igitur conceditur Ordinariis designandi tres menses, sive continuos sive non, pro suo arbitrio, intra diem 21^{m} februarii et 8^{m} decembris (2). Quoad hunc terminum, verisimile non erat excludi ipsum festum Immaculatæ Conceptionis; et declaravit S. Pœnitentiaria 3 Aprilis 1904 (ad VI)

---

(1) Encycl. SS. D. Pii Pp. X, *Ad diem illum*, de die 2a Februarii 1904 (*Collat. Brug.*, hoc tomo IX, p. 148). Hunc usum introduxit Sixtus V anno 1585 ad implorandas benedictiones cœlestes in Pontificatum inchoatum; illum morem servarunt ejus successores, exceptis Pio VI (1775) et Leone XII (1823), propter occurrentem vel mox sequentem Annum Sanctum, et Pio VII (1800) per bellum in Italia furens impedito.

(2) Nota discrimen cum jubilæo anni 1901 apud *Collat. Brug.*, T. VI, p. 263. — In Belgio trimestre jubilare curret intra 8 Sept. et 8 Dec., præterquam in diœc. Namurcensi, ubi duplex periodus designata fuit: 22 Maii — 17 Julii; 2 Oct. — 5 Nov. inclusive.

diem 8m decembris comprehendi posse intra trimestre jubilæi (1). Tempus illud videtur designandum idem pro universa diœcesi (2).

Omnia opera injuncta persolvi debent intra trimestre designatum ab Episcopo, ita ut ne ipsa confessio pridie instituta valere possit ad effectum jubilæi acquirendi (3); attamen cuivis liberum est quovis tempore, modo sit intra trimestre, varia opera præstare (4).

Adverte *prorogari* tempus jubilæi, uti solet, in gratiam *navigantium atque iter agentium*, qui impediti fuerint ab indulgentia lucranda intra tempus statutum. Ipsis nimirum conceditur ut opera præscripta peragant, postquam ad sua domicilia se receperint, etiam clauso jam jubilæi tempore, et tunc indulgentiam consequi valeant. Non determinatur quantum præcise tempus ipsis tribuatur, sed opera peragere debent *quum primum* ad sua domicilia se receperint, quod moraliter intelligendum est, scil. de spatio aliquot dierum intra quod possint opera injuncta peragere absque gravi incommodo (5). Vix necesse est advertere eos tunc frui

---

(1) Ubi comprehendi declaratur dies 8a Decembris, videtur excludenda dies 8a Septembris, ita ut hac die nec confessio in ordine ad Jubilæum possit institui. Apto tamen consilio festum Nativitatis B. M.V. consecrabitur solemni annuntiatione Jubilæi, uti in variis litteris Episcoporum Belgii decernitur.

(2) Ita decisum fuit pro jubilæo anni 1901 : *S. Pœnit.*, 27 Febr. 1901, ad I (*Nouv. rev. théol.*, T. XXXIII, p. 441; *Rev. th. fr.*, T. VI, p. 210). Accedit confirmatio ex *indultis* a S. Sede concessis, puta Revmo Episcopo Namurcensi tempus distribuendi « diverso modo pro variis suæ diœcesis locis ». Cf. *Collat. Namurcenses*, T. IV (Julii 1904), p. 49. Simile indultum obtinuit Episcopus Leodiensis. Cf. ejus litteras 18 Aprilis 1904, art. 3.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 263.

(4) Olim in bullis præscribi solebat ut opera peragerentur eodem tempore, puta eadem hebdomada, quamvis jubilæum ultra hebdomadam duraret. Hanc disciplinam temperavit Pius IX, at in jubilæo quod concessit, quum Pontificatum iniret, tres dies jejunii præscriptos observari voluit eadem hebdomada, reliqua vero opera intra tres hebdomadas, per quas duravit jubilæum, præstari posse indulsit. Postea nulla jam hujusmodi restrictio occurrit. Cf. Loiseaux, *op. cit.*, p. 159 ss.

(5) Tamquam norma assignari potest cum pluribus auctoribus spatium quindecim dierum, quod sane pro nostro jubilæo sufficit. Cf. Loiseaux, *op. cit.*, p. 119; Bastien, *op. cit.*, p. 49.

privilegiis jubilæi, v. g. quoad commutationem operum et facultates confessarii ab ipsis electi; satis manifestum quoque est eos posse acquirere indulgentiam durante itinere, etiam opera ponendo diversis in locis, ut dicemus infra, modo in singulis apertum sit jubilæum (1).

De indulgentiæ acquisitione. In bulla expresse statuitur indulgentiam *semel* tantum acquiri, eam tamen animabus purgatorii per modum suffragii (2) applicari posse.

Hæc indulgentia vocatur *plenissima omnium peccatorum* indulgentia: unde hac ex parte non habeter discrimen cum jubilæo anni sancti. Qua ratione nuncupetur *plenissima* et *peccatorum*, explicatum invenies apud *Collat. Brug.*, T. V, p. 181-182.

Expresse concedit Pius X « integrum cuicumque, hoc etiam Jubilæi tempore, permanere privilegium lucrandi quasvis indulgentias, plenariis non exceptis », quæ ab Ipso vel Decessoribus ejus concessæ fuerint. Unde fideles possunt, per trimestre jubilæi, non tantum defunctis sed etiam sibi, lucrari indulgentias tum partiales tum plenarias aliunde concessas. Similiter non suspenduntur neque restringuntur facultates quas confessarii aliunde habent (3).

Sic adumbrata generatim natura præsentis jubilæi (4), jam agendum de conditionibus præscriptis ad lucrandam indulgentiam. In sequentibus supponimus, pro scopo nostro practico, trimestre designatum ab Ordinario ac proinde omittimus quæ spectant indulgentiam quæ Romæ acquiri poterat.

---

(1) Cf. *Revue théolog. française*, T. IX (1904), p. 236-237.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 297.

(3) Nota hoc discrimen cum jubilæo anni sancti: Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 47 sqq.

(4) Quoad *normas interpretandi* ea quæ ad jubilæum pertinent, vide *Collat. Brug.*, T. VI, p. 261 sq.

CAP. II. — De conditionibus.

A/ **Generalia requisita** (1).

1° Ante omnia necessaria est *intentio* lucrandi jubilæum: certo sufficit *virtualis*, imo ut videtur, non requiritur virtualis, sed sufficit *habitualis* (olim np. habita et non retractata), cum intentio nullum habeat influxum in indulgentiæ constitutionem vel efficaciam; debet tamen esse *explicita*, id est, olim expresse habita: opera enim injuncta ex se indifferentia sunt, ita ut ad unum potius quam alterum finem non ordinentur, adeoque debent per intentionem agentis ad determinatum finem lucrandi indulgentiam referri; ad hanc autem determinationem producendam non sufficit intentio *implicita*, quam nonnulli vocant interpretativam, qua quis præsumitur habere intentionem lucrandi jubilæum, si de hoc cogitaret (2). Practice nulla habetur ex hac parte difficultas: cum enim agatur de favore extraordinario, ad quem obtinendum opera specialia imponuntur, vix non semper erit intentio saltem virtualis, ita ut vere *ex* intentione prius habita ponantur opera.

Insuper in eo, qui indulgentiam jubilæi animabus purgantibus applicare desiderat, requiritur *intentio applicandi*; sed *sufficit habitualis*, utique *explicita*.

2° Oportet omnia opera injuncta devote et personaliter *rite adimplere* quoad tempus, modum, finem, prout exprimitur in concessionis documento. Quodsi unum ex operibus injunctis vel omnino vel in parte notabili, quacumque ex causa omittatur, si qua conditio non servetur, quocumque ex motivo, excepto casu legitimæ commutationis, indulgentia non acquiritur (3). Hoc

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 135, coll. T. VI, p. 448 sqq.

(2) Cf. Theodorus a Spiritu St°, *Tractatus historico-theologicus de jubilæo*, Cap. V, § I, n. 3; Loiseaux, *op. cit.*, p. 112 ss — Dissensus apud AA. oriri videtur præsertim ex diversa et confusa notione intentionis virtualis et habitualis, quam vide accurate expositam apud Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 320 et 323; ed. 3ª, n. 326 et 329; in ed. 1ª, n. 40.

(3) S. C. Indulg. 18 Febr. 1835. Cf. *Raccolta*, ed. 1898, p. VIII.

sensu verum est in hac materia usu non venire probabilismum: non enim ex quorumvis opinione sed ex positiva voluntate concedentis pendet concessio indulgentiæ et conditiones ad eam requisitæ (1). Attamen quando RR. PP. aliquam conditionem requirunt, scientes inter auctores disputari quomodo illa conditio impleri debeat, præsumi merito potest eos « consentire ut a se requisita secundum probabiles sententias auctorum efficaciam habeant » (2). Hoc sensu dici potest quod probabilis doctrina auctorum securitatem conferat, etiam in hac materia indulgentiarum, non quia Ecclesia supplet, sed quia, saltem quoad substantiam, servatur quod requiritur (3).

3° Ad lucrandam jubilæi indulgentiam requiritur *status gratiæ*, saltem quando ultimum opus perficitur, in quo indulgentia acquiritur (Bened. XIV, constit. *Convocatis*, n. 47, et *Inter præteritos*, §§ 73-76) (4). Unde apto consilio suggeretur fidelibus, ut ultimo instituant confessionem et communionem.

4° Opera injuncta debent esse libera seu *supererogatoria* seu nemo lucratur indulgentiam jubilæi faciendo opera ad quæ ex alio titulo obligatur, nisi Romanus Pontifex hoc expresse concedat (Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 53) (5). Hujusmodi autem concessio non habetur pro præsenti jubilæo.

5° Opera præscripta possunt peragi *quolibet ordine* (Bened. XIV, *Convocatis*, n. 45, et *Inter præteritos*, § 76) (6) et in *quolibet loco*, modo currat tempus jubilæi

---

(1) Cf. Ill^mi^ ac Rev^mi^ Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, Lovanii 1880, p. 160.

(2) Cfr. Ill^mi^ ac Rev^mi^ Waffelaert, *l. cit.*

(3) Cf. Bouquillon, *Le jubilé de 1886*, Soc. de St Augustin, p. 9 sq.

(4) Cf. *Raccolta*, (1898), p. VII. — Invenies has constit. apud *Decreta authentica*, Append. XVIII, p. 493 sqq.; eas etiam exhibet Bastien, *op. cit.*, Append. III, p. 238 sqq.

(5) Cf. Beringer, *Les indulgences*, 2e éd., T. I, p. 69.

(6) Hoc declaravit S. C. Indulg. 19 Maii 1759 quoad indulgentias generatim. Cf. *Raccolta*, ed. 1898, p. XV; Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 68;

in loco ubi peraguntur singula et visitentur ecclesiæ designatæ (1).

B/ **Opera specialiter injuncta** pro præsenti jubilæo sunt 1/ visitatio ecclesiarum designatarum et preces; 2/ jejunium; 3/ confessio et 4/ communio. Non injungitur eleemosyna elargienda, uti sæpe præscribebatur in jubilæo extraordinario. De singulis pauca.

1° *Visitationes et preces.*

a/ *Quænam ecclesiæ* sint visitandæ determinat ipse Pontifex (2): « *Ecclesiam cathedralem, si sit eo loci, vel parochialem aut, si parochialis desit, principalem* ».

In loco igitur ubi existit ecclesia *cathedralis*, hæc est visitanda. Ad illum locum censentur pertinere externa suburbia urbi adjacentia et continentia *(faubourgs)*, adeoque hæc habitantes visitare debent ecclesiam cathedralem (*S. Pœnit.* 3 Aprilis 1904, ad III), non autem oppida in suburbana regione *(banlieue)* existentia et in municipio, in quo exstat ecclesia cathedralis, civiliter comprehensa, quæ tamen distinctas efformant parochias, nec ipsi urbi sunt materialiter continentia, adeoque habitantes illa oppida visitare debent propriam ecclesiam parochialem (*ibid.*, ad II).

Ubi verò non exstat ecclesia cathedralis, visitanda est ecclesia *parochialis* propria uniuscujusque fidelis, etiamsi in loco plures sint ecclesiæ parochiales (*S. Pœnit.*, 23 Martii 1904, ad II); quodsi desit in aliquo loco ecclesia parochialis, visitari debet ecclesia *principalis:* ita quædam parochiæ rurales pluribus coalescunt viculis, satis inter se dissitis, quorum quidam capellam, ut aiunt, auxiliarem habent; porro in his capellis

---

Th. Arizzoli, *Dubia et responsa super extensione ad universam ecclesiam jubilæi in Urbe celebrati anno MCM*, ed. altera (Pustet, 1901), p. 18-19.

(1) Cf. Th. Arizzoli, *op. cit.*, p. 19; Bastien, *op. cit.*, p. 70.

(2) Non tribuitur Ordinariis facultas authentice designandi ecclesias; hujusmodi ceterum facultas jam non videtur necessaria post declarationes nuperrimas S. Pœnitentiariæ 3 Aprilis 1904, ad V.

visitationes peragi possunt (*S. Pœnit.*, 3 Aprilis 1904, ad IV) (1).

b/ *Quoties et quandonam* dictæ ecclesiæ visitari debent? *Ter* visitari debent idque vel eodem die vel diversis diebus (2), modo sit *intra trimestre designatum*. Unusquisque *seorsim* illas visitationes peragere potest; nihil tamen impedit quominus instituantur processiones; de his non est sermo in documento concessionis.

Non debent necessario institui visitationes in loco domicilii, neque tres in eodem loco, dummodo, quod semper supponitur, jubilæum sit apertum in loco ubi visitatio peragitur (3).

c/ *Quales* debent esse visitationes?

1/ *Distinctæ:* unde si tres successive instituantur, debent distingui « per egressum et regressum » (4).

2/ *Devotæ*, etiam in accessu et itinere (Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 76) (5).

3/ In singulis visitationibus effundi debent in ipsa ecclesia *preces* saltem ex parte *vocales* (6), quæ, juxta encycl. *Ad diem illum*, oportet sint *piæ*, *per aliquod temporis spatium* durent (7), et recitentur *ad intentiones* ibidem expressas. Hos tamen fines orans non debet distincte et explicite præ oculis habere: sufficit enim

(1) Hisce igitur declarationibus S. Pœnitentiariæ pressius determinatur sensus verbi *locus*, et confirmantur scripta apud *Collat. Brug.*, T. VI, p. 264-265.

(2) S. Pœnit. 15 Januarii 1886, ad VI (*Nouv. rev. théol.*, T. XVIII, p. 17); 23 Martii 1904, ad I.

(3) S. Pœnit. 15 Januarii 1886, ad VII. Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 268, et *supra* hoc tomo, p. 535 et 533; Bouquillon, *op. cit.*, p. 12.

(4) S. Pœnit. anno 1875, apud *Nouv. rev. théol.*, T. VII, p. 467, ad III, coll. p 235 ad II et p. 236 ad VIII. Cf. *Coll. Brug.*, T. VI. p. 270.

(5) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p 137, coll. T. VI, p. 270; Bouquillon, *op. cit.*, p. 10. — Nota illum sensum devotionis inveniri etiam posse in eo qui est in statu peccati mortalis.

(6) Bened. XIV, *Convocatis*, n. 51, *Inter præteritos*, § 83; S. C. Indulg. 13 Sept. 1888. Cf. Beringer, *l. cit.*, p. 76.

(7) Juxta plures, sufficiunt quinque *Pater* et *Ave* vel preces moraliter æquivalentes. Bouquillon, *op. cit.*, p. 13; Beringer, *l. cit.*, p. 77; P. Mocchegiani a Monsano, *Collectio indulgentiarum*, 1897, p. 81-82.

orare generatim « ad intentionem Romani Pontificis ». (S. C. Indulg. 12 Julii 1847) vel simpliciter ad consequendam indulgentiam jubilæi (1). Preces illæ possunt alternatim cum aliis recitari, puta in visitatione collectiva (S. C. Indulg. 29 Febr. 1820).

Nota surdo-mutos acquirere indulgentiam « injunctas preces signis, vel mente fundendo, vel tantum easdem legendo sine ulla pronuntiatione » (S. C. Indulg. 18 Julii 1902) (2); attamen juxta decretum 16 Febr. 1852 (confirmatum die 15 Martii) tenentur visitationes peragere (3).

4/ Tum visitationes tum preces debent esse opera *supererogatoria* (4), prout supra diximus in genere.

2° *Jejunium.*

Semel jejunandum est, et quidem *in cibis esurialibus,* ut dicitur in textu, seu præscribitur dies *jejunii ecclesiastici stricte dicti.* Unde quoad *quantitatem* ciborum permittitur *unica* tantum *refectio plena*, cui tamen non obstat, ex consuetudine universali, *collatio* neque etiam *frustulum;* quoad *abstinentiam* jejunio propriam, permittuntur *soli cibi esuriales,* seu excluduntur carnes, ova et lacticinia (lac, butyrum, caseus) nec non condimentum sive ex butyro sive ex pinguedine aut adipe stillata (5). Attamen quoad abstinentiam, temperatio, jam concessa a Leone XIII pro Jubilæo anni 1886, iterum conceditur: nimirum « S. Pœnitentiaria, de mandato SS. D. N. Pii Pp. X, declarat *posse Ordinarios etiam in præsenti jubilæo indulgere ut in locis, ubi cibis esurialibus uti difficile est, ova et lacticinia adhi-*

---

(1) Cf. *Raccolta*, (1898), p. XVII; *Collat. Brug.*, T. V, p. 138 (ubi lege 12 Julii); T. VI, p. 270 et 454; Bouquillon, *op. cit.*, p. 14; Arizzoli, *op. cit.*, p. 24.

(2) *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 360.

(3) *Raccolta* (1898), p. X, Beringer, *l. cit.*, p. 79; *Rev. théol. franç.*, T. IX, p. 232, coll. T. VIII, p. 170.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 270; Bouquillon, *op. cit.*, p. 10-11.

(5) Cf. Ill^mi ac Rev^mi Waffelaert, *De temperantia*, (Brugis, 1889), n. 48 sqq.

beantur, servata in ceteris jejunii ecclesiastici forma » (27 Febr. 1904 et 23 Martii 1904). Ubi igitur Ordinarii hac facultate usi fuerint (1), abstinendum erit a carnibus et consequenter a jusculo carnis et condimento ex pinguedine vel adipe stillata.

Pro jejunio eligi potest quilibet dies *intra præfatum tempus*, quo np. currit jubilæum, *præter dies in quadragesimali indulto non comprehensos*: scilicet excipiuntur soli dies jejunii stricti, pro quibus nullum indulgetur temperamentum. Sic non potuisset inservire ad effectum jubilæi acquirendi jejunium in féria VI in Parasceve, in locis ubi cibi tantum esuriales permittuntur. Ratio est quia opus injunctum continere debet saltem aliquid supererogatorii. At ubi, ut in nostris regionibus, diebus jejunii ex indulto licet uti lacticiniis et condimento ex adipe, potest his diebus, dummodo indulti dispensationibus non utantur, peragi jejunium pro jubilæo (*S. Pœnit.*, 3 Aprilis 1904, ad I) (2).

Nota exceptionem afficere ipsos dies, ita ut excipiantur omnes dies reservati jejunio vel abstinentiæ stricti juris, *(jours de maigre strict)* (3): unde dispensatus vel exemptus a *jejunio* non postest eligere diem quo, ceteris jejunantibus, ipse tenetur ex præcepto ecclesiastico ad *abstinentiam strictam*.

Observandum est hoc jejunium imponi omnibus, qui volunt lucrari jubilæum, etiam illos qui annum 21^{m} nondum compleverunt vel 60^{m} jam excesserunt; et ætatem aut morbum aut laborem non esse rationes *per se*

---

(1) Hac facultate non sunt usi Episcopi Belgii, qui jam dederunt litteras de Jubilæo, np. Gandavensis, Namurcensis et Leodiensis.

(2) Cf etiam *S Pœnit.* 8 et 10 Aprilis 1886 (*Nouv. rev. théol.*, T. XVIII, p. 310 ss.) — Sic posset quis eligere unam ex feriis quatuor Temporum Septembris vel 31^{m} Octobris (Vig. festi Omnium SS.), dummodo utatur cibis esurialibus tantum. Ut verò quis possit uti ovis et lacticiniis, ad normam facultatis concessæ Ordinariis pro præsenti jubilæo, debet eligere diem in quo ex alio titulo non obligatur ad jejunium.

(3) *S. Pœnit.*, 10 Aprilis 1886 (*Nouv. rev. th.*, *l. c.*, p. 313).

excusantes, sed esse tantum causas sufficientes ad obtinendam a confessario commutationem (1).

3° *Confessio* (2).

Præscribitur *omnibus*, facienda *intra præfatum tempus*, etiam illis qui sunt perfecte contriti vel sunt in statu gratiæ : non enim requiritur tantum qua medium justificationis, sed tamquam *opus* injunctum (Bened. XIV, *Convocatis*, n. 46. Cf. *Inter præteritos*, § 77-78).

Debet esse *bona* : certo non sufficeret sacrilega. Non tamen requiritur *absolutio* sacramentalis, modo pœnitens jam sit in statu gratiæ (3).

Insuper exigitur confessio *libera* (non obligatoria ex alio titulo, v. g. ex præcepto ecclesiastico) (4) et *specialis* : unde qui solent confiteri singulis hebdomadibus vel quindenis, et sic possunt lucrari indulgentias omnes in hebdomada vel quindena (ut in diœcesi Brugensi) occurrentes, ad quas ceteroquin confessio actualis esset necessaria, debent instituere vel specialem confessionem vel unam ex consuetis in ordine ad jubilæum lucrandum. In hoc ultimo casu illa ipsa confessio non potest simul suffragari ad acquirendas alias indulgentias occurrentes (decr. S. C. Indulg. 9 Dec. 1763 et 12 Martii 1855) ; at cum omissio unius confessionis non disrumpat consuetudinem, potest quis, ut videtur, *vi hujus consuetudinis* lucrari alias indulgentias (5).

Sufficit per se *una* confessio. Attamen *iterum* confiteri deberet, qui post peractam confessionem sed ante ultimum opus impletum, incidit in peccatum lethale (Bened. XIV, *Convocatis*, n. 47 ; *Inter præteritos*, § 79).

---

(1) Cf. Loiseaux, *op. cit.*, p. 268 ss. ; *Rev. théol. franç.*, T. IX, p. 233.

(2) Indicamus præcipua et remittimus ad *Collat. Brug.*, T. V, p. 136 ; Bouquillon, *op. cit.*, p 15-16 ; Loiseaux, *op. cit.*, p 174 ss.

(3) In textu dicitur tantum : « peccata sua *confessi* ».

(4) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 526. Confessio per solam *regulam* præscripta v. g. monialibus non est dicenda ideo insufficiens. De confessione in articulo mortis, vide statim infra.

(5) Cf. Bouquillon, *op. cit.*, p. 16 ; *Rev. théol. franç.*, T. IX, p. 234-235 ; *Collat. Brug.*, T. V, p. 527 et T. VI, p. 312.

4° *Communio.*

Requiritur ut sit simul *spiritualis et sacramentalis* (1), h. e. non mere spiritualis, sed nec sacrilega. (Cf. Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 2).

Sicut confessio, præscribitur *omnibus*, qui volunt lucrari jubilæum (at super ea dispensari potest cum *pueris*, nondum admissis ad communionem suscipiendam, ut dicemus infra); debet institui *intra præfatum tempus*, debet esse *libera* et *specialis* (2).

C/ **De commutandis vel relaxandis operibus injunctis** (3).

In textu sermo est de *commutandis* operibus injunctis et de *dispensando* super communione cum pueris.

1° *De potestate commutandi.*

a/ Fit *commutatio* quando in locum operis injuncti substituitur aliud opus *moraliter æquale,* inspectis tum fine quem intendit Pontifex, tum conditione personæ in cujus gratiam fit commutatio (4). Pro præsenti jubilæo conceditur facultas simpliciter *commutandi* opera, non vero *commutandi-dispensando,* qua np. permittitur mutatio in opus *minus* (5).

b/ Facultas commutandi conceditur *confessariis, actu approbatis a propriis Ordinariis;* eamque exercere possunt *erga quoscumque* fideles: « in favorem Regularium

---

(1) De qua vide Conc. Trid., *Sess.* XIII, cap. 8; S. Th. 3, q. 80. art 1.

(2) Distincta proinde a communione paschali (Cf. Declar. S. Pœnit. pro jubilæis ann. 1875. 1879, 1881, 1886 cit. apud Bastien, *op. cit.*, p. 328 sqq.) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 136. Attamen in articulo mortis constitutus *unica confessione et communione* potest simul et satisfacere præcepto recipiendi hæc sacramenta in fine vitæ et lucrari jubilæum. *S. Pœnit.* 28 Martii 1900, ad II. Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 446, coll. p. 282 sqq. Cf. etiam *S. Pœnit.*, 30 Jan. 1886 cit. apud Arizzoli, *op. cit.*, p. 31.

(3) Notetur discrimen cum Jubilæo extensionis anni 1901. Cf *Collat. Brug.*, T. VI, p. 312 sqq.

(4) Bouquillon, *op. cit.*, p. 16-17.

(5) Cf. Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 45; Loiseaux, *op. cit.*, p. 461 ss; *Collat. Brug.*, T. VI, p. 286 et 327.

utriusque sexus, nec non aliorum quorumcumque... », et *quoad omnia opera* injuncta (1).

Utrum autem illa facultas a confessariis exerceri possit *extra actum sacramentalis confessionis,* non ita liquet (2). Practice tutius erit ea non uti nisi in actu sacramentalis confessionis.

c/ Confessarius non potest valide commutare opera, nisi existente *causa gravi,* quæ est impotentia absoluta vel moralis: « qui ea præstare *nequiverint* » ait Pontifex. Unde requiritur causa talis, quæ sufficeret ad excusandum ab observanda lege ecclesiastica, quæ sub gravi obligat; sed non sufficit causa, quæ sufficeret ad obtinendam dispensationem (3). Utrum revera in casu determinato existat causa sufficiens ad commutandum opus aliquod, relinquitur judicio confessarii determinandum. Hic tamen sine scrupulo agat: nam, juxta graves auctores, si bona fide æstimet adesse causam sufficientem, valida erit commutatio ex benigna mentis Pontificis interpretatione (4).

Quoad exercitium hujus facultatis, hæc addi possunt. Ut statim diximus, ab hac facultate nullum opus per se excipitur, inspecta np. generalitate verborum quibus

---

(1) Olim RR. PP. excipiebant confessionem et communionem, imo et preces (Bened. XIV, *Inter præteritos,* § 53); sed jamdudum usurpant, notatim pro jubilæis extraordinariis, formulam generalem, ut in textu nostro: « prædicta opera, a Nobis injuncta »; ubi verò lex non distinguit, nec nos distinguere debemus Cf. Bouquillon, *op. cit.,* p. 17; *Collat. Brug.,* T. V, p. 210 ss. et 332 ss.; *Nouv. rev. théol.,* T. XVIII, p. 72, coll. tamen Loiseaux, *op. cit.,* p. 584 ss.

(2) Negat Bened. XIV, *Convocalis,* n. 25 et *Inter præteritos,* § 63. At contra adduci possunt declarationes S. Pœnit. 16 Martii 1865 et 21 Julii 1900. Pro jubilæo tamen anni 1886 respondit non expedire hujusmodi commutationem extra confessionem. Cf. Loiseaux, *op. cit.,* p. 592 ss.; Bastien, *op. cit.,* p. 209 sq.; Bouquillon, *op. cit.,* p. 17; *Rev. théol. franç.,* T. IX, p. 238.

(3) Bouquillon, *op. cit.,* p. 18. Cf. ejusdem *Theol. mor. fundam.,* ed. 1ª, n. 208-209. 229; ed. 2ª, n. 155-156, n. 174; ed. 3ª, n. 168-169, n. 187; Van den Berghe, *Tractatus de legibus,* Brugis 1893 et 1904, n. 141 sqq., et n. 150 sqq.

(4) Loiseaux, *op. cit.,* p. 579 sq.

utitur Pontifex; at, per accidens excipitur confessio, cum, ut videtur, non possit commutatio fieri nisi in actu sacramentalis confessionis (1); deinde restringitur de facto illa facultas, ex eo quod raro aderit causa sufficiens, pro commutandis precibus; item pro commutanda communione: rarò enim inveniuntur qui e domo egredi sunt impotentes, vix qui nec in ecclesia nec domi communicare possunt (2). Unde præcipue usu veniet facultas commutandi quoad jejunium et visitationes. De jejunio quædam notavimus suprà p. 539; quoad visitationes, quidam absolute impediuntur, ut religiosi et religiosæ in claustro degentes, carcere detenti, infirmi e domo egredi impotentes: hi tamen omnes recurrere debent ad confessarium pro commutatione obtinenda; relate ad reliquas personas, hæc regula assignari potest: plerumque sufficient ad commutandam visitationem causæ quæ excusant a præcepto audiendi missam (3). Ubi hoc possibile est, ut pro regularibus et carcere detentis, subrogetur visitatio oratorii domus, in qua vitam degunt.

Commutatio denique ne fiat in opera jam aliunde obligatoria.

2° *De potestate dispensandi.*

Conceditur *confessariis* facultas *dispensandi*, non tantum commutandi aut commutandi-dispensando, super *Communione* cum pueris, qui ad eamdem suscipiendam nondum fuerunt admissi, neque intra tempus jubilæi « parochi proprii vel confessarii judicio admittendi sunt (4) ».

---

(1) Cf. *Nouv. rev. théol.*, T. XVIII, p. 72; *Collat. Brug.*, T. V, p. 335.

(2) In gratiam infirmorum qui e domo egredi nequeunt « ob physicum permanens aliquod impedimentum » declaravit S. Pœnit. 10 Maii 1886 commutari posse S. Communionem. Cf. textum cit. ex Arizzoli apud *Collat. Brug.*, T. V, p. 336, in nota, coll. etiam p. 445.

(3) Cf. Loiseaux, *op. cit.*, p. 578; Bouquillon, *op. cit.*, p. 18.

(4) Bened. XIV, *Convocatis*, n. 48. Cf. pro jubilæis anni 1900 et 1901 *Collat. Brug.*, T. V, p. 211; T. VI, p. 313.

CAP. III. — De privilegiis.

Quo efficacius valeant fideles indulgentiam jubilæi acquirere, largitur Pius X varia privilegia: videlicet ipsis *fidelibus* directe conceditur facultas eligendi confessarium in ordine ad jubilæum lucrandum, *confessariis* verò indulgentur facultates speciales, quibus removeri possint varia impedimenta, fideles a pleniori consecutione indulgentiæ retardantia. De illis facultatibus breviter agemus, pro ampliori expositione et probatione remisso lectore ad *Collat. Brug.*, T. V, p. 183 sqq. et præsertim T. VI, p. 197 sqq., 271 sqq., 324 sqq.

Art. I. — *De facultate eligendi confessarium.*

1° « *Omnibus et singulis christifidelibus* tam laicis quam ecclesiasticis sive sæcularibus sive regularibus cujusvis ordinis et instituti, etiam specialiter nominandi » conceditur facultas sibi eligendi « *quemcumque* presbyterum tam regularem quam sæcularem, *ex actu approbatis* ». Concessio igitur est amplissima; una tantum requiritur conditio: confessarius, ut possit eligi, debet esse *actualiter approbatus*. Quam conditionem, attentis generali disciplina ecclesiæ et constanti disciplina in bullis jubilæorum statuta, sic explicamus: sæculares possunt eligere presbyterum regularem vel sæcularem approbatum ab Ordinario loci; regulares autem vel confessarium sui ordinis approbatum sive a superioribus propriis sive ab Ordinario loci, vel extraneum approbatum ab Ordinario loci (1). Restrictio apponitur pro solis monialibus, de qua sub 2°/.

2° Eadem facultate uti possunt « etiam *moniales*, novitiæ aliæque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius *approbatus sit pro monialibus* ». Porro juxta declarationem S. Pœnit. 3 Aprilis 1904, ad VII, moniales intelligi debent, non tantum stricte dictæ (2),

(1) Cf. *Rev. théol. française*, T. IX, p. 239-240.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 197.

sed omnes, etiam vota simplicia professæ, quæ « in communitate vivunt » et « habent præterea confessarium ab Ordinario designatum qui ad eas accedit, ut earum confessiones unus excipiat ». Unde sacerdoti, ut possit eligi, opus est *speciali* approbatione, quæ extra tempus jubilæi requiritur ad valide aut licite excipiendas confessiones religiosarum, sive approbatus fuerit tamquam confessarius ordinarius sive tamquam extraordinarius.

Dicitur in textu « *ad hunc effectum* » id est ad effectum lucrandi jubilæi. Unde libertate eligendi confessarium uti quis non potest, nisi in ordine ad lucrandum jubilæum et cum animo serio et sincero indulgentiam consequendi et opera necessaria adimplendi.

Exceptio. Cum Pontifex, ut ipse declarat, non intendat derogare Constitutioni Benedicti XIV *Sacramentum pœnitentiæ*, dicendum est nullam competere pœnitenti facultatem eligendi confessarium *complicem in peccato turpi* (1).

Art. II. — *De facultatibus confessarii.*

A/ De usu facultatum.

Eo ipso quod sacerdos rite eligitur in confessarium, *ipso facto,* ex directa S. Sedis concessione, specialibus facultatibus jubilæi potitur relate ad pœnitentem a quo eligitur. Ut vero legitime iis utatur, quædam sunt attendenda :

1° Requiritur ut pœnitens ad confessionem peragendam accedat « *cum animo præsens jubilæum assequendi, nec non reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi* ». Quodsi postea mutetur propositum et reliqua opera de facto non adimpleantur, in suo vigore nihilominus persistunt absolutiones, commutationes et dispen-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 201.

sationes a pœnitente obtentæ cum prædicto animo, serio ac sincero (1).

2° *Quoties* dictis facultatibus uti valeat erga eumdem pœnitentem confessarius, novissime declaravit S. Pœnit., 3 Aprilis 1904, ad VIII: np. *pluries*, « quamdiu dictus pœnitens opera omnia jubilæi nondum perfecerit » (2). Imo dubium propositum supponit pœnitentem posse recurrere ad diversum confessarium: *confessarius confessariive.*

3° Nequeunt dictæ facultates exerceri nisi *in actu confessionis sacramentalis* et valent « *in foro conscientiæ dumtaxat* » (3).

B/ **De facultatibus in specie.**

Triplici gaudet facultate confessarius, nimirum 1°/ absolvendi a censuris et a casibus reservatis; 2°/ commutandi vota et 3°/ dispensandi super irregularitate.

1° *Absolutio a censuris et casibus reservatis:* videlicet « ab excommunicationis, suspensionis aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine (4) quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicæ, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicæ *speciali licet modo* reservatis, necnon ab omnibus peccatis et excessibus etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicæ reservatis ».

Nota a/ *excipi* ab hac amplissima facultate *crimen absolutionis complicis* necnon *falsæ denuntiationis*, quod utrumque reservatur specialissimo modo per Const.

---

(1) Cf. *Coll. Brug.*, T. VI, p. 203-204.

(2) Cf. *Ibid.*, p. 204 sqq. — Unde verba *hac vice* in textu usurpata non significant *semel* tantum posse uti illis facultatibus pœnitentem, uti facile poterat intelligi et nonnulli de facto intellexerunt, v. g. *Le Canoniste Contemporain*, 1904, p. 135, coll. p. 435-436; Rev^mus Episc. Gandavensis in litteris 15 Junii 1904, ad IV; item Namurcensis, in litteris 20 Aprilis 1904, ad III.

(3) Cf. *Ibid.*, p. 208-209.

(4) Cf. *Ibid.*, T. III, p. 627.

Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ* (1), cui, ut ait Pontifex, non intendit derogare.

b/ *limitari* potestatem confessarii quoad illos qui « a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint ». Nimirum non possunt hujusmodi absolvi, *nisi intra prædictum tempus satisfecerint,* id est, intra tempus jubilæi, *et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint* (2).

c/ *Cautelas* quasdam esse servandas : np. injungi debent *pœnitentia salutaris* (3) et *alia de jure injungenda*: notatim, si de *hæresi* agatur, antea abjurari et retractari debent errores (4).

2° *Facultas commutandi vota.*

Confessarius jubilaris potest « in alia pia et salutaria opera *commutare* » (non dispensare aut commutare-dispensando) (5), « *vota quæcumque* etiam jurata et Sedi Apostolicæ reservata ».

Excipiuntur vota « castitatis, relligionis et obligationis, quæ a tertio acceptata fuerit » (6).

3° *Facultas dispensandi super irregularitate*: np. super *sola* irregularitate, contracta ob *violationem censurarum*, et quidem *occulta* (7). Valet tamen dispensatio « ad exercitium eorumdem ordinum et ad superiorum assequutionem ».

Potest confessarius dispensare cum pœnitentibus « *in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus* »;

---

(1) Cf. Lahousse, *Tract. de Sacram. Pœnitentiæ*, Brugis 1894, p. 364 sqq. (coll. *Collat. Brug* , T. IV, p. 77 sqq.) et p. 393.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 273 sqq.

(3) Cf. *Ibid.*, p. 276.

(4) Cf. *Ibid.*, p. 276 sqq., coll. T. IV, p. 142.

(5) Cf. suprà, p. 541 et T. VI, p. 327.

(6) Cf. omnino *Collat. Brug.*, T. VI, p. 328 sqq.

(7) Cf. *Ibid.*, p. 324-325, coll. T. V, p. 415 sqq.

eadem facultate uti potest cum clericis, qui sunt in minoribus ordinibus constituti (Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 50) (1).

Nota. Quoad *formulas* a confessariis jubilæi pro opportunitate usurpandas, vide folium annexum fasciculo Aug.-Sept. *Collat. Brug.*, T. VI (1901).

H. M.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Octobre.

Le 2 Octobre, premier dimanche du mois, les conseils de fabrique se réuniront en séance ordinaire, conformément à l'article 10 du décret de 1809.

Le conseil pourvoira préalablement au remplacement éventuel des membres décédés ou sortis par suite de démission, de changement de domicile ou autre cause (a. 6 de l'arr. roy. du 4 Mars 1849); puis délibérera sur les divers objets qui lui seront soumis.

Nous rappelons encore l'obligation grave qu'ont les marguilliers et spécialement le trésorier en vertu de l'art. 41 du décret précité, de visiter au commencement de l'automne et avec des gens de l'art, les églises, presbytères et autres bâtiments affectés au service du culte et de veiller à ce que les réparations soient bien et promptement faites.

Les intéressés reliront avec beaucoup de profit les instructions techniques et judicieuses consignées dans les *Collationes Brugenses*, T. I, p. 130-135; T. II, p. 92; T. IV, p. 482-483.

(1) Cf. *Ibid.*, p. 325, nota 1.

Ex Sacra Congregatione Indicis

DECRETUM

Feria VI. die 3 Junii 1904.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravæ doctrinæ, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica præpositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 3 Junii 1904, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quæ sequuntur opera:

CIRO ALVI, *S. Francesco d'Assisi*. Romanzo. Milano-Palermo-Napoli 1903.

ALBERT HOUTIN, *L'Américanisme*. Paris 1904.

ANTON VOGRINEC, *Nostra maxima culpa? Die bedrängte Lage der katholischen Kirche, deren Ursachen und Vorschläge zur Besserung*. Wien und Leipzig 1904.

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis prædicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub pœnis in Indice librorum vetitorum indictis.

CAROLUS DENIS et MICHAEL GEORGEL Decreto S. Congregationis, edito die 4 Decembris 1903 (1), quo eorum quidam libri notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subjecerunt.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPÆ X per me infrascriptum Secretarium relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari præcepit. In quorum fidem etc.

Datum Romæ die 3 Junii 1904.

ANDREAS CARD. STEINHUBER, PRÆFECTUS.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. THOMAS ESSER, Ord. Præd.
a Secretis.

Die 6 Junii 1904 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

---

(1) Cfr. *Coll. Brug.*, T. IX, p. 130-131.

Libri dijudicantur.

Les Litanies du Sacré Cœur de Jésus, *Commentaire dogmatique* par LE CHANOINE LE ROY, *Président du Grand Séminaire de Liége*. — Liége, H. Dessain, 1904. In 8°, IV-539 pp. Pr. 5 fr.; pour les membres du clergé qui adresseront leur commande à l'auteur : franco 4.00 fr.

Eximii Auctoris in hoc libro conficiendo finis fuit docere magis fideles de iis quæ ad SS. Cor Jesu colendum spectant, ideoque fidem reddere vividiorem ac magis actuosam et operosam secundum intentionem ipsius Christi divitias Cordis sui revelantis. Ad hunc scopum conscripsit cl. A. *commentarium dogmaticum* in Litanias SS. Cordis Jesu : quo in commentario et singularum invocationum exponat verum sensum, necnon et demonstret illas jure meritoque dici de SS. Corde Jesu (p. IV).

Hanc pertractandam materiam esse aptam ad finem intentum consequendum jam in *Introductione* ostenditur in qua et exhibetur origo (p. 1) Litaniarum quæ ad cultum, tum privatum, tum publicum, fuerunt approbatæ a Sacra Rituum Congregatione, die 2 Aprilis 1899 (1), et exponitur has Litanias orationem constituere summi momenti, cujus recta intelligentia ac devotus frequensque usus efficaces erunt ad exequendum perfectiori modo specialem illum ergo SS. Cor Jesu cultum ad quem tantopere nos exhortatur Ecclesia (p. 7).

Ad indolem porro operis quod attinet, monet nos cl. A. se commentarium scripsisse præcipue *dogmaticum* ut scilicet fuse explicaretur ampla hæc theologiæ doctrina quæ compendiose continetur in Litaniis : ex hac tamen expositione confirmabitur et perfectior evadet ipsa cultus exercitatio (p. 11).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* T. IV, p. 363.

Nonnulli primo forsitan aspectu tituli mirati erunt quod Litaniæ SS. Cordis Jesu materiam præbeant libri tantæ molis scribendi: sed legentibus patebit non digressum esse Auctorem extra viam quam sibi percurrendam proposuerat et quam supra indicavimus. Singulas autem Litaniæ invocationes perscrutatus est cl. A. et ingenii acumine donatus ac aptitudine ad formales rerum rationes perspiciendas ac distinguendas, ampla in philosophia ac theologia ornatus doctrina detexit veritatem quæ revera in Litaniis continetur.

Ordo quæ inter varias invocationes viget sic exponitur: « Les *sept* premières invocations concernent ce que nous appelons *l'objet matériel* du culte du Sacré Cœur, qui n'est autre que tout l'ensemble signifié par les mots *Cœur de Jésus*... Les *quatre* suivantes concernent *l'objet formel* du culte spécial du Sacré Cœur, c'est-à-dire la charité de Jésus et les autres vertus de sa nature humaine. Puis *cinq* autres parlent du culte qu'il faut rendre au Sacré Cœur à cause de ses excellences. L'autre moitié des Litanies, qui commence à la dix-septième invocation, énumère les raisons du culte spécial du Sacré Cœur, tirées des bienfaits dont nous sommes redevables à ce divin Cœur (p. 25). »

In sequentibus capitulis singulæ invocationes examini subjiciuntur: de singulis accurate determinatur *significatio*, præsertim expositione illorum S. Scripturæ locorum e quibus invocationes desumuntur; deinde *demonstratur* perfectionem expressam revera pertinere non solum ad ipsam Christi personam sed etiam speciali quadam ratione ad Cor Ipsius: hæc autem demonstratio conficitur imprimis consideratione ipsius naturæ perfectionum, quæ attribuuntur, et relationum quas habent ad ipsam Redemptionem; deinde narratione, ab Evangelio desumpta, sermonum et operum Jesu.

In hoc uberrimo commentario inveniet lector clare et accurate expositas plerasque quæstiones quæ in tractatu de Verbo Incarnato solent proponi, quasdam

etiam quæ in aliis theologiæ partibus sedem propriam habent (1); intimam præsertim et profundam hauriet cognitionem de Jesu Christo: de Ejus dignitate, de affectibus et virtutibus Ejus Cordis, de ratione cogitandi ac operandi Ipsius, uno verbo, de Christi psychologia: cujus Cor pulchritudine, bonitate et amore constituitur *rex et centrum omnium cordium*, uti perbelle exponitur c. XVI et seq.

Utinam egregium illud opus legatur ab omnibus ad quorum utilitatem fuit conscriptum, nempe ab illis qui capaces sunt profundioris acquirendæ cognitionis de persona Redemptoris et de Ejus opere: maxime autem ab illis, nominatim sacerdotibus, quibus munus incumbit alios docendi veritates credendas et virtutes excolendas.

J. V. D. M.

---

1. Liceat in lectorum utilitatem aliquid animadvertere circa unam alteramve sententiam: minis absolute, ut videtur, asserit A. p. 45: *non culte inférieur au culte de latrie ne peut être offert à Jésus*: etenim, absolute loquendo, potest Christo deferri *honor dulias* et consequenter *culte de dulie*: cf. *Collat. Brug.* T. V, p. 533.

Licet *effectus* scientiæ et potentiæ Dei sint diversi in variis creaturis tamen secundum hoc Deus non *variis modis præsens* est creaturis: præterea quando dicitur Deum omnibus rebus adesse per potentiam, præsentiam et essentiam sermo fit de Dei præsentia secundum ordinem *naturalem*, non vero *supernaturalem*: ideoque minus apta videtur hæc locutio: « Par conséquent, par sa science et par sa puissance, Dieu est d'une manière différente avec les justes et avec les pécheurs » (p. 92).

Cum multis et eximiis theologis admittit A. per unionem ipsam hypostaticam *substantialiter sanctificari* humanam Christi naturam: p. 1[illegible] hæc sententia non videtur admittenda: cf. *Coll. Brug.* T. V, p. 299.

Præter illa paucissima, in opere quod dijudicamus, egregia praesus est doctrinæ theologicæ expositio.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 481).

CAPUT III.

A vocatione Abrahæ ad mortem Josuë seu ad constitutionem populi Dei.

ARTICULUS I.

Consideratio generalis.

415. Jam tempora quæ relative ad antiquas gentes Ægypti, Chaldeæ, alias, præhistorica dicuntur transivimus: incipiunt enim inde a dispersione filiorum Noë et certe ab Abraham indubia quædam istarum gentium monumenta atque vestigia, recentiori tempore detecta, tum historiæ biblicæ testimonium adjicere, tum eorumdem populorum gentilium fata hinc inde illustrare.

Historiam biblicam, ut jam diximus, tamquam notam ponimus, neque enim fieri potest ut eam enarremus librosque sacros integros interpretemur; sed hoc præstabimus ut præprimis, pro scopo nostro, ex factis historiæ sacræ generatim cognitis demonstremus omnem actionem divinæ Providentiæ contendere in præparandum adventum Salvatoris, et, hac quidem præsenti de qua agimus periodo, modo principaliter positivo per constitutionem populi Dei; utque præterea, ad eruditionem atque ædificationem, ut ajunt, lectoris, addamus in notis hinc quidem quæ ex monumentis profanis eruuntur testimonia quædam veritatis historiæ biblicæ, inde vero nonnulla quæ a criticis rationalistis de eadem historia proferuntur.

416. Itaque, paucis annis post dispersionem filiorum Noë, omnem fere terram invaserat idololatria, et cultus veri Dei ac fides in promissum Redemptorem inter homines brevi delendi prævidebantur. Quod quidem Deus permittere neque absolute poterat, cum potius delendum esset genus humanum quam ut a Deo plane alienum fieret, neque præsertim id poterat attentis providentiæ suæ œconomia et ordine redemptionis a se statuto.

Igitur Deus vocavit Abram, ut ex eo suscitaret sibi populum, qui tum conscius esset se esse populum Dei ex quo nasciturus erat Salvator, tum etiam qua talis cognosceretur a cæteris gentibus essetque in signum tum cultus veri Dei tum Salvatoris exspectandi. Hæc duplex nota, nempe quod sit populus peculiaris Dei a cæteris segregatus et quod sit cæteris gentibus in signum, ubique apparet cum in universa providentia Dei circa populum istum, tum speciatim in legislatione et constitutione ejusdem. Ideo, ab una parte segregavit Deus Abram (1) a cæteris gentibus, imo a propria cognatione et patria sua, cum eo pactum iniit eique promissa pluries renovavit; ab altera parte, ab initio eum nobilem reddidit inter orientales, deducens eum in Ægyptum, ubi egit cum ipso Pharaone, ubi et postea per plura sæcula morabuntur ejus posteri, ab Ægyptiis tamen omni modo distincti; eum quoque divitiis et potentia auxit, ut notat sacer textus et probant quæ leguntur de ejus victoria e regibus reportata, adeoque sicut Pharaoni notus, ita postea nobilis fuit inter reges Chanaan, et devicit reges Chaldæos et Elamitas (2);

---

(1) Notat Maspero, *Hist. anc. des peuples de l'Orient classique*, T. II, *Les premières mêlées des peuples*, p. 65, note 1 : « Les noms de Sarah et d'Abraham, ou plutôt la forme première Abram, ont été retrouvés, le dernier sous la forme Abouràmou, dans les contrats du vieil empire Chaldéen » (Halévy, *Recherches Bibliques*, p. 270; Sayce, *the higher Criticism and the Verdict of the Monuments*, p. 159).

(2) Ab initio Assyriologi cap. XIV *Gen.* ut historicum habuerunt,

quam quidem post victoriam ei occurrit Melchisedech, rex Salem et sacerdos Dei altissimi, de quo postea sermo recurret (1).

Similiter videmus in posteris Abraham eamdem duplicem notam: hinc enim Deus constituit Abraham patrem plurimarum gentium ex uxoribus secundariis seu concubinis, Agar, Cethura, nempe Ismaëlitarum, Madianitarum, etc. ita ut ubique nobilis fieret; inde vero ex conjuge Sara sterili et vetula dat filium unicum repromissionis, hæredem, in quo implenda sunt promissa seu e quo oriundus Messias, ita ut Isaac et ejus posteri, a cæteris segregati, omnibus appareant ut hæredes promissionum et populus electus.

417. Porro Deus, familiariter usus Abraham, dum fidem ejus probavit promissaque renovavit, mysteria divina insinuavit et revelavit futura, simulque jam omnes eventus direxit ut tum personæ, tum actus earum atque fata figuræ essent futuri Messiæ, ita quidem ut ab hoc tempore et deinceps magis magisque verificetur verbum S. Pauli: « Hæc autem omnia in figura contingebant illis (*1. Cor.*, X, 10); » et merito dicat S. Augustinus: « Horum Sanctorum qui præces-

---

etiam rationalistæ; theologi contra, id est pseudotheologi rationalistæ omnem fidem historicam eidem capiti negarunt. Sed ecce Pinches detexit documentum chaldaïcum, in quo nominantur Chodorlahomor seu Koutourlagamar et duo socii belli; ita ut Maspero, *loc. cit.*, p. 47-48, note 1, fateatur: « L'historiographe hébreu a reproduit un fait authentique de la chronique de Babylone »; sed addendum putat: « auquel *on* (sic) avait juxtaposé un des événements de la vie d'Abraham. » En critica sublimior!

(1) Visne, lector, scire quomodo critica sublimior mortificare valet et vivificare, audi Maspero, *loc. cit.*, p. 66, note 6: « La plupart des critiques admettent que Melkisédeh n'a rien d'historique, mais que le passage où il figure est une sorte de parabole, destinée à montrer le chef de la race payant déjà la dîme du butin au prêtre du dieu suprême, qui résidait à Jérusalem...; les renseignements que les tablettes d'El-Amarna nous ont fournis sur la vieille cité de Jérusalem. . et sur le caractère de ses premiers rois ont déterminé Sayce à rendre à ce personnage son caractère historique... »

serunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita et conjugia et filii et facta prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia (1). » Sufficiat notasse, tamquam præcipuas figuras, Melchisedech, qui et nomine ac persona sua, et sacrificio, et actis suis Christum et sacrificium incruentum novæ Legis miro modo præfigurat, de quo omnino lege epist. *ad Hebr.*, VII; et Isaac (2), cujus oblatio cruentum sacrificium crucis graphice et cum omnibus quasi adjunctis delineat; atque postea Joseph (3), ac porro ipsum populum Israël

---

(1) *De cat. rudibus*, c. XIX, n. 33.

(2) « Son histoire, *ait Maspero*, *l. c.*, p. 68, ressemble étonnamment à celle de son père : comme Abraham, il vécut près d'Hébron, où il voyagea avec son clan autour des puits de Béershéba ; comme lui il fut menacé de perdre sa femme, comme lui il noua des relations avec Abîmélek de Gerar. » Et hæc sufficiunt logicæ rationalisticæ ut addat idem auctor in nota : « La plupart des critiques n'y voient (dans l'histoire d'Isaac) qu'un décalque assez terne de celle d'Abraham ; d'autres pensent au contraire que les épisodes primitifs sont ceux dont Isaac est le héros, et que les parties analogues des deux vies ont été empruntées à la biographie du fils, pour augmenter d'autant la biographie du père. » Igitur, quia filius habitat, aut iter facit in iisdem locis, in quibus pater, quia cum eadem persona, ac pater, res quasdam componit, quia idem quoddam ipsi accidit ac patri, cum in similibus adjunctis versatur, jam negandum erit esse filium a patre diversum, vel unum eumdemque esse affirmandum erit aut patrem aut filium cui ista contingunt ! O sublimis critica !

(3) Notat Maspero, *op. cit., T. II, p. 70, note 2 :* « L'histoire de Joseph est contenue dans *Gen.*, XXXVII, XXXIX-XLVI. Le commentaire de Vigouroux, *la Bible et les découvertes modernes*, T. II, p. 1-227, et celui de Brugsch, *Steinschrift und Bibelwort*, p. 77-103, donnent l'idée de la façon dont les exégètes et les égyptologues orthodoxes peuvent en défendre l'authenticité, par l'usage des monuments anciens. » Ipsi Maspero operæ pretium non esse videtur eamdem authenticitatem critice prosequi, nulla forte arridente fortuna demoliendi. Satis habet historiam Joseph brevi recitare in textu suo, quam ita concludit, insinuans eam nequaquam fidem mereri : « Un fait subsiste, parmi tant de récits gracieux et terribles où les Hébreux de l'époque royale (unde habet narrationes has ad hanc epocham pertinere ?) se plaisaient à retracer l'histoire de leurs ancêtres lointains : les Bnè-Israel abandonnèrent la Syrie méridionale et descendirent aux rives du Nil. » Deinde describit regionem unde migrarunt, et varia quibus occupabantur opera, ac si ipse inter eos fuisset moratus. Ex quibus omnibus et bonam fidem et logicam criticæ rationalisticæ

integrum, qui deinceps et sua captivitate Ægyptiaca et liberatione multis modis Salvatorem atque salutem ab ipso perfectam præfigurarunt.

418. Consortium et protectionem divinam, sicut Abraham, ita et posteri ejus experti sunt, Isaac et Jacob, quem Deus, licet non primogenitum, primogenituræ privilegio donari voluit, quem elegit, probavit, et tamquam progenitorem Messiæ, fœdere ac promissione renovatis, numerosæ prolis patrem constituit, duodecim nempe filiorum, qui fuerunt duodecim tribuum populi Dei permansurarum patriarchæ.

Deinde, mirabili providentia induxit Joseph in Ægyptum et postea Jacob cum omni progenie sua, ita ut rursum duplex, de qua supra, nota verificaretur, nempe populus Israël esset tum populus Dei peculiaris, hujusque suæ propriæ indolis ac missionis conscius, tum cæteris qua talis signum esset gentibus, genti nempe hic potentissimæ Ægyptiorum. Ideo eos habitare fecit inter Ægyptios, lingua tamen, religione (1), imo ipsa terra, terra quippe Gessen ipsis a Pharaone assignata (2), ab Ægyptiis omnino separatos, et tandem efficacissime ab illis, videlicet persecutione, divisos.

Pariter, eadem Dei providentia elucet liberatione ex Ægypto, ditatis hebræis et spoliatis ac punitis eorum persecutoribus, tum in Ægypto, tum in mari rubro; magis magisque elucet deductione, nutritione, protectione in itinere per desertum; legislatione, fœdere, punitione in deserto; traductione in terram promissam,

---

perspicere licet, quam tantopere quidam extollunt, cum potius, quoties de re agitur quæ catholicæ veritatis interest, unicuique viro cordato nauseam det.

(1) Animadvertit ipse Maspero, *op. cit.*, *T. II, p. 72*, filios Israël prospere egisse ac multiplicatos esse in Ægypto, minime, sicut multos alios extraneos, ab Ægyptiis absorptos fuisse, fidelesque mansisse tum Deo patrio, tum patriis moribus.

(2) Ita idem Maspero, *l. c., p. 70:* « Pharaon les installa dans le canton de Goshen, aussi loin que possible des centres de population indigène, " car les Égyptiens ont en horreur les pâtres de brebis. " »

in vicinio populorum e progenie Lot (Ammon et Moab) et Esaü (Edom), deletis gentibus reliquis trans et cito Jordanem, sicco vestigio trajectum, in terram, inquam, promissam, quæ et situ suo hinc quidem vere erat umbilicus terræ, inde vero a vicinis sat efficaciter divisa limitibus naturalibus, montibus, mari, deserto; ita ut, quemadmodum diximus, per hæc omnia populus Israël inter cæteros populos exaltaretur ac nobilis fieret simulque a gentibus omnibus segregaretur; contra omnes, licet numero minor, divinitus protegendus, si pactum cum Deo initum servaret, secus vero, puniendus, attamen non penitus delendus in finem adventus promissi Redemptoris.

419. Nemo a nobis exspectabit ut explicemus vel et enumeremus omnes figuras ac præsignificationes futuræ redemptionis per Christum, quæ inde a Moyse et liberatione populi Israël ex captivitate Ægyptiaca tot ac tantæ sole clariores occurrunt, cum et personæ et res et tota legislatio mosaïca ipsaque historia populi electi tum Christum, tum evangelicam ejus legem hujusque mysteria atque opus universum redemptionis præsagiendo delineant. Opus esset pluribus voluminibus, si rem prosequi vellemus, quam cæterum passim Patres et Doctores scholastici abunde explicarunt. Citemus tantum quasdam præcipuas figuras: Moysen, figuram Christi legislatoris ac Salvatoris; agnum paschalem, manna, figuras Eucharistiæ; serpentem in deserto, figuram crucis salvificæ; tabernaculum fœderis et multiplicia sacrificia, cultum atque utrumque sacrificium novæ legis cruentum ac incruentum prænuntiantia; et sic porro usque ad Josue, novam Christi figuram, introducentis suum populum redemptum in terram promissam cœli. Ita ut merito mira nobis videatur, divinitus tamen jure immissa, obcæcatio rationalistarum cæterorumque impiorum hominum, qui, cum eas omnes figuras obvias habeant tam illustres easque explicatas legant in libris novi testamenti, ne particulam quidem

veritatis percipiunt, nequaquam moventur. Scilicet *a priori*, ut dicitur, excludunt quidquid supernaturalis Dei providentiæ est, et pro libitu atque arbitrio suo, posthabito bibliorum testimonio ac ipsius logicæ ac sanæ critices regulis spretis, sibi confingunt historias et, quales ipsi imaginantur ac volunt, enarrant. Quod adeo verum est, ut haud infrequenter scire valeamus a priori, antequam eorum elucubrationes legerimus, quid et quomodo fere sint proposituri circa authenticitatem et interpretationem alicujus narrationis biblicæ.

Hæc exempli gratia applica scriptis rationalistarum passim de exodo filiorum Israël, horumque commoratione in deserto. Ubi et hoc diligenter animadvertendum addimus, quam mirum sit eorum animos non moveri vel sola promulgatione decalogi, quam legunt *Exod.*, XX (coll. *Deut.*, V). Abstrahant enim, quantum voluerint, a miraculoso modo promulgationis et a miraculo quovis, sed nonne ipsa lex decalogi, qualis promulgata legitur a Moyse, supra omnem modum miranda videtur, cum circum circa apud omnes gentes, etiam potentissimas maximeque pro tempore in rebus humanis excultas, tam densæ erant in re religiosa et morali tenebræ, tanta morum corruptio? Quis, nisi interventu divino, explicabit hanc fuisse tum legem Israël (1), ut unum verum Deum coleret, omniaque præcepta naturæ tam perfecte nosceret? Vel ipsa formula præceptorum talis est, ut ne doctissimi quidem hodie similem excogitare valuissent (2).

420. Finem imponimus considerationi generali hujus tertiæ mundi epochæ, ubi de constitutione populi Dei actum est, exscribendo textum aliquem illius, quem

---

(1) Quod autem contra omnem rationem et veritatem historiæ contendunt, legem non fuisse a Moyse promulgatam, sed tempore exilii a falsariis exaratam, non everteret nostrum argumentum, cum vel hoc posteriori tempore origo mere humana tantæ legis intelligi nequeat.

(2) Vid. quæ hac de re scripsimus in *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale*, 3e Partie, chap. I, *Aperçu général du Décalogue*.

adeo celebrant, rationalistæ Maspero, ubi agit de decem tribubus populi Israël et de Jahveh, quem modo vidimus unum verum Deum ab Israël adorandum. Eo fine hæc referimus, vel et blasphema, ut videat oculis suis lector quid sit rationalistis historia necnon critica sublimior, quæ sit ipsis logica ac ratio, a qua nomen sibi usurpant, quæ tandem bona fides.

« Les clans et les tribus se désignaient par un nom d'un aïeul duquel ils croyaient procéder, et qui était souvent un dieu pour qui ils avaient conçu une dévotion spéciale : tel se réclamait de la Fortune et il s'appelait Gad comme cette divinité, d'autres préféraient pour emblême ou pour fétiche une hyène ou un chien, et ils se disaient Siméon ou Kaleb. Gad, Siméon, Kaleb étaient chacun l'ancêtre des familles qui se rangeaient sous leur invocation, et les héros éponymes de toutes les tribus passaient pour avoir été des frères issus d'un seul homme, placés sous la protection d'un seul dieu. Le dieu était ce Jahvéh avec lequel Abraham avait conclu jadis un pacte solennel. »

Sistamus paululum, ut petamus unde deducenda ista nomina phantasia sua Masperum illuserit, cum origo nominum filiorum Jacob singulorum expresse indicetur *Gen.* XXIX, 32 — XXX, 24? Ita legitur de Gad (felicitas, fortuna): « Qua (Zelpha) post conceptum edente filium, dixit: Feliciter, et idcirco vocavit nomen ejus, Gad (XXX, 10-11). » De Simeon (exauditio) vide XXIX, 33. Nisi quod monotheismum apud patriarchas convellere oportet, et polytheismum ac fetichismum adstruere! Et tamen, quod satis mirum videbitur, mox infra unum deum, Jahvéh scilicet, Israëlitica traditione agnitum fuisse asseritur. Quid autem heic inter capita tribuum nomen Kaleb efficiat, nescimus. Denique traditam fuisse apud filios Israël suam ex uno, nempe Jacob, originem non inficiatur Maspero, quo vero jure hanc traditionem erroneam insinuat? Sed pergamus, sit autem venia blasphemiæ :

« Le dieu était ce Jahvéh..... Il siégait sur le Sinaï ou sur

le Séîr, et il s'y révélait dans l'orage (1) : le tonnerre était sa voix, le vent son souffle, la lumière son vêtement. Irrité, il bouchait les canaux du ciel et il empêchait la pluie de s'écouler ; apaisé, il lui ordonnait de tomber à point et de féconder les champs (2). Comme les divinités de la Syrie, il avait le caractère jaloux, farouche, sans pitié de qui l'offensait : on l'adorait en des statues de bête, peut-être d'homme (3), que son esprit animait afin de prédire l'avenir, et on lui érigeait aux endroits qu'il honorait de ses apparitions des dolmens, des menhirs, des stèles semblables à celles des divinités cananéennes. »

421. En quomodo rationalistæ Deum blasphemant, cum vel ex ipso nomine Jahveh, Moysi revelato ac Judæis præ reverentia ineffabili, eoque tam profunde ipsam essentiam divinam ceu entis a se, infinite perfecti, referente, hùnc revera solum verum Deum ab Israël adoratum et ipsi agnoscere deberent, admirantes altitudinem significationis hujus revelati nominis, quod vix ab ingenio humano umquam, nedum a populo rudi, inveniri potuisse haud immerito dixeris. Sed obcœcatum est insipiens cor eorum, et manifestationes quasdam divinæ majestatis atque omnipotentiæ, poëtice ut in canticis solet descriptas, ad materiales sensus, mala quidem fide, detorquent ; monumenta religionis ac gratitudinis in Deum a patriarchis erecta cum monumentis idololatricis de industria confundunt ; et, quod extra omnes rationis fines egreditur, Deum in statuis bellua-

---

(1) Cf. la description saisissante des phénomènes qui accompagnaient la manifestation de Jahvéh, pour l'époque des Juges, dans le *Cantique de Deborah* (*Juges*, *V*, 4-5), et, pour celle des rois, dans l'épisode d'Élie (*I* [seu in bibl. lat. *III*] *Rois*, XIX, 11-13). — Hæ notæ sunt Masperi.

(2) Cf. pour ce caractère de Jahvéh l'épisode I *Rois*, XVII-XVIII, où est décrite la lutte pour la pluie entre Élie et les prophètes de Baal.

(3) La plus fréquente des formes bestiales est celle du taureau ou du veau (*Exode*, XXXII, *Deutéronome* IX, 21, et pour l'époque royale *I Rois*, XII, 28-30, *II Rois*, X, 29) ; on signale aussi celle du serpent (*II Rois*, XVIII, 4). On ne sait quelle figure avait l'image de Mikah l'Éphraïmite (*Juges*, XVIII, 14, 17-18, 20, 30-31), ni celle de Jéroubbaal, à Ophrah (*Juges*, VIII, 27), ni celle d'Akhimélek, à Nob (*I Samuel*, XXI, 9).

rum, vel forte (*peut-être*, quam jucundum!) hominis adoratum fuisse a filiis Israël asserere haud verentur, contra expressum decalogi præceptum, sæpius inculcatum, contra veritatem totius tandem historiæ, qua constat populum Israël aliquando quidem ad idola deflexisse, numquam vero, ne tum quidem cum idola adoraret, falsos deos cum vero Deo Jahveh vel ad momentum confudisse. Quomodo audent, qui aliquam scientiæ aut et probitatis famam ambiunt hujusmodi notam scribere: « La plus fréquente des formes bestiales est celle du taureau » etc.?

Quis enim, cum legerit Israël ad radices montis Sinaï adorasse vitulum aureum, aut Jeroboam duos vitulos aureos conflasse eosque adorandos proposuisse populo, intelligat voluisse populum in his Deum seu Jahveh adorare, quam cæterum ipsa narratio idololatriam severissime damnat, tamquam criminosum a Deo Jahveh recessum? Serpentem autem æneum Moysis quare confregit Ezechias, nisi quod eum idololatrice colens populus a Domino Deo recederet?

Pariter sculptile ac conflatile Michæ in eodem textu *Jud.*, XVIII, sæpius idola vocantur, nec quidquam demonstrat imaginem fuisse Jahveh. Et etiamsi demus de imagine Jahveh agi, eo quod dicatur mater Michæ argentum suum vovisse Javeh, ut de manu ejus suscipiat filius ejus et faciat sculptile, (intelligendo: statuam Jahve), an ex casu singulari Michæ, et turmæ alicujus Danitarum, qui idolum Michæ subreptum retinuerunt, concludere licet Jahveh ab Israëlitis generatim et quasi legaliter sub forma bestiali vel humana cultum aliquando fuisse? Quod vero confecit Jerobaal seu Gedeon fuit ephod, ad quod contulerunt Israëlitæ non tantum aurum sed et ornamenta et monilia et vestem purpuream, quibus reges Madian uti soliti erant. Videtur Gedeon sacrilega usurpatione sacerdotii peccasse, conficiendo ephod ad consulendum Dominum, cui altare erexerat (*Jud.*, VI, 24), potius quam idololatria stricte dicta,

ad quam forte postea hac occasione declinaverunt. Similiter de Achimelech sacerdote nihil aliud legitur *I Samuel.*, XXI, 9, nisi quod panem sanctum dederit David, et gladium Goliath, qui erat « involutus pallio post ephod. »

422. Quæ si ita sint, inquiet forte lector: Revera diceres hujusmodi criticos non exspectare lectores, præter suos congeneres, nisi qui aut legere non possint vel non curent locos a se citatos, aut qui sint valde hebetes.

Ad quod tamen reponimus hanc malefidam agendi rationem nonnullorum quidem esse, hujus improbitatis consciorum, nempe vulgarizantium, ut ajunt, scripta rationalistica, eamdem vero hic Masperi esse et quos sequi solet, præprimis Wellhausen, Kuenen, etc., affirmare nolumus, objective tamen et hos scientiæ et probitatis jura in hujusmodi citationibus violare negari nequit; quarum quidem excusationis et accusationis ratio in promptu est. Videlicet, rationalistæ ex præconcepta opinione evolutionismi, quam religioni et historiæ applicant, a priori statuunt primitus religionem Israël, sicut cæterarum gentium, fuisse putum fetichismum ac polytheismum, a quo lenta evolutione ad cultum devenerunt Jahveh, tamquam dei cujusdam principis inter reliquos et, ut ajunt, nationalis, atque tandem ad conceptum Jahveh tamquam Dei universorum seu ad monotheismum deventum esse. Ex hujusmodi præconcepta opinione gratuita ac falsa fit, ut totam historiam Israël omnemque seriem ac ordinem librorum veteris testamenti susdeque vertant: legem, nominatim decalogi, falso Moysi tributam et tempore exilii primo exaratam, quæcumque ad legem alludunt ante hoc tempus opus esse falsarii. Unde sequitur systema, valde quidem ipsis commodum, ast confictum ac plane falsum, scilicet e priscis libris ante captivitatem babylonicam retinendum esse quidquid polytheismum sapit, vel Jahveh, deum nationalem, cætera esse interpollata, recentius addita;

libros vero integros ubi monotheismus proponitur et lex mosaïca explicatur, ut est Deuteronomium, post captivitatem esse relegandos. Inde facile intelligis quoque systema citandi, quod adeo, ratione systematis circa ætatem et authenticitatem ac integritatem librorum, agniti ab ipsis tamquam veri, jam subjectivæ fraudi non est tribuendum, sed objective tamen, ratione systematis ejusdem tamquam falso ac improbe suppositi, nec scientiæ nec probitati consonat.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris

—

I

Ostende quomodo cum Gal. V, 2, 6 et VI, 16 non pugnent Act. XVI, 3 et Gal. II, 3.

II

Quænam est peccati originalis *pœna* quæ luenda est post hanc vitam terrestrem.

III

Quoad possessorem malæ fidei quæritur

a/ An restituere debeat pro rebus quæ apud ipsum perierunt, sed et apud dominum periissent

IV

b/ Quid restituere debeat, quando res varium habuit valorem tempore detentionis

V

Quinam restituere debent, quando res aliena, donatione aut venditione, per manus plurium malæ fidei possessorum transivit?

VI

Les fabriques d'églises sont-elles des administrations subordonnées à la commune et à la province?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Juxta Act. Ap. XV, 1 ss. et Ep. ad Gal. II, 1 ss. expone qua de causa conventus Apostolorum ac Seniorum Hierosolymis celebratus fuerit.*

R. **Prænota** I. Quæstio de modo quo Ecclesia christiana pedetentim sese a Judaismo separaverit in quo exorta est, magni apparet momenti tùm in se spectata, tùm propter acerrimas ac diuturnas controversias sæculo præterito agitatas (1). Scholæ Tubinganæ commenta evanuerunt quidem, verùm hujus systematis placita quædam in hodiernorum rationalistarum scriptis haud raro occurrunt (2). Quare opportunum duximus integram illam quæstionem pluribus responsis summarie complecti. Præcipua autem illius quæstionis momenta sunt sic dictum concilium hierosolymitanum, controversia antiochena S. Petrum inter et S. Paulum, necnon difficultates haud exiguæ quas S. Paulus in Galatia obviam habuit.

Prænota II. Quæstioni solvendæ præsupponimus *Act. Ap.* XV, 1 ss. et *Gal.* II, 1 ss. eumdem eventum referre sc. iter S. Pauli in Jerusalem et conventus Apostolorum ac seniorum hac occasione in urbe celebratos. Hoc autem sic breviter ostendere juvat:

---

(1) Cfr. Zeller (trad. Ritter) *Christian Baur et l'école de Tubingue*, Paris, 1883 — Holtzmann, *Lehrbuch der hist.-krit. Einl. in das N. T.* Freiburg i. B 1892, p. 164 ss., 390 ss.

(2) Cfr. J. Thomas, *Mélanges d'hist. et de littérat. religieuse*, Paris, 1899, p. 9. Egregium hoc opus in tota hac quæstione sæpe laudabimus. *(L'Église et les Judaisants à l'âge apostolique.)* — Cfr. etiam period. *Revue des Quest. historiques*, Paris 1889).

Utrobique tùm *Act.* XV, tùm *Gal.* II narratur iter aliquod (1) S. Pauli hierosolymitanum, comitantibus Barnaba et christianis Antiochenis; relatio S. Pauli circa prædicationem suam Evangelii gentilibus factam (*Act.* XV, 4, 12 — *Gal.* II, 2); disceptatio non minima cum Judaisantibus observationem Legis mosaicæ, in specie circumcisionem ethnico-christianis imponere volentibus (*Act.* XV, 1, 5 — *Gal.* II, 3, 4); idem exitus: libertas nempe a legalibus concessa ethnico-christianis (*Act.* XV, 28. — *Gal.* II, 5, 9 s.); Apostoli Petrus, Jacobus et Joannes quasi mediatores inter Judaisantes ac Paulum et Barnabam ethnicorum apostolos ac defensores.

Præterea, uti liquet ex *Gal.* S. Paulus, tempore quo hanc epistolam conscripsit, jamdiu inter gentiles Evangelium cum Barnaba prædicaverat — atque Barnabam adhuc socium habebat (*Gal.* II, 1). Atqui prius e duobus his factis primum Pauli iter apostolicum præsupponit, alterum autem secundum iter apostoli præcedit: etenim initio secundi itineris Paulus et Barnabas ab invicem discesserunt (*Act.* XV, 39). Ergo iter et eventus *Gal.* II, 1 ss. identificanda sunt cum iis quæ narrantur *Act.* XV, 1-35: hæc enim inter primum et secundum iter Pauli apostolicum locum habuerunt (2).

Nullæ inter utramque narrationem contradictiones apparent, uti scholæ Tubinganæ sectatores contenderunt, sed differentiæ tantum deprehenduntur quæ ex diverso scopo naturali modo consequuntur. Paulus enim in sua ad Galatas defensione, sancta quadam

---

(1) Est autem *tertium* iter hierosolymitanum S. Pauli, cui non obstat Gal. II, 1, *iterùm* (πάλιν) *ascendi;* nam *iterùm* non semper significat *secunda vice.* Cfr. Sieffert, *Der Brief an die Galater,* Göttingen, 1899, p. 79.

(2) Alia argumenta videsis apud Thomas, *o. c.*, p. 26 ss. — Cfr. etiam Duchesne, *Les origines chrétiennes,* Paris (autogr.) p. 28 ss. — Sieffert, *o. c.*, p. 78 ss. — Knabenbauer, *Comment. in Act. Apost.* Parisiis 1899, p. 253 ss. — Headlam apud Hastings, *Dictionary of the Bible,* Edinburgh, V. I (1903) p. 31. — Wendt, *Die Apostelgeschichte,* Göttingen 1899, p. 256 ss. — Zahn, *Einleitung in das N. T.* Leipzig, 1900, T. I, p. 139 ss., T. II, p. 413.

indignatione contra Judaisantes commotus, ea tangit quæ ad seipsum potissimùm spectant suumque apostolatum ac prædicandi modum apostolis fuisse probatum demonstrant. Lucas, jam pacatis animis et sopita controversia, eosdem eventus tanquam rerum scriptor ità narrat ut, quæ publice gesta sint et ad omnes pertineant, maxime respiciat (1).

Quibus pro præs. et seqq. respp. prænotatis.

III. **Respondetur.** *Conventus Apostolorum ac Seniorum tum privatus, tum publicus* (2) *Hierosolymis celebratus fuit ad solvendam quæstionem Antiochiæ præsertim a Judaisantibus contra Paulum ac Barnabam agitatam: utrum ethnico-christianis observatio Legis Mosaicæ et in specie circumcisio esset imponenda necne.* — Quomodo illa quæstio exorta sit; cujusnam in Ecclesiæ primordiis fuerit momenti, et quomodo ad auctoritatem Apostolorum ac Seniorum delata fuerit, ex sequente synopsi historica patebit.

Christus Legem Mosaicam ritualem ac cæremonialem non explicite abrogaverat; ejus præscriptiones cum discipulis suis observaverat, rejectis utique rigidis ac præposteris traditionibus Pharisæorum. Ex altera tamen parte Christus nunquam docuit hanc Legem perpetuo servaturam esse vim suam obligandi. Sed prædicatione sua et ipsa agendi ratione verum præceptis legalibus valorem assignavit religiosum. Licet evangelium solis Judæis prædicaverit, aperte tamen declaraverat gentes omnes ad salutem messianicam esse vocatas, munusque evangelium gentibus prædicandi Apostolis commiserat. Ex illis omnibus simul sumptis quæstio de

---

(1) Cfr. Duchesne, *o. c.*, p. 29; — Thomas, *o. c.*, p. 39, 49 — Knabenbauer, *o. c.*, p. 253 s. — Semeria, *Rev. Bibl.* 1895, p. 333 — Sieffert, *o. c.*, p. 92 — Harnack, (*Die Mission und Ausbreitung des christenthums in den drei ersten Jahr. hunderten*, Leipzig 1902, p. 34 s.) immerito duas relationes ut incompossibiles habet. Cfr. *1m Prænot.*

(2) Uti infrà patebit, plures conventus tum privati (*Gal.* II, 2 — *Act.* XV, 4) tùm publici (*Gal.* II, 2 — *Act.* XV, 4-5, 7) locum habuerunt. Cfr. Knabenbauer, *o. c.*, p. 258 ss. — Thomas, *o. c.*, p. 54 ss. — Wendt, *o. c.*, p. 259 s.

valore et obligatione Legis mosaicæ sub nova æconomia, faventibus utique adjunctis et juvante revelatione apostolica, solvenda erat.

Ecclesia hierosolymitana, ducibus Apostolis et Senioribus, sat diu judaico more vixit: neo-conversi judæi cæremoniis cultùs judaici intererant (1), licet conventus rituales proprios habuerint (2). Etenim Legis mosaicæ observationem tanquam ad salutem insufficientem ducebant: requirebatur nempe fides in Christum Jesum, pœnitentia ac baptismus christianus ut quis in via ad salutem poneretur (3). -- Ad vitam socialem et publicam quod attinet, Judæo-christiani eximia caritate conjuncti, vitam agebant communem (4); non tamen mores judaicos circa cibos et circa vitæ commercium vitandum cum Gentilibus (in specie quoad convivia et matrimonia) dereliquerunt, ità ut Lex mosaica in Ecclesiæ primordiis Judæo-christianos et gentiles tanquam medius paries (*Eph.* II, 14) separaverit. Crescebat quidem in dies apud Judæos numerus proselytarum: verùm perfectus Judæus ille tantum reputabatur qui circumcisione populo Dei insertus erat. Perfecta vitæ quotidianæ societas in victu et habitatione et omni commercio cum solis circumcisis iniri poterat: omnis incircumcisus Judæo quemadmodum Judæo-christiano reputabatur immundus; sicut Judæus ita Judæo-christianus probabat dictum S. Petri ad Cornelium ejusque familiam: « vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam » (*Act.* X, 28). — Sciebant quidem Apostoli Gentiles aliquando ad fidem christianam esse vocandos (5); de facto tamen initio solis Judæis evangelium prædicabant, ità ut tempus ac modum vocationis Gentilium ignorare viderentur.

---

(1) *Act.* II, 46; III, 1 ss.; XXI, 24, 26; XXIV, 17-18 etc.
(2) *Act.* II, 43, 46 s.; IV, 23 ss. etc.
(3) *Act.* II, 37 ss.
(4) *Act.* II, 44 ss., IV, 32 ss.
(5) *Mt.* XXVIII, 19; *Act.* II, 39; III, 25.

Divina revelatione ostensum est Petro dirutum esse *medium parietem* maceriæ quæ olim a Deo exstructa erat Israel inter et gentes, omne discrimen in vitæ consuetudine inter Judæum et alienigenam esse sublatum, et jam tempus adesse ut Deus etiam gentibus pœnitentiam daret ad vitam (*Act.* X-XI). Ex tota narratione conversionis Cornelii apparet quam scrupulose S. Petrus et Judæo-christiani hierosolymitani (1) distinctioni ciborum et commercio cum gentilibus vitando inhærerent. Divina manifestatione persuasus Petrus tunc primùm incircumcisos baptismo in Ecclesia suscepit, compertum habens « *quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* » (*Act.* X, 34 s.).

Factum illud Petri Judæo-christianis hierosolymitanis ansam præbuit disceptationi adversum illum « *quia introierat ad viros præputium habentes, et cum illis manducaverat* ». Petrus facti sui rationem reddidit ostendens quomodo Deus ipsi manifeste significasset omne discrimen Judæos inter et Gentiles fuisse sublatum, eosque ad fidem divinitus fuisse vocatos. Ecclesia hierosolymitana acquievit et de Gentilium vocatione gratias Deo habuit.

Apostoli (2) et major fidelium hierosolymitanorum numerus (3) deinceps de gentilium in Ecclesia cooptatione nullum dubium moverunt. Verùm christiani quidam, paternis traditionibus et nationali vanitati plus æquo inhærentes, postquam de conversione Cornelii ejusque familiæ Deo gratias egerunt, significationem facti restringentes, illud tanquam solitariam quamdam exceptionem traduxerunt et conversioni Gentilium mox graves difficultates crearunt.

Exemplo S. Petri probabiliter permoti quidam Judæo-christiani Cyprii et Cyrenæi hellenistæ evangelium

(1) *Act.* X, 45; XI, 2 ss.
(2) Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 17.
(3) *Ibid.*, p. 18 s.

prædicarunt Gentilibus in civitate Antiochena; metropoli Syriæ, « *multusque numerus credentium conversus est ad Dominum* » (*Act.* XI, 21). Cùm fama de felici successu illorum prædicatorum perlata esset ad ecclesiam hierosolymitanam, missus est Barnabas, et ipse Cyprius genere ac hellenista, Antiochiam: quæ missio satis ostendit *ecclesiam* hierosolymitanam illas conversiones minime reprobasse. Barnabas autem, ut vidit gratiam Dei etiam in Gentiles effusam, illico recordatus est Sauli amici (*Act.* IX, 27) quem in Gentium apostolatum a Deo destinatum sciebat (*Act.* IX, 15), eumque laboris sui apostolici socium habuit, ità ut « turba multa » Gentilium religionem novam amplexa sit, et discipuli Christi Antiocheni, a Judæis penitus distincti, *Christiani* sint cognominati (*Act.* XI, 26).

Persecutio ab Herode Agrippa mota (*Act.* XII) necnon eleemosynæ ab ethnico-christianis Antiochiæ ad Judæo-christianos Judææ missæ (*Act.* XI, 29 s.) querelas Judaisantium ad tempus continuisse videntur. Verùm quando post aliquos annos, incrementa Ecclesiæ Antiochiæ et felicem successum a Paulo et Barnaba in primo itinere apostolico reportatum (*Act.* XIV, 26) audierunt isti Judaisantes, graviter commoti sunt. Christiana enim religio quam amplexi erant quamque sublimiorem Mosaicæ religionis formam existimabant, subitò nova penitus apparebat, nec Judæis tantum sed etiam indiscriminatim Gentilibus destinata, ità ut cultus legalis e medio tollendus atque celebre nomen Israel multitudine ethnico-fidelium exstinguendum videretur. Gentiles ab ingressu Ecclesiæ arcere cum jam non possent, præcepta tamen Legis Mosaicæ, quantum res sineret, sarta tecta conservare conabantur.

Unde Judaisantes quidam, minime ab Apostolis deputati (1), proprio marte « descenderunt de Judæa »

(1) Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 49. — Vide *Act.* XV, 1 et præsertim 24 « Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, *quibus non mandavimus* ». Cfr. *Gal.* II, 4.

Antiochiam et « docebant fratres: *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari* » (*Act.* XV, 1). Facile intelligitur quantam perturbationem (*Act.* XV, 2, 24) falsi illi fratres (*Gal.* II, 4) in Ecclesia Antiochena concitaverint (1), quantumque Paulum (2) et Barnabam commoverint, qui absque circumcisione tot Gentiles Ecclesiæ inseruerant. Ethnico-christianis a Lege mosaica perfecte liberis (*Gal.* II, 4), numquid istud jugum erat imponendum (*Act.* XV, 10)? Numquid ethnici deinceps prius per circumcisionem populo judaico erant inserendi antequam ad baptismum admitti possint? Optime noverunt Paulus et Barnabas Judaisantium postulationem et plane falsam esse et propagationi Evangelii insuper maxime nocivam. Omni igitur conatu isti errori restiterunt ità ut Antiochiæ seditio seu contentio « non minima » exorta sit.

Cùm autem Judaisantes ad auctoritatem provocarent Apostolorum (3) qui, licet ipsis minime faverent (*Act.* XV, 24), Hierosolymis tamen inter Judæos ipsi legalia observabant, nulla alia relinquebatur via ad disceptationem finiendam, nisi ut quæstio hæc ipsis Apostolis proponeretur. Revelatio autem divina hoc consilium Paulo suggessit vel illud saltem confirmavit (4). Christianos porro Antiochenos, quibus absque dubio mentem suam revelaverat, idipsum desiderasse ut a molestis illis monitoribus eorumque postulationibus liberarentur

---

(1) *Act.* XV, 2 « *Facta..... seditione non minima* gr. στάσεως καὶ ζητήσεως. Στάσις notat contentionem in communitate; ζητήσις potius designat disceptationem Pauli et Barnabæ adversus Judaisantes. Cfr. Wendt, *Die Apostelgeschichte*, Göttingen, 1899, p. 257.

(2) Contendebant enim, implicite saltem, Paulum « *in vacuum currere aut cucurisse* » *Gal.* II, 2.

(3) Quod apparet ex modo quo S. Paulus loquitur ad *Gal.* II, 2, 6, 9. Cfr. Knabenbauer, *Comment. in Act. Ap.* Parisiis, 1899, p. 256.

(4) Revelatio illa divina non impedit quominus ex humano consilio ascenderit, sc. missus ab Antiochenis. Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 51. — Wendt, *o. c.*, p. 258.

et ad silentium illi adigerentur auctoritate illa quam pro se protenderent, profecto reipsa consequitur (1). Quare « *statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex illis* (2) *ad apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quæstione* » (*Act.* XV, 2).

Quum autem legati Antiocheni *venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia et ab Apostolis et Senioribus*, ipsisque exposuerunt quanta auxilio Dei fecissent inter Gentes (*Act.* XV, 4). Verùm Paulus non tantum publice proposuit evangelium quod prædicavit in Gentibus, sed præsertim « *seorsum* » i. e. privatim « iis qui videbantur aliquid esse » seu primariis Apostolis (*Gal.* II, 2).

Porro Judaisantes hierosolymitani, pharisæi conversi, idipsum objiciebant quod Antiochiæ ii qui ex Judæa ascenderant: « *quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi* » (*Act.* XV, 4). Difficultate illa seu postulatione facta in publico quodam cœtu, « convenerunt *Apostoli et Seniores videre de verbo hoc* » i. e. de hac quæstione (*Ibid.*). Jamvero, tùm privatim (*Gal.* II, 2), tùm publice (*Gal.* II, 3, 9 — *Act.* XV, 7-11; 13-21) Jacobus, Cephas et Joannes, apostoli primarii (*Gal.* II, 2, 6, 9) Paulum et Barnabam in apostolatu socios agnoverunt, qui inter Gentiles evangelium propagarent; præterea Paulo *nihil contulerunt* (οὐδὲν προσανέθεντο) i. e. nihil addiderunt, seu ejus modum prædicandi evangelium et suscipiendi Gentiles in Ecclesia absque circumcisione, plene approbarunt (3). — De quatuor autem præscriptionibus ethnico-christianis impositis v. quæst. mensis seq.

A. C.

---

(1) Cfr. Knabenbauer, *l. c.*

(2) Gr. ἄλλους ἐξ αὐτῶν = aliis ex illis sc. Antiochenis; *Gal.* II, 3, *Titus* nominatur.

(3) *Gal.* II, 6. Cfr Knabenbauer, *o. c.*, p. 259.

II

Q. *Quæritur utrum et quare ad explicandam rationem peccati originalis admittendum sit quoddam* pactum *initum a Deo cum Adamo.*

R. I. Negative.

II. Ut hujus responsi ratio reddatur requiritur imprimis ut magis determinetur status quæstionis seu sensus quo auctores quidam *pactum* statuerint.

Quidam imaginantur pactum *expressum* cum utriusque partis consensu, nempe Dei ac primi hominis, quatenus scilicet Adamo Deus proposuerit se daturum esse ipsi gratiam, illam autem ipsi conservaturum et posteris omnibus etiam concessurum si primus homo observaverit præceptum; sed e contrario se ablaturum esse gratiam ab Adamo et non concessurum esse posteris si trangressus fuerit primus homo præceptum: hoc autem acceptaverit Adam et *propter hunc consensum* Adami per ipsius peccatum nos omnes constituti fuerimus peccatores.

Alii auctores arbitrantur fuisse aliquod pactum *implicitum* seu *virtuale* tantum: sed illi obscure loquuntur. Si per hoc pactum implicitum nihil aliud intelligunt quam hanc rerum constitutionem qua Deus gratiam *humano generi* dedit et protoparenti, formaliter quatenus erat *principium humanæ naturæ*, verum quidem dicitur, sed talis rerum constitutio nequit recte vocari *pactum*. Si per pactum implicitum intelligunt illi auctores *decretum* Dei voluntates hominum includens in Adami voluntate, hoc decretum non recte vocatur pactum; cœteroquin illa sententia de inclusione vel alligatione voluntatum refutabitur in proxima nostra responsione.

Remanet igitur ut nunc rejiciamus sententiam statuentem *pactum expressum* (1).

---

(1) Cf. De Rubeis, *De peccato originali*, Wirceburgei, 1857, c. LXI;

Hoc porro pactum 1/ gratis fingitur, 2/ non est necessarium ut explicetur dogma de peccato originali, 3/ non tollit difficultatem mysterii.

1. *Gratis fingitur:* nam in S. Scriptura vel in fidei Ecclesiæ testimoniis non fit sermo talis pacti.

Sententiæ, quam impugnamus, fautores recurrunt ad hæc verba: « Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit » Gen. XVII, 14. Ast non agitur hoc in loco de pacto inito Deum inter et Adamum, sed de pacto Dei cum Abrahamo vel de lege circumcisionis. Nec illis auctoribus favet interpretatio quam de citatis verbis tradidit S. Augustinus (1).

Afferunt etiam in illius opinionis præsidium hæc verba Pauli: « Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors perstransiit in quo omnes peccaverunt » Rom. V, 12. Quomodo, inquiunt, omnes in Adamo peccaverint homines, nisi voluntas Adami, qui peccavit, *morali* quadam *æstimatione*, ob initum *pactum*, posterorum omnes voluntates contineret? Respondetur: ad hoc ut peccato Adami omnes homines constituantur peccatores non requiritur pactum initum a Deo cum Adamo: quod infra sub n. 2 fusius exponemus.

Judicium hîc afferemus quod de illa sententia, quam expendimus, fert præstantissimus theologus Soto: « Nec cogitandum est, ut quidam effingunt, pactum intercessisse inter Deum et Adam, ut, cum primum peccasset, natura expoliaretur illis cœlestibus donis: et ita nomine totius generis humani consensum præbuisse: atque hac causa totum genus, eo peccante, peccasse. Est enim fabula. Nam quid Deus opus habebat Adæ consensu?... » (2).

Palmieri, *De Deo creante,* Romæ, 1878, p. 584; Jungmann, *De Deo Creatore,* n. 359, in nota; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ Compendium,* Œniponte, 1896, T. II, p. 319; Pesch, *Tractatus dogmatici,* T. III, n. 274; De Baets. *De peccato originali,* Lovanii, 1896, p. 96.

(1) Cf. De Rubeis, *op. s.* p. 365.

(2) *De Natura et Gratia,* L. I, c. 10.

2. *Tale pactum non est necessarium ut explicetur dogma de peccato originali.* Etenim dogma peccati originalis in hoc est quod ex Adami peccato omnes homines ex illo naturali generatione nati (nisi de speciali privilegio constet) constituuntur ipsa origine vere peccatores seu proprie dicto peccato infecti. Porro peccatum importat privationem debitæ conversionis ad Deum seu aversionem, saltem privativam, a Deo, illamque voluntariam: jamvero, ut ex præcedentibus nostris responsis constat, illæ duæ notæ essentiales peccati inveniuntur, consequenter ad Adami peccatum, in omnibus hominibus, vi *illius nexus ontologici naturæ elevatæ per gratiam* (1): nihil aliud requiri videtur.

Certe non requiritur Adami *consensus* ad hoc ut possit Deus in Adamo elevare naturam humanam et consequenter primo homini ita gratiam conferre ut ille generatione propagaret naturam humanam elevatam per gratiam, aut gratia privatam si ipse Adamus hanc peccando amitteret; nec requiritur ut Deus *specialiter obliget* Adamum ad conservandam *pro posteris* gratiam; sed etiamsi supponeretur hæc specialis obligatio non requireretur *consensus* Adami ut illa vigeret.

Tandem hic sedulo est notandum quod si admittatur tantum illud pactum, et non attendatur ad illum nexum unitatis naturæ, jam *non potest reddi* ratio de peccato originali. Nam ex eo quod Deus Adamo dixerit: solummodo si servaveris præceptum, tuis posteris dabo gratiam, et acceptaverit Adamus hanc propositionem, nullo modo efficitur absentiam gratiæ esse vere *privationem* (2) in posteris, et proinde in tali gratiæ carentia non inveniretur *privatio conversionis* ad Deum: quod tamen omnino requiritur ad essentiam peccati.

3. *Tale pactum non tollit difficultatem mysterii.* Etenim, ut videtur, quidam ideo propugnant tale pactum

---

(1) Cf. suprà p. 434.
(2) Cf. suprà p. 432.

ut melius explicent rationem *voluntarii* in peccato originali, quatenus ex hoc ipso quod Adamus nomine totius generis humani *consenserit* propositioni divinæ et postea nomine totius generis humani pactum illud peccando *violaverit*, nos etiam participes essemus hujus consensus, hujusque violationis : sed hoc inepte dicitur : nam consensus Adami esset libera *ipsius* actio sicut est etiam ipsius peccatum : actionis hujus non possunt personaliter esse participes alii homines nec potest talis actio imputari ipsis. Non est igitur inquirenda aliqua explicatio qua exhiberentur homines ut *cooperantes* ipsi actioni liberæ Adami. Præ oculis habeamus semper hæc S. Thomæ verba : « Nec dicuntur homines peccasse in eo (sc. Adamo) *quasi aliquem actum exercentes*, sed in quantum pertinent ad naturam ipsius quæ per peccatum corrupta est » (1).

Adnotatio. Licet minime requiratur Adami *consensus* ordinationi divinæ, inquiri tamen ulterius potest utrum saltem *cognitio* œconomiæ divinitus institutæ requiratur in Adamo, nominatim utrum debuerit Adamus cognoscere bona supernaturalia fuisse in ipso collata toti humanæ naturæ, consequenter esse transmittenda per generationem et etiam amittenda pro omnibus si ipse Adamus ea peccando amisisset. Talem cognitionem habuisse Adamum tenent theologi ea ducti ratione quod a Deo fuit ornatus præclarissima scientia. Utrum autem hæc notitia fuerit necessaria Adamo ut ipsius peccato omnes homines constituantur peccatores non consentiunt theologi. Arbitramur respondendum esse *negative:* nam posita œconomia qua in Adamo elevata fuit genus humanum totum, eo ipso quod ab Adamo, principio ontologico humanæ naturæ propagandæ, amittitur gratia, hac privatur et tota natura ; quod ad rationem *voluntarii* attinet, hæc, ut videtur, nequit ab Adami cognitione dependere : non enim requiri videtur ut

(1) *Summa cont. Gentes*, L. IV, c. 52.

Adamus voluerit *explicite* nomine totius generis humani transgredi præceptum Dei: si hoc non est necessarium, nec etiam requiritur cognitio de hac formalitate secundam quam Adami peccatum infecturum esset totum humanum genus.

J. V. D. M.

III

Q. *Quandonam licita est manifesta recuperatio aut compensatio?*

R. **Prænota**

1° Non hic agimus de compensatione illa *legali*, vi cujus extinguuntur debita sibi contraria, quando simultanee existunt, C. c. a. 1289 sqq.; neque de compensatione *late dicta*, ubi tantummodo quis rem suam licet alteri debitam retinet, donec alter debitum solvat.

Quæstio nunc movetur de compensatione *extralegali stricte dicta,* qua quis accipit rem alienam suo credito æquivalentem invito domino.

2° Quidam auctores non distinguunt inter recuperationem et compensationem, et indiscriminatim idem de utroque statuunt (1); attamen stricte loquendo compensatio locum non habet nisi quando invaditur *res aliena,* si autem quis *rem suam* adhuc in individuo apud alium exstantem surripit, non est proprie compensatio sed recuperatio. Utrumque vero fieri potest manifeste vel occulte, prout conscius vel inscius est detentor.

Respondetur

1° *De manifesta recuperatione.*

a/ Manifeste recuperare rem suam licitum est sive quando injustus raptor in ipso delicto deprehenditur, sive quando res nondum in tuto est reposita: illud enim pertinet ad justam sui rerumque suarum defensionem. Et re quidem vera sicut unusquisque vitam suam

(1) Cfr. Billuart, *De Jure et Just.*, dissert, XI, art. 7.

tueri potest erga injustum aggressorem vim vi repellendo, ita etiam injuriæ reus non est qui *vim moderatam* (1) adhibet in tuendis bonis fortunæ, modo semper quædam proportio servetur inter malum proprium avertendum et damnum quod proximo infertur (2).

b/ Quando res jam in tuto fuit reposita, manifesta recuperatio etiam licita dici debet, si res non est commode alia via recuperabilis, et non adest damnum, bono obtinendo improportionatum, sive rei possessori, sive tertio præcavendum.

Ratio est quia in casu non habetur violatio justitiæ commutativæ, ut patet; nec justitiæ legalis, quum causa ut supponitur vel nullo modo vel nonnisi cum magnis incommodis ad judicem deferri possit; nec demum caritatis.

Attamen in praxi plerumque patebit recursus ad judicem. Cfr. C. c. aa. 2279, 2280; lex 30 Apr. 1848, aa. 21, 22.

2° *De manifesta compensatione.*

Habetur manifesta compensatio, ut supra notavimus, quando quis *de re aliena*, conscio sed invito domino accipit quod credito suo solvendo æquivalet.

Hæc autem compensatio, sicut et compensatio occulta, quamvis ratione sui illicita, ob circumstantias seu per accidens licita fieri potest, quando scilicet tales adsunt rerum conditiones, quæ omnes ipsius malitiæ species abstergant. Quoad illas conditiones, quia similes requisitis ad licitam compensationem occultam, cfr. resp. 5um.

A. D. C.

---

(1) Semper servari debet moderamen inculpatæ tutelæ, de quo supra pag. 450.

(2) Quandoque uti licet defensione occisiva ad tuenda bona fortunæ, nempe quando agitur de re magni momenti; practice tamen raro sola bonorum fortunæ defensio requirit occisionem aggressoris.

Hoc ex jure naturæ, cui non contradicit lex nostra pœnalis (a. 412 sqq.), quæ rem practice spectando non admittit occisionem aggressoris fortunæ, nisi simul appareat esse aggressor personæ.

IV

Q. *Quare occulta compensatio dicitur actus male sonans, sive per se illicitus?*

R. Actionem *male sonantem* vocamus illam, quæ ratione sui est illicita utpote secundum se et absolute considerata quasdam importans inordinationes, sed per accidens licita fieri potest propter circumstantias, quæ illas malitias abstergunt (1). Qua de re optime S. Thomas: « Actionum humanarum, inquit, multiplex est differentia. Quædam enim sunt quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, et alia hujusmodi, quæ nullo modo bene fieri possunt... Quædam vero sunt actiones quæ de se indifferentes sunt ad bonum vel malum, ut levare festucam de terra, vel aliquid hujusmodi... Sunt vero quædam actiones quæ absolute consideratæ, deformitatem vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur; sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum sed virtuosum. (2) » In numero vero harum actionum contendimus esse compensationem occultam. Etenim

1° *Occulta compensatio est ratione sui illicita.*

a/ Ex se enim adversatur *justitiæ commutativæ.* Nam, quum agatur de re aliena arripienda, et absque domini consensu, ut constat ex ipsa notione compensationis occultæ, et absque auctoritate legis, quæ illum consensum suppleat, alterius *jus in re* lædit, etiamsi ex delicto illius vel contractu *jus in personam* possessoris habeat *ad rem* rei occupatæ æquivalentem obtinendam (3).

---

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *Étude de Théol. Mor. sur la Coopération*, (Bruges, 1883) p. 23.

(2) *Quodlib.* IX, art. 15, in corp. art.

(3) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, T. II, p. 187.

b/ Adversatur *justitiæ legali;* recto enim juris ordini repugnat ut quis ipse sibi causæ suæ judicium usurpet, sed hujusmodi negotia judicibus relinquantur oportet.

c/ Denique adversari potest *caritati;* nam est res periculo plena, ut quis judex sit in propria causa, cum facile sibi favere possit cum detrimento tum debitoris ob remanentem conscientiam debiti, et periculum iteratæ solutionis; tum tertii, cui posset imputari occulta surreptio.

2° *Propter circumstantias seu per accidens compensatio occulta fit licita*, quando scilicet eæ adsunt rerum conditiones, propter quas debitor, etsi invitus, tamen irrationabiliter invitus esse jure merito præsumitur, atque præterea ordo juris vel nullatenus vel haud commode servari potest, et denique præceptum caritatis cum tanto creditoris gravamine non obligat. (1)

Ita auctores unanimi consensu docent contra singularem unius aut alterius doctoris sententiam, quæ illud illicitum reputat. (2)

A. D. C.

V

Q. *Expone conditiones requisitas ad licitam compensationem occultam.*

R. Variæ conditiones ab auctoribus allatæ, ad quatuor sequentes reduci posse videntur.

1° *Debitum sit strictum*, ortum scilicet *ex jure rigoroso*, quod creditor *actu* habet ad rem sibi usurpandam. Unde nunquam licet sibi arripere quæ ex caritate, benevolentia, gratitudine, convenientia tantum debentur; unde etiam generatim damnatur compensatio de debito futuro. Juxta quosdam excipitur casus, quo creditor occasionem compensationis justæ prævideat in

(1) Cfr. Marres, *De Justitia*, T. I, p. 348.
(2) Cfr. De Lugo, *De Just. et Jure*, Disp. XVI, nº 86.

posterum defuturam, et hoc videtur satis probabile, modo adsint duæ conditiones quas exigit Lugo (1): prior est, ut si quod damnum debitori inde sequatur, ratio hujus damni habeatur, cum non debeat quis puniri de delicto futuro seu antequam sit in mora solvendi; altera est, ut revera sit morale periculum debitorem non esse soluturum, « quia defensio jure naturæ non solum est licita, quando jam actu me offendis, sed etiam quando paratus es ad offendendum, et aliter non possum evadere nisi præveniendo » (2).

2° *Debitum sit certum,* certitudine morali. Unde, ut communis habet sententia, non potest quis, cujus jus est tantum probabile, occulta uti compensatione, tum quia in dubio melior est conditio possidentis; tum quia cogi nequit ad solvendum ille cui fas est rem retinere, virtualiter autem cogitur, si res ipsi clam eripitur; tum denique quia secus propter periculum hallucinationis multi re sua privarentur (3).

Nonnulli tamen satis probabiliter tenent sufficere ut quis jus suum probare possit rationibus tam validis ut ex prudenti æstimatione coram judice contrariam probabilitatem vincere debeant (4).

3° *Debitum non sit aliter commode recuperabile.* Etenim bonum commune et rectus juris ordo exigit, ut quantum fieri potest sine gravi detrimento et incommodo, creditor via ordinaria rem suam recuperare studeat, scilicet petendo a debitore solutionem debiti, vel urgendo jus suum coram judice. Pro creditore grave incommodum adesse censetur, quando rem sibi debitam nonnisi cum periculo gravis inimicitiæ, aut cum majoribus, quam fert rei pretium, impensis acquirere posset.

---

(1) *De Just. et Jure,* disp. XVI. n° 93.

(2) Hæc doctrina tamen, ut patet, est periculi plena propter abusus, quibus ansam præbet. Quare de ea maxime valent quæ supra, p. 325, cum Van Egeren notavimus de occulta compensatione famulorum.

(3) Cfr. A. Vermeersch, *Quæstiones de Just.*, (Brugis, 1901) p. 326 sqq.; Noldin, *De Præceptis Dei et Eccl.*, (Œniponte 1904) p. 421.

(4) Cfr. De Lugo, *l. c.*, n° 99.

Hujus conditionis defectu læditur, ut patet, justitia legalis, non tamen graviter; lædi etiam potest justitia commutativa, quando debitor est rationabiliter invitus quoad hunc modum extinguendi debitum, sed iterum leviter nisi per accidens ipsi debitori grave damnum causetur (1).

4° *Debitum accipiatur præcavendo damnum debitoris aut aliorum.* Dicitur

a/ *damnum debitoris.*

Regula generalis est quod fieri debet compensatio quantum fieri potest ad æqualitatem et cum minimo debitoris detrimento. Unde præcaveatur

damnum quod sequatur ex ablatione rei: fiat igitur compensatio, quantum licet, in re ejusdem speciei ac ea quæ debebatur, et nihil sumatur ultra debitum;

damnum temporale ex periculo iteratæ solutionis; hoc vero damnum non magni faciendum, nam de facili caveri potest ut vel iterum non solvatur, vel restituatur occulte et per partes, si ad vitandas suspiciones necesse sit, quod secundo solutum fuerit;

damnum spirituale, quatenus debitor manet cum conscientia debiti. Nullum certe est timendum spirituale damnum debitoris, si forte is, puta debitoris hæres, non est conscius debiti. At aliud dicendum si debitor novit debitum quod non vult solvere, sed etiam in hoc casu haud ægre prævalebit damnum creditoris: nam præterquam quod nec providetur conscientiæ debitoris, si omittatur compensatio, moneri interdum poterit debitor de cessatione obligationis ex. gr. ficta condonatione.

b/ *damnum aliorum.*

Creditor sedulo vitet læsionem tum juris alieni, tum caritatis. Unde non arripiat rem debitori commodatam, aut apud ipsum depositam, nec sese compenset re, quam debitor alteri locavit, commodavit, dedit pignori aut deposito; unde pariter præcaveatur damnum v. gr.

---

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Just.*, T. II, p. 190.

famulorum, qui in suspicionem venire possent et furti accusari cum periculo infamiæ et dimissionis. Si autem proprium creditoris damnum prævaleat damno alieno, creditor potest intuitu effectus boni malum illum effectum permittere, suoque jure uti. (1)

A. D. C.

VI

Q. Appréciez au point de vue canonique, la loi de contrôle du 4 Mars 1870.

Préliminaires. La loi de contrôle du 4 Mars 1870 (2) est une loi transactionnelle (3). Écartant toute question de principes quant à la nature du temporel ecclésiastique et au caractère des établissements chargés de l'administration de ces biens, elle a uniquement pour but d'organiser d'une manière plus efficace le contrôle de la gestion et de la comptabilité des fabriques par le pouvoir civil. Le fondement de cette loi se trouve dans les charges éventuelles qu'ont à supporter les finances de la commune, de la province et de l'état en cas d'insuffisance constatée des ressources fabriciennes (4).

R. Au point de vue canonique cette loi est de nulle valeur parceque, émanée exclusivement du pouvoir civil, elle n'a jamais reçu l'approbation positive de l'autorité ecclésiastique dont au reste elle méconnait manifestement les droits.

---

(1) Cfr. Baller. Palmieri, *Opus. Theol. Mor.*, (Prati, 1890) T. III, p. 250; Marres, *De Justitia*, T. I, p. 349; Bucceroni, *Theol. Mor.*, (Romæ, 1898) I, p. 558

(2) Pour l'historique de cette loi voir *le Mémorial*, 1871, 2e sér., T. VII, col. 125 ss.; Moulart, *des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 49 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, 7a edit., T. II, n. 963, p. 261 ss.

(3) Voir le rapport fait à la Chambre au nom de la section centrale par M. Van Humbeeck, *Chambre des représentants. Session 1869-1870. Doc. parlement.*, *nº 53, p. 101;* Rapport présenté au Sénat par M. d'Anethan, *Sénat. Sess. 1869-1870. Doc. parlement.*, *nº 25, p. 13.*

(4) D'Anethan, *rap. cité*, p. 13.

1° L'église ayant le droit d'exister, a le droit naturel et légitime d'acquérir et de posséder et conséquemment d'administrer son patrimoine en dehors du concours ou du contrôle de l'état (1); le droit de propriété étant le droit de jouir et de disposer de son bien de la manière la plus absolue (2). Il s'en suit que ce droit absolu de propriété et d'administration ne peut être l'objet des restrictions du pouvoir civil *sans le consentement exprès ou tacite de l'église.*

Cependant, eu égard à la législation spéciale en vigueur dans nos pays, l'état est gravement intéressé à la bonne administration des biens des fabriques, et l'équité semble demander qu'on lui permette de contrôler la comptabilité de ces établissements.

En effet une des mesures prises par Napoléon pour reconstituer la fortune ecclésiastique dilapidée par la révolution fut d'imposer au pouvoir civil l'obligation de suppléer à l'indigence constatée des fabriques. Cette charge contractée par l'état n'a nullement le caractère d'une libéralité, elle n'est q'une compensation commandée par la stricte équité pour la spoliation dont l'église a été la victime. Par là néanmoins, le pouvoir laïque, débiteur subsidiaire de l'église, a acquis un certain droit de discuter la nécessité de son concours et de surveiller la régie et l'emploi des biens des fabriques. Le bien fondé de ce contrôle lui a été reconnu par les évêques et par les plus distingués des parlementaires catholiques (3). Mais pour établir cette surveillance comme pour ajouter à son efficacité (4)

---

(1) Moulart, *L'Église et l'État*, 4e édit., Louvain, 1895, p. 554.

(2) *C. c.*, a. 544.

(3) Voir l'exposé des motifs de l'avant-projet sur le temporel des cultes. *Chambre des représentants. Session 1864-1865. Doc. parlem., p. 246*; Mgr de Montpellier, *Défense des droits de Dieu, de l'église catholique et de ses membres contre le projet de loi sur le temporel des cultes*, Liège, 1865, p. 208; Discussions de la loi du 4 Mars 1870 au Sénat et à la Chambre.

(4) Cette surveillance semblait suffisamment sauvegardée par plusieurs dispositions du décret de 1809, a. 4, 6, 93 etc. et s'il fallait y ajouter, on

l'état n'avait pas le droit d'agir seul. « En présence du droit et de l'intérêt de l'état *débiteur* de l'église, il y avait le droit et l'intérêt de l'église *propriétaire et créancière ;* il fallait les concilier équitablement et cela ne pouvait se faire qu'à l'amiable (1). » En d'autres mots il s'agit dans l'occurrence d'une *matière mixte* dont la réglementation aurait du se faire par un concordat. C'est ainsi que l'ont compris plusieurs états protestants de l'Allemagne.

2° La loi de 1870 nulle pour vice d'incompétence, doit être aussi condamnée comme injuste parce qu'elle méconnait le droit des évêques, administrateurs nés des biens ecclésiastiques sis en leur diocèse et tuteurs des fabriques, en attribuant au pouvoir civil une part prépondérante dans ce contrôle. Qu'il y ait lieu ou non à subsides, les budgets et comptes ressortissent à l'autorité civile et les évêques ne les connaissent plus que par l'intermédiaire de celle-ci : (2) De plus la loi établissant une distinction erronée (3) entre les dépenses relatives à la célébration du culte et les autres dépenses, soumet seulement les premières à l'approbation définitive de l'évêque ; le reste des budgets et comptes est approuvé par la députation permanente, indépendamment de l'approbation de l'évêque et après lui ; de sorte que cette administration pourrait

---

ne pouvait cependant modifier toute l'économie de cette loi et renverser les principes sur lesquels elle repose. Voir Moulart, *des fabriques d'églises*, p. 54-56 ; Lauwers, *Examen de l'avant-projet de révision du décret de 1809*, Bruxelles, 1863, p. 41-69. Il faut ajouter que les abus invoqués n'ont jamais été articulés.

(1) Moulart, *o. c.*, p. 54.

(2) Voir le discours prononcé par M. de la Faille au *Sénat. Session 1869-1870. Ann. parlem.* p. 99. MM. Pirmez, Solvyns et Vergauwen ont parlé dans le même sens *ibid.*, p. 101-102 ; voir aussi l'annexe au rapport cité de d'Anethan *l. c.*, p. 15.

(3) Cette distinction fondée sur une appréciation fausse de la nature du temporel ecclésiastique et du caractère des fabriques, se rattache directement aux théories gallicanes et libérales

même annihiler pour les parties qui lui sont soumises, l'effet de l'approbation épiscopale. « Ici, dit justement M. Thonissen, les évêques se voient dépouillés de l'une des prérogatives les plus importantes que leur accorde le droit ecclésiastique et que leur reconnait le décret du 30 décembre 1809, c'est-à-dire un acte émané de l'initiative de Napoléon I qui, comme je viens de le dire, n'avait guère l'habitude de sacrifier à l'église le droit et les prérogatives du pouvoir temporel : » (1)

Il est vrai qu'il ressort des discussions que l'application de cette loi ne doit point être tracassière. Il n'en reste pas moins vrai qu'elle constitue une arme dangereuse aux mains des administrations hostiles à l'église ; à preuve, les agissements actuels de la députation permanente du conseil provincial du Hainaut, qui dans l'approbation des budgets et comptes se montre d'un sectarisme aussi irrationnel que mesquin.

Cette loi prêterait encore a bien des critiques, au point de vue constitutionnel (2) comme au seul point de vue administratif (3). Aussi malgré le vote presque unanime des chambres — ce qu'expliquent les circonstances — elle fut accueillie sans enthousiasme par les organes les plus catholiques de l'époque (4).

---

(1) *Chambre des représentants. Sess. 1869-1870, Ann. parlem., p. 298.* Conséquemment M. Thonissen proposa une règlementation plus respectueuse des droits des évêques et dont voici les grandes lignes. Quand l'autorité civile n'intervient pas par voie de subsides, l'évêque seul approuve, si la fabrique réclame un subside il y a lieu à l'approbation simultanée de l'évêque et de la députation permanente. En cas de désaccord le roi statue.

(2) C'est pourquoi nous n'admettons que sous réserves ce que dit M. d'Anethan, dans son rapport au Sénat : « Organiser ce contrôle d'une manière sérieuse et légale, donner au pouvoir civil une part d'intervention légitime, en respectant le principe constitutionnel de la liberté des cultes, voilà le but de la loi. » Voir *Coll. Brug.*, T. IX, 1904, p. 384 ss.

(3) Brixhe, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e édit., Liège, 1874, v° Budget, p. 140, 146.

(4) Voir Le Bien Public du 26, 28 Février, 2 Mars 1870 ; en sens contraire, de Haulleville, *La loi sur le temporel des cultes.*, Revue générale,

Si donc la loi de 1870 comme le décret de 1809 est légitimement appliquée par la plupart des administrations fabriciennes, ce n'est que du jour où les évêques par esprit de conciliation et de prudence les ont *autorisées et obligées* à s'y soumettre (1).

A. D. M.

6e année, 1870, T. I, p. 110 ss.; du même, *Un dernier mot sur la loi sur le temporel des cultes*, ibid., p. 224-229.

(1) Voir pour notre diocèse la lettre significative de Mgr Faict aux conseillers de fabriques au sujet de l'application de la loi du 4 Mars 1870, *Coll. epistol. pastol.*, T. XI, p. 353; Decreta congreg. prosynod. anni 1870, nº 4, *ibid.*, p. 380; anni 1871, nº 9, *o. c.*, T. XII, p. 44.

Jurisprudence administrative

Conservation des tableaux placés dans les églises. — Subsides pour tabernacles en fer ou coffres-forts. — Acquisition d'un immeuble destiné à servir de presbytère.

—

I. Nous reproduisons une circulaire ministérielle contenant des renseignements très utiles pour la bonne conservation des tableaux placés dans les églises. Les administrations fabriciennes s'y conformeront en vue de remplir la charge qu'elles ont en vertu de leur mission générale (1) et en vertu des lois ecclésiastiques, (2) de veiller à l'entretien des objets d'art possédés par les églises. (3)

Bruxelles, le 7 août 1903.

Monsieur le Gouverneur,

J'ai l'honneur de vous prier de vouloir bien attirer l'attention toute spéciale des administrations fabriciennes sur la conservation des tableaux placés dans les églises et notamment sur celle des retables nouveaux dont l'exécution est subsidiée par l'État.

Les couleurs transparentes et sombres, telles que les laques, les bruns, les terres, les noirs, broyées à l'huile et qui servent à la peinture des retables, mettent des années à sécher et à durcir; encore leur faut-il, à cet effet, beaucoup de lumière et surtout d'air sec, constamment renouvelé.

---

(1) a. 1 et 37 du décret de 1809.

(2) *Stat. diœces.*, p. 50, 182.

(3) Voir une autre circulaire du 5 Avril 1898 concernant les mêmes objets. *Collat. Brug.*, T. IV, p. 483-484. Sur la portée de l'arr. roy. du 16 Août 1824 et des circulaires ministérielles qui en firent l'application : Moulart, *Des Fabriques d'églises*, 9e édit., p. 473 ss.; *Coll. Brug*, T. IV, p. 359-363; de Corswarem, *Fabriques d'églises*, Hasselt, 1904, p. 115, nº 111.

Or, nombre d'églises ne sont même pas ventilées; il y en a où pas un seul carreau des fenêtres n'est mobile; les volets des retables y demeurent perpétuellement fermés; à peine reçoivent-ils, aux grands jours de fête, un peu d'air et de lumière. De là, des moisissures que l'on remarque souvent sur les peintures récentes, même les mieux soignées. Ces moisissures s'attaquent d'abord aux laques, aux bruns, aux noirs, puis aux dorures; elles s'étendent, enfin, sur toute la peinture, l'assombrissent, la corrodent et l'anéantissent.

Les peintures murales souffrent aussi beaucoup du manque d'air.

On ne pourrait, Monsieur le Gouverneur, trop recommander aux conseils de fabrique de bien ventiler les églises; c'est le moyen le plus efficace d'assurer la conservation et de l'édifice et des objets dont il est orné.

Le Ministre de l'Agriculture.
Baron M. VAN DER BRUGGEN.

II. Par arr. roy. du 26 Juin 1904, de nombreux subsides de 100 francs ont été accordés à diverses fabriques d'églises, notamment à la fabrique de l'église des SS. Pierre et Paul à Elverdinghe, pour l'acquisition et le placement d'un coffre-fort ou d'un tabernacle en fer destiné à mettre les vases sacrés à l'abri des voleurs (1).

La *revue catholique de droit*, T. VI, 1903-1904, p. 334, émet à ce sujet, une remarque très pratique : « On peut sans grands frais, y est il dit, disposer ces coffres-forts de manière à former une caisse à trois clefs satisfaisant entièrement au vœu du décret (de 1809). A cet effet il est ménagé à l'intérieur un compartiment séparé portant deux serrures différentes, pour servir de caisse à la fabrique; une des clefs reste entre les mains du président et l'autre en celles du trésorier; le curé conserve la clef de la porte extérieure, ce qui lui permet de se

(1) *Moniteur*, 1904, p. 3335-3336; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, 7a ed., T. II, p. 403, n° 1097; *Stat. diœces.*, p. 53-54

servir quotidiennement du coffre, pour y mettre à l'abri les vases sacrés et autres objets précieux destinés au culte. »

III. Un arr. roy. en date du 19 avril 1904 autorise la fabrique de l'église du Bizet à Ploegsteert (Fl. Occid.) à acquérir au prix de 12.000 francs une maison avec jardin, sise à Ploegsteert, Section E, n° 11 q², contenant 3 ares, 80 centiares, cet immeuble étant destiné à servir de presbytère. (1)

Cet arrêté confirme le principe de la capacité d'une fabrique d'église pour acquérir un presbytère. (2)

A. D. M.

(1) *Moniteur*, 1904, p. 2047.

(2) Moulart, *o. c.*, p. 141-142; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. 351, n° 1065.

E Sacra Congregatione Rituum

CENETEN.

R. D. Victorinus Costa cui concredita est Parœcia loci « Vidor » nuncupati, intra fines Diœceseos Ceneten., de consensu sui R^mi^ Episcopi, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

I. In dicta Parœcia omnibus feriis sextis per annum non impeditis, de more celebratur Missa cum cantu pro defunctis et postea celebrans, deposita casula et manipulo, sine pluviali et absque incensatione, peragit exequias super stratum; quæritur: Rectene id fit? Et quatenus negative: debet celebrans induere pluviale et incensare?

II. In Missis cum cantu absque ministris, deficiente lectore qui epistolam canat, potest vel debet celebrans eam canere?

III. Sacerdos celebraturus potest paratus cum casula distribuere communionem fidelibus ante Missam, et postea ad aliud altare pergere ad Missam celebrandam? Et quatenus negative: potest indutus alba et stola Eucharistiam distribuere et inde, assumpta casula, pergere ad celebrandum in alio altari?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicæ, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, juxta Rubricas Missalis de Ritu Absolutionis et Decretum* N. 3108 Sancti Marci, 7 Septembris 1861 ad IV.

Ad II. *Servetur Rubrica Missalis* (Ritus servandus, tit. VI, N. 8) *et Decretum* N. 3350, Lisbonen., 23 Aprilis 1875.

Ad. III. *Servetur Decretum* N. 2740 Tridentina, 13 Martii 1836, ad XI.

Atque ita rescripsit die 5 martii 1904.

S. Card. Cretoni, *Præf.*
D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotationes. — *Ad primum.* Modus peragendi, post missam cantatam de Requie, absolutionem pro defunctis ad castrum doloris perspicue eruitur ex hoc responso, collato decreto ibidem citato n. 3108, quod sic habet, ad IV: « An in exequiis ad tumulum liceat cantoribus incipere responsorium *Libera me, Domine,* antequam sacerdos celebrans compleat legere ultimum evangelium missæ, et se exuat planeta et manipulo et se induat pluviali, ac se sistat in castro doloris? » Respondetur: « Responsorium *Libera me, Domine,* canendum non esse nisi finita missa; et (1) illud cantores incipiant cum sacerdos fuerit pluviali indutus, et subdiaconus cum cruce ad pedes tumuli pervenerit, etiamsi castrum doloris adsit in medio chori. »

Notari potest etiam dubium V ejusdem decreti n. 3108: « Quonam in loco præfatus celebrans debeat se exuere planeta et manipulo et assumere pluviale? » Resp.: « In plano ad cornu epistolæ ».

Ad secundum. Decretum n. 3350 hic citatum quo respondetur simul ad plura dubia, sic sonat: « Ad mentem. Mens est, quod quum missa cantetur sine ministris et nullus sit clericus inserviens qui superpelliceo indutus epistolam decantet juxta rubricas, satius erit quod ipsa epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante: nunquam vero in ecclesiis monialium decantetur ab una ex ipsis ».

Ex verbis autem « *satius* erit » eruunt auctores non prohiberi usum existentem apud nos ut celebrans ipse *cantet* epistolam. Cf. *Collat. Brugen.*, T. III, p. 63.

Ad tertium. Decretum n. 2740 sic habet: « An toleranda sit vel eliminanda consuetudo inveterata, qua sacerdos qui ad altare aliquod ad celebrandum accedit vel ab eo recedit, sic sacris vestibus sacrificii indutus et præ manibus calicem tenens, ascendat in transitu ad

---

(1) In antiquiori collectione legebatur: « et *conveniens esse* ut illud cantores... » Sed hæc verba in nova collectione suppressa sunt.

altare in quo adest sanctissima Eucharistia, ut ibidem sacram communionem fidelibus distribuat? Et quatenus non sit toleranda: an depositis planeta et manipulo in sacristia, accedere possit cum alba et stola? » Respondetur ad XI: « ad primam partem: si adsit necessitas, posse tolerari; ad secundam: provisum in primo. »

Ab hoc antiquiori decreto differt dubium præsens in eo quod hic non supponitur *consuetudo inveterata*, nec supponitur altare sanctissimi Sacramenti esse *in transitu* inter sacristiam et altare missæ.

Ex præfato responso deducunt nonnulli auctores licitum esse dare communionem, immediate ante vel post missam, in *alba* et stola (1). Fatendum tamen est hoc responsum vix ita intelligi posse et certe multo melius servari ab iis qui sacram communionem ministrant vel in superpelliceo et stola vel in paramentis missæ (2). Et generatim « minus congruit spiritui sacræ liturgiæ ut Sanctissimum tractetur in alba et stola (3) » prout videre est in decr. S. R. C. 7 dec. 1888, n. 3697 ad 12: « Si agatur de expositione et repositione SS. Sacramenti, sufficit ut sacerdos cotta et stola sit indutus; nunquam cum alba, cingulo et stola tantum. In processionibus et benedictione cum SS. Sacramento in ostensorio impertiendo omnino requiritur ut celebrans pluviale et velum humerale induat, sicut cautum est decreto in una Taurinen. diei 22 junii 1874. »

C. C.

---

(1) De Herdt, *Sac. lit. praxis*, T. I, n. 275; Ill. Van der Stappen, *Sac. liturgia*, T. IV, q. 196; Erker, *Enchiridion liturg.*, n. 217. Minus recte provocatur ad decr. S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3158, ad III, antiq. n. 5352, ad V. Nam suppresso in nova collectione dubio IV° hujus decreti, in dubio III (seu V°) jam non videtur posse agi de S. Communione; si tamen ad hanc extendi possit responsum, illud favet potius sententiæ contrariæ: « si immediate sequitur missa, sacerdos præter albam et stolam induere debet etiam planetam. »

(2) *Ephemer. litur.*, 1897, p. 44; *Collat. Brug.*, T. III, p. 527; Coppin et Stimart. *S. liturg. compend.*, n. 668; P. Victorius ab Appeltern. *Manuale liturgicum*, p. 273, n. 3.

(3) C. Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten*, p. 205, nota 2.

Ex S. Congregatione Concilii

DECRETUM.

De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostræ ætatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel majores esse adhibendas, ut piæ fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quæ SSmus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique jussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas præsenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quæ privatæ alicujus familiæ patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla Ecclesia sunt constitutæ, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quæ in aliqua ecclesia constitutæ, vel beneficiis adnexæ, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de jure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Jamvero de his omnibus S. C. decernit: 1° neminem posse plus missarum quærere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos,

et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario diœcesano, aut Prælato regulari.

2° Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, juxta majorem vel minorem numerum missarum.

3° Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptæ obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut majorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4° Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique » locorum beneficiati et administratores piarum causarum, » aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive » ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni missarum » onera, quæ reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, » propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definien- » dum »; ad tollendas ambiguitates E^mi^ Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis præfinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis præscriptionibus præcedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia præscriptionum quæ tum in hoc articulo, tum in præcedentibus statutæ sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5° Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere præterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione majoribus.

6° Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut

S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suæ fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractæ celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut si ex eleemosynæ dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa, in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

7° Ordinarii diœcesani missas, quas ex præcedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quæ ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti,* scilicet. « missarum intentiones primum distribuent » inter sacerdotes sibi subjectos, qui eis indigere noverint; » alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, » aut etiam, si velint, sacerdotibus extra-diœcesanis dum- » modo sibi noti sint omnique exceptione majores », firma semper regula art. 6i de obligatione, donec a sacerdotibus actæ celebrationis fidem exegerint.

8° Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino præcaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare præsumpserit aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, præter grave peccatum quod patrabit, in pœnas infra statutas incurret.

9° Juxta ea quæ in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assi-

gnatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quæ ad instar manualium celebrantur) eleemosynam juxta sequentes articulos propriam, nunquam separari posse a missæ celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui*, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10° Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicujus commercii vergat.

11° Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quæ non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12° Qui autem statuta in præcedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis prætextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subjacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latæ sententiæ Episcopo reservata obstringetur.

13° Et cum in const. *Apostolicæ Sedis* statutum sit excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reservatam subjacere « colligentes eleemosynas majoris pretii, et ex iis » lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi » missarum stipendia minoris pretii esse solent », S. C. declarat, huic legi et sanctioni per præsens decretum nihil esse detractum.

14° Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum jam initæ usque ad exitum anni a quo institutæ sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta

reductionis eleemōsynæ missarum, quæ in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15° Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandæ traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in parœciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quæ tribuitur, non aliam esse debere quam quæ in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper juribus si quæ sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, juxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Julii 1874 et *Hildesien.* 21 Januarii 1898.

In *Monacen.* enim « attento quod eleemosynæ missarum » quorumdam legatorum pro parte locum tenerent congruæ » parochialis, E^mi^ Patres censuerunt licitum esse parocho, » si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti » committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro » missis lectis sive cantatis ». Et in *Hildesien.* declaratum est, « in legatis missarum aliqua in ecclesia fundatis retinere » posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium » eam redituum portionem quæ in limine fundationis, vel » alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab » opere speciali præstando pro legati adimplemento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, præter tabellam onerum perpetuorum, et librum in quo manuales missæ quæ a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione præsentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari jubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ ex Sacra Congregatione Concilii die 11 Maii 1904.

Card. VINCENTIUS Ep. Prænestinus, *Præfectus.*

L. ✠ S. C. De Lai, *Secretarius.*

Adnotationes.

Plures jam a S. Sede leges sunt conditæ et normæ statutæ circa missarum obligationes earumque eleemosynas, signanter, sub Urbano VIII, in famoso decreto *Cum sæpe*, 21 Junii 1625, cum adnexis responsionibus et declarationibus S. C. C., et, sub Innocentio XII, in Constitutione *Nuper,* 23 Nov. 1697, in qua præfata Urbani decreta et responsa inserta reperiuntur et confirmata: quibus documentis recentius accesserunt, inter alia, decreta S. C. C. 9 Sept. 1874 (N. R. th., VI, p. 646), 25 Maii 1893 (N. R. th., XXV, p. 354), necnon *Epistola circularis S. C. C. ad Ordinarios Italiæ circa observantiam decreti Vigilanti*, 28 Aug. 1897, (*Analecta Eccl.*, V, p. 451).

Porro præsenti decreto, approbante PP. Pio X, varia ac sparsa statuta in unum redegit S. Congr. eaque accuratius determinavit ac severiores induxit cautelas quas experientia docuit esse adhibendas « ut piæ fidelium voluntates non fraudentur resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur ».

Imprimis clare exponunt Emin. Patres quid, in hoc negotio, veniat nomine missarum manualium quibus disciplina statuta applicanda est. Nimirum hujusmodi sunt missæ quas fideles celebrari postulant, dato stipendio sive callida manu sive in testamento, quin perpetuam vel æquivalenter perpetuam fundationem constituant; manualibus assimilat decretum missas in perpetuum quidem fundatas sed in nulla ecclesia constitutas ac curæ privatæ commissas patrisfamilias, cujus arbitrio relinquitur ut ubivis et a quovis exonerentur; tandem renovatæ huic disciplinæ subsunt et sub hoc respectu sortem missæ manualis sequuntur missæ in aliqua ecclesia fundatæ vel beneficiis adnexæ, quæ in propria ecclesia vel a proprio beneficiario nequeunt celebrari ac tradi debent aliis sacerdotibus, ac adeo per accidens manuales evadunt. Deinde varias regulas proponit S. Congregatio moderantes acceptationem potissimum et translationem stipendiorum missæ.

Ad I/

Primum articulum nonnulli severius interpretati sunt quasi prohiberet cuicumque sacerdoti missas quærere vel accipere, quas *per seipsum* non valeret infra limites temporis legalis exonerare, adeo ut non posset eleemosynas a fidelibus quærere nec etiam accipere pro aliis sacerdotibus: juxta illos id soli Episcopo foret permissum ac Prælato regulari relate ad respective subditos.

In hunc sensum decretum intelligit *Revue ecclésiastique de Metz*, 1904, p. 447 : « Le décret présent coupe court à toutes les discussions que cette prohibition avait soulevées en déclarant formellement : 1°/ que chaque prêtre n'est autorisé à rechercher et à accepter des messes que dans la proportion où il pourra les acquitter *lui-même* dans le délai voulu ; 2°/ que les évêques ou les supérieurs réguliers seuls ont le même droit en faveur de tous les prêtres qui leur sont soumis. Toute autre recherche d'honoraires est interdite ». Item, uti videtur, *Revue des sciences ecclésiastiques*, Juillet 1904, p. 8, cum absolute dicat: « Seuls les évêques et les supérieurs de religieuses sont autorisés à collecter des messes pour d'autres ».

Quæ interpretatio, licet prima fronte obvia videatur, rigidior est quam ut accipiatur, nec ad eam amplectendam nos cogit tenor præsentis articuli. Nimirum verba decreti, quemadmodum ex ipsa hujus compositione apparet, nihil aliud important *directe et formaliter* quam prohibitionem missas quærendi vel accipiendi quæ *infra tempus legale prævidentur non posse exonerari:* additur autem hanc interdictionem spectare tum sacerdotes pro seipsis missas petentes, tum Episcopos et prælatos regularium eleemosynas accipientes pro subditis suis.

Equidem innuunt Emin. Patres solum Episcopum seu prælatum regularem *de jure* esse præpositum ut eleemosynas procuret subditis suis, ipsisque solis, ad exclusionem simplicium sacerdotum, competere jus et licentiam colligendi missas subditis distribuendas; at-

vero non videtur agi nisi de collectione *datâ operâ et per modum habitus peracta, et quasi ex officio.*

Et sanc sola hujusmodi collectio hucusque erat a S. Sede damnata, et ut prohibitionem ulterius extendamus opus esset textu legis formali, eam clare et expressè urgente ultra terminos hucusque statutos; inauditum etiam foret et ab universa praxi alienum sacerdotem damnare qui, seclusa omni studiosa et habituali collectione, nonnunquam, ad hoc sollicitatus, missas, quibus ipse non indiget, accipiat vel et quærat, monito utique donatore, pro confratribus quos noverit missis carere. Cæteroquin simile statutum, infrà referendum, jam olim, sub Urbano VIII, fuit promulgatum, nec illud consuetudo, optima illa legum interpres, in sensum rigidiorem, de quo suprà, quoquo modo est interpretata.

Profectò supponitur donatorem, cujus intentionis ratio semper est habenda, in hanc translationem saltem implicite consentire, et simul sedulò cautum esse ut missæ infra temporis legalis terminos celebrentur: secus namque directe contradiceretur formali intento legis, stricte urgentis præscriptos limites observandos in accipiendis et quærendis eleemosynis missarum.

Quibus attentis nihil impedit quominus quis, occasione data, missas accipiat imo et petat pro sacerdotibus, stipendium elargienti etiam penitus ignotis, modò ipse eos noverit ac probaverit ac probe sciat missas esse celebrandas infrà tempus a lege definitum; dum contrà reprobanda foret nec ullatenus cum S. Sedis præscriptis concilianda praxis missas quærendi et acceptandi, seclusa etiam studiosa et habituali collectione, pro aliis quibuscumque *indeterminatim,* et absque sufficienti cautela de futura tempestiva exoneratione: conformius tamen esse legi ac menti Ecclesiæ non negamus ut sacerdotibus, qui sæpius missarum expertes existunt, ab Episcopo vel superiore regulari provideatur.

Quod autem spectat tempus legale, cujus rationem sollicite habere debent accipientes et petentes missas,

sub sequenti articulo 2° et 3° determinatur. Sufficit autem ut, in quærendis et accipiendis missis, temporis præscriptioni *probabiliter* satisfactum iri prævideant, attentis obligationibus celebrandi ipsis aliunde incumbentibus, vel plus minusve certò occursuris.

Ad II/

Sub articulo 2° determinatur tempus utile ad manualium missarum obligationes implendas.

In laudato decreto Urbani VIII, anni 1625, n° 8° et 9°, « quibusvis capitulis, collegiis societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum et piorum locorum, tam regularium quam sæcularium, superioribus vel aliis ad quos pertinet » districte prohibetur eleemosynas manuales accipere, nisi « oneribus antea impositis ita satisfecerint ut nova quoque onera suscipere valeant »; quod ultimum a S. C. C., sub n° 11, approbante eodem Urbano VIII, ita est explicatum ut dicta capitula etc..., etsi susceptis oneribus non satisfecerint, possint tamen « nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodò *infra modicum tempus* possint omnibus satisfacere ».

Porro postulatum fuit utrum modicum tempus reputetur spatium 2 vel 3 mensium et S. C. C., uti testatur Bened. XIV, *Instit.* LVI, n. 14, die 17 Julii 1755 (1), respondit « modicum tempus intelligi *infra mensem* ».

Qua non obstante authentica declaratione, plerique auctores moderni docent missas *regulariter* (seclusa scil. implicita vel explicita donatoris voluntate contraria) differri posse usque ad bimestre, contendentes responsum a. 1755 esse ad casum particularem, et spectare solos superiores regulares a quibus dubium fuit propositum. Cf. *R. th. fr.*, 1896, p. 609, collato Lehmk., *Theol. Mor.*, II, n. 199. Quod eo magis mirum videbitur si attendatur disciplinam Urbani, quam de-

(1) Cf *Canon. Contemp.*, 1904, p. 458, ubi aliæ decisiones in eumdem sensum latæ referuntur.

cretum a. 1755 interpretatur, docente ipsa S. C. C., in suis citatis declarationibus anni 1625, sub n° 16, spectare « privatos sacerdotes ».

Qua vigente doctrina communi, licet theoretice vix sustinenda, legitima evasit praxis sacerdotum differendi missarum celebrationem in communibus adjunctis, usque ad finem alterius mensis: meritò namque præsumebantur fideles missas tradentes sese conformare interpretationi passim vulgatæ, adeoque consentire in dilationem duorum mensium.

Jamvero in hoc articulo 2° reformatur interpretatio auctorum, adeoque et praxis in illa nitens, et accurate proponuntur termini dilationis, ad normam, partim saltem, declarationis a. 1755. Decernitur nempe pro una missa spatium relinqui unius mensis, ac semestris integri pro centum missis, et juxta hanc computationem determinandum esse tempus utile pro majori vel minori numero missarum. Porro si pro una missa dilatio datur 30 dierum et 180 circiter dierum pro 100 missis, excessus dierum seu tempus liberum relictum pro centum missis superat 50 diebus excessum relictum pro una missa; unde pro 20 missis, præter 30 dies relictos pro una missa, addendum est spatium liberum 50 : 5 seu 10 dierum, ita ut detur spatium liberum 40 dierum, cui si addis numerum correspondentem numero missarum, habebis tempus legale completum 60 dierum seu duorum mensium; pro 50 missis habebis $30 + \frac{50}{2} + 50 = 105$ dies; pro 200 missis $30 + (50 \times 2) + 200 = 330$ dies et ita deinceps, adeo ut tempus legale, si obvia formula est utendum, tot correspondeat diebus quot dantur missæ celebrandæ, additis numero 30 ac numero correspondente mediæ parti copiæ missarum.

Quocirca nota:

1°/ præfata determinatio non est mathematice sumenda sed moraliter et approximative;

2°/ regula a S. Congr. posita non est absoluta sed

regula generalis pro communiter contingentibus adhibenda, ubi desunt indicia positiva voluntatis donatoris. Et sane ubi intentio eleemosynam elargientis, sive explicita sive implicita, brevius tempus exigit vel longius concedit, hujus voluntatis ratio est habenda ut missarum celebratio acceleretur vel major dilatio permittatur.

Ita in ecclesiis in quibus missæ petuntur celebrandæ a fidelibus, optime consciis exuberantis numeri missarum ibidem exonerandarum, major non est reprobanda dilatio, quippe cui censentur plene consentire dicti fideles. Contrà si missa petitur pro urgenti aliqua causa vel pro recenter defuncto implicite postulatur a stipendii donatore anticipata celebratio aliquot saltem missarum.

3°/ patet temporis legalis computationem esse faciendam juxta numerum missarum *unius ejusdemque donationis*, ita ut missæ sejunctim concessæ sejunctim sint computandæ pro temporis determinatione.

4°/ tempus est computandum a die primæ traditionis missarum, et non a die translationis, et sic 100 missæ die 1ª Octobris a fidelibus oblatæ et 1ª Decembris curæ alterius sacerdotis commissæ, ab hoc altero infra quatuor menses sunt celebrandæ.

Ad III/

Juxta tertium hunc articulum non licet sacerdoti in indefinitum missarum onera sibi assumere: non potest regulariter plus missarum accipere quam quibus prævidet probabiliter se posse satisfacere *infra annum* inde a die susceptæ obligationis; et ita sacerdos qui passim per annum bis centies missam cantare debet non posset 200 missas accipere lectas.

Excipitur rursus casus quo explicite vel implicite manifestatur contraria voluntas eleemosynam elargientis, qui longius spatium indulgeat, committendo v. gr. eidem sacerdoti 400 missas ab ipso personaliter exonerandas.

A. D. S.

(Sequetur).

Consultatio

Quæritur. Quando, in diœcesi nostra, anniversarium — aut exequiæ — sunt celebranda die qua non permittitur missa de requie, generatim cantatur missa diei, erecto in ecclesia tumulo panno nigro cooperto. Hoc non licet. Sed interdum res ægre aliter disponi potest. (1)

Verum in decr. S. R. C. 12 Julii 1892, n. 3780, ad dubium 8: « Num absolutio pro defunctis fieri vel responsorium super sepulturam cantari quotidie possit; maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuerit, ut adimpleatur testatoris voluntas? » Respondetur: « affirmative, exceptis tamen duplicibus primæ classis, in quibus absolutio et responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere Horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiat, *nunquam post missam de die, nisi omnino independenter ab eadem.* »

Ut hæc ultima verba verificentur, quæritur utrum sufficiat ut: 1/ sacerdos diversus ab eo qui missam celebravit, absolutionem peragat, vel 2/ ut celebrans et ministri finita missa tendant ad sacristiam et depositis omnibus paramentis missæ, induant superpelliceum (assumptis etiam a celebrante stola et pluviali nigris) et ita decantent *Libera me*, postquam a ministris ecclesiæ erectus fuerit tumulus vel extensus pannus niger qui paratus esse nequit infra missam de die?

Respondetur. Ritus absolutionis pro defunctis peragitur generatim *ut appendix missæ.* Ratione hujus cum missa connexionis: a/ persolvi debet ab eodem sacerdote qui sacrum peregit (2); b/ si missa celebrata fuerit

(1) Alia tamen sæpe obvia est solutio: anticipetur vel differatur, juxta rubricas, anniversarium in proximam diem liberam vel celebretur in die qua licet in ecclesiis parochialibus vi indulti cantare missam de requie.

(2) Decr. S. R. C., 12 aug. 1854, n. 3029, ad 10. Exceptio conceditur in favorem episcopi diœcesani.

cum assistentia diaconi et subdiaconi, servantur paramenta missæ, depositis tantum manipulis et loco casulæ assumpto pluviali; c/ sicut « in ipsis exequiis defunctorum extra missam peractis, adhiberi non possint diaconus et subdiaconus sacris indumentis parati » (1), ita, si missa cantata fuerit absque diacono et subdiacono, hi ministri in paramentis missæ assistere non possunt in ritu absolutionis; d/ convenit ut jam infra missam tumulus sit erectus et circa illum ardeant cerei; e/ ritus absolutionis qui semper in nigris est peragendus, nequit, ut patet, peragi dependenter a missa nisi post missam de Requiem (2).

Ut igitur cæremonia illa haberi possit ut *ritus independens a missa,* vitari et mutari debent omnia illa quæ ponunt et manifestant dependentiam absolutionis a missa.

Quare 1/ non sufficit ut persona dumtaxat celebrantis mutetur, prout proponitur in prima quæstionis hypothesi. Episcopus enim in diœcesi sua potest cantare absolutionem post missam de requie ab alio sacerdote celebratam (3): nonobstante hac celebrantis diversitate, absolutio nihilominus habetur ut missæ appendix.

2/ Secundus autem modus a docto quærente propositus licitus nobis videtur, ut erui potest ex dec. S. R. C. 10 Jan. 1852, n. 2994 ad 1: « In quibusdam anniversariis, die ex. g. IV Novembris, licet non sit dies anniversaria, nec celebrari possit missa de Requiem... canitur nocturnum, deinde absolutio circa tumulum peragitur, et postea missa conventualis cantatur de festo quod occurrit, applicando illam pro defunctis, cum tumulo ante aram et cereis accensis? »

Respondetur ad 1: « Posse, dummodo removeatur

---

(1) Decr. S. R. C., 6 febr. 1858, n. 3066.

(2) Decr. S. R. C., 4 aug. 1708, n. 2186; 9 jun. 1858, n. 3014, ad 1; 20 mart. 1869, n. 3201 ad 8; 12 jul. 1892, n. 3780 ad 8.

(3) Decr. S. R. C., n. 3029 ad 10; et 9 maii 1893, n. 3798 ad 2.

tumulus tempore missæ, et finita circa illum absolutione. »

Hoc decreto præscribitur ut « removeatur tumulus tempore missæ » si absolutio fiat ante missam, et consequenter ut tumulus tantum erigatur finito sacro si absolutio sit peragenda post missam. Si hoc tamen commode fieri nequiret, liceret, ni fallamur, tumulum, erigere jam ante missam, *dummodo cerei circa illum non ardeant tempore missæ*. Signum enim proprium connexionis inter castrum doloris et missam habetur in *accensis cereis*. Interdum enim erigitur tumulus pro anniversario aliquamdiu antequam inchoetur missa anniversarii, et interea temporis aliæ celebrantur missæ : nullus unquam cogitabit existere nexum inter eas missas et tumulum, si non sint cerei accensi circa castrum doloris.

C. C.

Monitum

In ecclesiis diœcesecos Brugensis ubi exercitia SSi Rosarii, decursu mensis Octobris obeunda, peraguntur infra laudes SSi Sacramenti, rosarium hoc anno recitetur immediate ante cantatas Litanias Lauretanas quas statim subsequetur recitatio orationis in honorem S. Joseph. — Ità declaravit Illmus ac Revmus Episcopus.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 553).

—

ARTICULUS II.

Adduntur quædam particularia notatu digna; necnon animadversiones aliquæ circa systema critices rationalisticæ.

423. Post considerationem generalem hujus tertiæ mundi epochæ utilissimum erit ad quædam particularia majoris momenti descendere, quæ ibi omittere coacti sumus ne conspectui generali noceretur. Præterea, cum jam integrum pervolvimus Pentateuchum cum libro Josuë, seu, ut nonnulli nunc dicere malunt, Hexateuchum, quo continetur historia mundi ab initio ad constitutionem populi Dei et occupationem terræ promissæ, quædam de his libris ipsis eadem opportunitate notanda occurrunt, attentis quoque rationalisticæ critices, tum historicæ, tum literariæ, theoriis, supra jam attactis.

424. Et primo quidem peculiari attentione digna est *tertia* jam *prophetia messianica*, facta Abrahæ, *Gen.*, XII, 2-4, renovata pluries per partes, *Gen.*, XII, 7; XIII, 14-17; XV, 4-6; addito pacto seu fœdere, XV, 7-21 et XVII, 4-16; iterumque XVIII, 17-18, ac tandem XXII, 15-19, ubi et jurejurando per semetipsum Deus promissiones confirmat.

Hæc prophetia messianica tertia, præcedentibus amplior ac magis definita, salutem messianicam exhibet tamquam benedictionem, qua maledictio in genus humanum per peccatum inducta tolletur, cujus tum origo benedictionis, scilicet ex semine Abrahæ (cf. *Ad Gal.*,

III, 16), tum extensio, nempè ad genus humanum universum (cf. *Psalm.* LXXI, 17) pressius definitur. De quibus consulendi ulterius interpretes.

Pariter adverte secundo significationem mysticam historiæ Agar et Sara, harumque filiorum Ismaël et Isaac, nobis revelatam et explicatam a S. Paulo, *Gal.*, IV, 23-31.

Tertio notetur sedulo benedictio Jacob in Judam, de qua vid. *Collat. Brugen.*, tom. VI, pag. 577 et sqq.

425. Præterea, ad illud quod supra generatim ostensum est de divina Providentia sibi efformante populum, qui tum conscius esset se esse populum Dei electum, e quo oriturus esset Salvator, tum cæteris gentibus esset in signum veri cultus divini et exspectandi Redemptoris, heic merito adjicimus magis in particulari quam admirabili modo, pedetentim et gradatim processerit divina Providentia in constituendo hoc populo cum hac duplici nota. Videlicet, historia patriarcharum, si rite inspiciatur, vere præludium esse deprehenditur totius deinceps historiæ populi Israël, tum sub respectu segregationis a cæteris gentibus, tum sub ratione præparationis positivæ ad Legem: re quidem vera inde ab Abraham incipit segregatio a gentibus, et deinceps vitatur commercium, præcipue matrimonium (1), cum Chananæis; imo et cum reliquis populis ex eadem stirpe patriarchali ortis, ast non electis, Ammon et Moab, Ismaël, Madian, Edom. Et vel ipsa commoratio in Ægypto a contactu gentium protexit Israelitas.

Incipit quoque manuductio ad Legem, siquidem hujus observantiæ externæ plures, sacrificia, circumcisio, decimæ inde ab Abraham patriarchis usu erant. Fœdus cum Deo, ac obligatio inde orta servandi Legem, jam inauguratur fœdere Deum inter et Abraham. Spiritus etiam Legis a patriarchis observabatur, qui in exspectatione consistit futurorum bonorum ac præprimis regni

(1) *Gen.*, XXIV, 2-8; XXVIII, 1-2.

Messiæ (cf. *Hebr.* XI, 13-14). — Et notatu dignissimum est, validissimumque præbet argumentum veritatis divinæ revelationis atque supernaturalis Dei providentiæ erga genus humanum, hoc phænomenon, prorsus unicum in tota generis humani historia, integri scilicet populi exspectantis, plena persuasione et invicta per sæculorum decursum constantia, dominationem universæ terræ eamque perpetuam, seu exspectantis Redemptorem ac Regem ex se oriturum, cui omnes gentes in sempiternum obedirent. Hoc nulli umquam alii genti in mentem venit, hoc proprium fuit populi Israël, ac prorsus singulare. Hujus autem exspectationis origo apud patriarchas, ipsumque jam Abraham reperitur, quorum imo quasi totam vitam atque agendi rationem hæc exspectatio animavit ac compenetravit.

426. Deinde, utraque et segregatio populi et præparatio ad Legem incipit a patriarchis, ratione ipsius terræ promissæ, quam ut propriam, destinationi populi aptissimam, occupare debebat Israël, tamquam populus electus et signum inter gentes, quemadmodum supra dictum est. Etenim, in hanc ipsam terram, quam semini ejus promisit, deduxit Deus Abraham, eamque posteri ejus incoluerunt, ut peregrini quidem inter Chananæos, cum expressa vero et repetita promissione possidendi eam atque jure expellendi Chananæos. Unde et in ea sepulcrum elegerunt patriarchæ, etiam Jacob et Joseph, in Ægypto licet mortui. Inde factum est ut non extinxerit apud hebræos desiderium terræ promissæ commoratio quamvis longa apud Ægyptios; quæ cæterum valde utilis ipsis fuit, ut jam advertimus, ad utrumque finem segregationis a gentibus (1) et signi inter gentes. Adde et hanc commorationem ipsos egregie præparasse

(1) Quomodo in Ægypto ab Ægyptiis manserint segregati satis indicavimus supra et cf. *Gen.*, XLVI, 34; addamus hic quam utiliter in Ægyptum fuerint deducti, eo quod periculum esset fusionis cum Chananæis, numero ac cultu ipsis longe præstantibus, et cf. *Gen.*, XXXI, 47 et XXXVIII, 2.

ad occupandam jam terram promissam sede perpetua: didicerunt enim scientias et artes Ægypti, viderunt populum plene constitutum cum legibus et institutionibus suis, vitam errantem nomadum jam commutare didiscerunt cum vita sedentaria, hujusque negotiis, agrorum cultura, etc. Vel ipsa servitus operaque servilia a Pharaone imposita ipsos docuerunt urbes ac mœnia ædificare; quam tamen servitutem Deus opportuno tempore abrupit, ne servilem indueret populus animum suæque dignitatis ac missionis oblivisceretur (1).

Denique integra historia Israël præsignata ac præparata invenitur in ipsa patriarcharum historia.

Neque enim casui tribuenda sunt eorum commoratio in locis, quas posteri ejus inhabitaturi erant, variaque monumenta quæ in iisdem locis testimonia suæ præsentiæ reliquerunt. Qua sub ratione historiam Abrahæ patris adumbrare et quasi in germine continere integram Israëlitici populi historiam notatu dignissimum est.

427. Hic jam locus est considerandi quid neocritici rationalistæ de historia patriarcharum sentiant. Hac autem opportunitate systema hujusmodi critices, tum historicæ, tum literariæ delineare utilissimum erit, ne clerus noster dilectus in rebus hisce temporibus adeo agitatis peregrinus sit, imo et periculo forte sanæ doctrinæ et fidei exponatur, brevissime tamen, quoniam scopus noster minime polemicus est.

Principium fundamenti instar toti systemati suo a rationalistis suppositum, etsi non semper aperte ab iisdem propositum, est negatio ordinis supernaturalis, imo cujusque interventus divini, unde aliud principium, idque positivum, providentiæ divinæ substituunt illi, videlicet, evolutionismi religioni et historiæ applicati, hæcque evolutio, excluso quocumque elemento supernaturali, cardo est circa quem tota eorum critica historica versatur. Quod autem criticam literariam attinet,

(1) Cf. *Exod.*, V, 20-21 et VI, 9-12.

quæ circa authentiam, compositionem, fontes, ordinationem ac retractationem textus sacrorum librorum versatur, qua præcise ab auctoribus humanis procedunt, nullum quidem principium supponendi locus est, quod fidei doctrinæ adversetur, sed criticam istam seu analysim textuum ita exercent, ut suis placitis historicis deserviat, ut scriptis eam ætatem, hunc auctorem, eos fontes, eam integritatem aut interpolationem ac retractationem assignent, quæ tandem confirment sua de religione ac historia populi Israëlitici commenta.

428. His positis, quod primo criticam historicam spectat, integra historiæ patriarchalis, quam exposuimus, facies a rationalistis immutatur omnino : videlicet, a priori rejecto supernaturalismo, eique arbitrarie ac falso substituto evolutionismo historico, jam ruit tota patriarchalis historia, prout obvio sensu e narratione librorum sacrorum eruitur, nec aliud remanet quam, interpretatione quadam nova inventa, eamdem historiam ex integro denuo construere, ita ut quidquid supernaturale est eliminetur et tota narratio principio evolutionismi consentiat. Et hoc est, quod rationalistæ fecerunt, affirmantes narrationem biblicam pertinere ad mythum, ut ajunt, religiosum et ethnographicum, quo vago modo nobis servata est memoria originis populi Israël. Pleraque nomina, Abraham, Lot etc. non individuos homines sed tribus designant. Populus tamquam diversarum tribuum conjunctio concipitur et personificatur, dicunt, in quodam patriarcha seu heroë eponymo. Tribus quæ a populo separantur, jam censentur illius filii, en origo tabularum genealogicarum in libro Genesis. Matrimonia, quæ in eodem libro tanti momenti sunt, immigrationes significant novarum tribuum, quæ sese cum Israël jungunt. Maritus est Israël, nova tribus est uxor aliunde accedens, et concubinæ sunt tribus immigrantes minoris momenti. Porro, proprium est hujusmodi mythorum, ad præterita tempora referre, quæ ad ipsum tempus, quo nascitur legenda seu mythus,

pertinent: ita Esau et Jacob, sese in utero collidentes, significant bellum tum inter Israël et Edom continuo existens; devictus Edom significatur artificio Jacob fratrem suum supplantantis, etc. Quidquid sacrificia, theophanias, etc. respicit, nonnisi recentiorum in re religiosa placitorum imaginem refert, et hunc scopum hujusmodi narrationes habent, ut patriarchæ censeantur jam ejusdem religionis fuisse et elegisse loca sacra populo nota, Sichem, Bethel, Bersabeh, Hebron.

429. Quam arbitraria hæc omnia sint nemo non videt, et certe potius videtur totam historiam biblicam negasse, quam hujusmodi interpretatione deturpasse. Sed et falsa plane hæc commenta vel eo demonstrantur, quod fieri omnino nequeat ut populus universus tam firma adhæsione mentis et unanimi fide historiam suæ originis amplexus fuerit et constanter retinuerit, si scriptores sacri nonnisi legendam ac mythum proposuissent. Cæterum, monumenta profana, præprimis assyriaca, non pauca ex commentis rationalisticis jam everterunt, et nomina patriarcharum aliorumque, quæ symbola tantum et mythica esse pro suo libitu confinxerant rationalistæ, vere individuarum personarum esse atque historica demonstrant, ut supra jam de Abraham, Sara, regibus chaldæis advertimus. Scilicet et hoc ad criticam sublimiorem pertinet, monumentis profanis aliarum gentium fidem adhibere statim, sacris vero libris populi Israëlitici et christiani a priori fidem negare, quamdiu id aliquo forte modo fieri potest.

Igitur plane gratuita et falsa est theoria rationalistica, qua arbitrariam et pro libitu excogitatam historiam veræ historiæ patriarchali substituunt, falsum eorum assertum, ad quod demonstrandum tota contendit eorum phantastica historiæ reconstructio, nempe polytheismum viguisse primitus apud patriarchas, cum nonnisi postea incepérit cultus Jahveh, tamquam dei nationalis, qui tandem tempore prophetarum in monotheismum versus sit.

430. Hæc quidem principia sunt quæ criticæ historicæ rationalistarum supponuntur, et ab ipsis continuo adhibentur cum argumentum historicum pertractant, quin tamen soleant eadem appellare aperte; malunt criticam literariam in medium proferre, qua placita sua stabiliant, cujus nunc generalem conspectum atque notitiam oportet offerre. Quod quidem breviter et bene effectum reperimus in optimo libro (1) quem citamus:

« La critique littéraire a devancé de près d'un siècle la critique historique du Pentateuque. Le branle fut donné par le médecin français Astruc († 1766) qui, prenant comme point de départ l'emploi alternatif des noms divins Élohim et Yahweh, émit l'idée que Moïse avait composé la Genèse en combinant deux « documents » indépendants, l'un élohiste, l'autre jahviste. Cette distinction des sources fut bientôt étendue à tout le Pentateuque par Eichhorn († 1827), et d'autres. C'est ce qu'on appelle l'hypothèse *documentaire (Urkundenhypothese)*. Vater († 1826) alla jusqu'à dire que le Pentateuque était une agglomération, une sorte de mosaïque, d'une multitude de petits « fragments », dont Moïse n'était pas l'auteur, vu que cette collection n'avait été achevée que vers l'époque de la captivité de Babylone. C'est l'hypothèse *fragmentaire (Fragmentenhypothese)*. D'autres (Tuch, Stähelin, etc.) crurent découvrir dans le Pentateuque un écrit « fondamental » *(Grundschrift)* d'un auteur élohiste, « complété » plus tard par un écrivain jahviste. C'est l'hypothèse *complémentaire (Ergänzungshypothese)*. Jusqu'alors la critique du Pentateuque était plutôt littéraire; mais du moment où Moïse n'était plus regardé comme l'auteur du Pentateuque, le problème historique passa au premier plan: pour déterminer l'âge des différentes sources et de la

(1) *Histoire de l'ancien Testament*, par J.-B. Pelt, S. T. et SS. Can. D., supérieur du grand Séminaire de Metz, 4e édit., Paris, V. Lecoffre, 1904, tome I, p. 321-323.

compilation définitive, on compara ces écrits avec l'histoire de la religion d'Israël. Ce fut surtout l'œuvre de de Wette († 1849) et d'Ewald († 1875). On en vint ainsi à faire le triage minutieux des sources, à étudier soigneusement le contenu de chacune et à déterminer l'âge des lois qui y sont renfermées. Dans cette nouvelle phase de la critique, l'opinion qui a prévalu de nos jours est celle de George, Vatke, Reuss, Graf, Kuenen, Wellhausen, exposée plus haut, qui considère le Deutéronome comme la loi rituelle la plus ancienne et en place l'origine sous Josias.

Ces critiques supposent qu'il y a dans le Pentateuque (ou ce qu'ils appellent l'Hexateuque, en y joignant le livre de Josué) quatre sources principales : l'écrit jahviste (J), l'écrit élohiste (E), l'écrit deutéronomique (D) et le Code sacerdotal (P). Ce ne sont pas là quatre écrivains, mais plutôt quatre séries d'écrivains : car ces sources n'existent plus sous leur forme primitive, mais ont subi de nombreuses retouches. Sur ce point les critiques entrent dans les détails les plus précis. J, qui provient environ de l'an 850 et probablement d'un Judéen, a reçu trois éditions différentes : J^1, J^2, J^3. L'écrit E, qui est postérieur d'un siècle et généralement regardé comme l'œuvre d'un éphraïmite, a eu deux éditions : E^1 et E^2. Un rédacteur a fondu ensemble J et E, en donnant une place prépondérante à J et en remaniant E d'après les idées jahvistes ; ce rédacteur jahviste, désigné par Rj, a dû accomplir son œuvre vers l'an 650. Plus tard un second rédacteur Rd (rédacteur deutéronomiste) joignit à J E le Deutéronome, qui lui-même avait déjà reçu deux éditions (D^h historique et D^p parénétique). Ainsi fut formé le recueil J E D ; J et E étant remaniés dans le sens des idées du Deutéronome. Le Code sacerdotal (P), dont la composition date de l'exil, est, lui aussi, dépourvu de l'unité littéraire : il faut y distinguer au moins trois sources. Un troisième rédacteur Rp joignit P à J E D et modifia

de nouveau le texte de ses prédécesseurs pour le faire cadrer avec P. Ce travail, qui donna à peu près au Pentateuque sa forme actuelle, est placé entre l'an 440 à 400. Vers cette époque aussi le livre de Josué fut séparé du reste du Pentateuque. »

431. Nullum, ut jam diximus, principium fidei aut rationi adversum criticæ literariæ, qua tali, a rationalistis supponitur. Neque hypothesi diversorum fontium, atque horum retractionis, e quibus Pentateuchus aut Hexateuchus fuerit compositus a priori repugnant ipsi Catholici. Sed in hoc a Rationalistis Catholici dissentiunt, quod hi argumenta solida, quibus existentia et fata illorum fontium stabiliatur, expetunt, illi vero ex præconceptis opinionibus suis sæpe nimis hypotheses hypothesibus addunt absque ratione vere probabili; atque rursum in hoc non conveniunt neque vero convenire possunt, quod eam ætatem fontibus assignent Rationalistæ, eamque authentiam textuum affirment aut negent atque integritatem aut interpolationem, quibus criticam suam historicam arbitrarie ac falso confirment.

Quod quidem analysim literariam attinet, haud raro possibile pro probabili erronee accipitur a criticis, ita ut, quoties omnia invicem componendo possibile videtur ex hoc et illo fonte, hoc vel alio modo retractatis, textum exortum esse, id jam probabiliter sic factum affirment. Et, quando jam aliqua ratio probabilitatis possibilitati accedit, non tantum ut mere probabilem, sed quasi rem demonstratam proponunt illam suam hypothesim. Ita multi loquuntur de codice sacerdotali, de narratore jehovistico et elohistico, etc., quasi nullum dubium de horum existentia et realitate remaneat; imo vero unicuique horum assignant suas partes, capita, versus, et versuum partes ac verba singillatim, perinde ac si scriptioni affuissent. Nemo non mirabitur eorum, qui his statim assentiunt, fidem; quam si nos exigeremus, plerumque nulla cunctatione nobis illuderent. Igi-

tur criticæ literariæ studiose quidem vacent catholici, juribus vero sanæ rationis ac logicæ consulant: quamquam enim in critica literaria, qua tali, ut vidimus, fides ac doctrina catholica directe non intercedit, veræ tamen scientiæ honor a catholicis viris exigit ut non fide Rationalistis habita sed sanæ philosophiæ regulis ducantur in veritate investiganda circa fontes, authentiam, integritatem, etc. librorum sacrorum.

432. Quod vero ad ætatem diversorum fontium, horumque retractationum spectat, quæ a Rationalistis statuuntur, pro libitu statui et intuitu sui systematis criticæ historicæ, nemo non perspicit illico; qua in re, pro argumentis plerumque audacter asserta invenies, sed et aperta sophismata multiloquio et exculto stylo involuta et contecta, si attendas, deteges: ita e præmissis cum « forsitan », « probabiliter », conclusiones sæpe erunt cum « certo », « evidenter ».

Imo vero, integrum systema rationalisticum nonnisi putus est circulus vitiosus: quomodo enim probant Legem exilio posteriorem esse? Testimoniis librorum prævie critica expurgatis. Et quomodo hosce eosdem libros expurgatione indigere, utpote a falsariis retractatos? Quia Lex posterior est exilio; adeoque libri in quibus de eadem antea sermo fit sunt interpolati!

His longius inhærere pro scopo nostro non licet, quæ autem breviter exposuimus sufficient ut quicumque sapere vult, nonnisi summa cum prudentia et toto rigore suo applicatis logices regulis, scripta criticorum, præsertim Rationalistarum, attingat.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris

—

I

Expone doctrinam de justificatione a S. Paulo propositam in epistola ad Ephesios I, 3-14.

II

Solvatur sequens difficultas : peccatum originale consistit in carentia gratiæ sanctificantis ; atqui Deus est auctor hujus carentiæ ; ergo Deus est auctor peccati.

III

Circa circumstantias restitutionis quæritur :

1°/ Cuinam et quomodo restituendum sit quando persona læsa incerta est vel penitus ignoratur ?

IV

2°/ Quo loco, cujus expensis et periculo restitutio sit facienda ?

V

3°/ Quandonam sit restituendum ; utrum et quando adsit obligatio restituendi damna ex dilatione orta ?

VI

Prouvez que les fabriques ont capacité d'acquérir de nouveaux presbytères.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Expone sensum et vim decreti apostolici in concilio Hierosolymitano (Act. Ap. XV, 23-29) *lati.*

R. I. **Prænota.** Ut sensus et vis decreti apostolici eo clarius patescant, juvat paucis adjuncta exponere in quibus latum fuerit atque sancitum.

In privato Apostolorum ac Seniorum conventu (1) « ii qui videbantur esse aliquid » seu « columnæ » (2), i. e. Apostoli primarii putà « Jacobus (3) et Cephas et Joannes » apostolatum Pauli inter Gentiles agnoverant, ejusque doctrinam de libertate Ethnico-christianorum a servitute Legis, in specie a circumcisione, minime improbaverant aut immutaverant, verùm ipsi Paulo et Barnabæ « dexteras dederunt societatis » (*Gal.* II, 1-10). — Porro Pharisæi judaisantes, propositi tenaces, « magnam conquisitionem » seu disputationem in publico Ecclesiæ Hierosolymitanæ conventu suscitarunt (*Act.* XV, 7, 22). In hoc autem publico concilio decretum apostolicum sancitum fuit.

S. Petrus, sicut privatim rationem agendi Pauli approbaverat, ità in hoc conventu palam ostendit ejus doctrinam de immunitate Gentilium a Legis jugo esse veram, ex eo quod Deus, Spiritum sanctum Ethnicis

---

(1) Cujus acta paucis exhibet S. Paulus *Gal.* II, 2 ss. Vide *supra* p. 573. — Sieffert, *Der Brief an die Galater*, Göttingen 1899, p. 125.

(2) *Gal.* II, 2, 6, 9.

(3) Cfr. Thomas, *Melanges d'histoire et de littérature religieuse*, Paris, 1899, p. 71 s. n.

conversis æque ac Judæo-christianis elargiens (1), nullum inter utrosque discrimen adesse manifestasset. Præterea aperte (2) confessus est: « per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari (nos sc. Judæi) quemadmodum et illi (np. Ethnici) (*Act.* XV, 1) ».

Barnabas (3) et Paulus doctrinam a Petro declaratam confirmarunt « narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos » (*Act.* XV, 12 coll. *Gal.* II, 8), hoc modo clare approbans illorum evangelisandi rationem a Judaisantibus impugnatam.

Jacobus tandem qui Ecclesiæ judæo-christianæ Hierosolymarum præerat et ipse legalia observabat, Petri sententiam Prophetarum vaticiniis conformem esse ostendit, et a doctrina ad usum ac praxim transgressus, Legem quidem Ethnicis conversis imponendam esse negavit, verùm censuit quædam a Gentibus esse vitanda quæ Judæis maximæ offensioni erant. Proposuit nempe ut abstinerent « a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione et suffocatis et sanguine » (v. 20). Quæ prohibitiones in decreto omnium consensu lato sancitæ fuerunt (v. 22).

II. **Sensus decreti.** V. 23. *Apostoli et seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ salutem.* Fratres *antiocheni* nominantur primo loco, cùm in ea

---

(1) In conversione centurionis Cornelii et eorum qui cum ipso erant (*Act.* X). V. *suprà* p. 570.

(2) Hanc Petri orationem nimis paulinianam esse, atque a S. Luca confictam ut omne doctrinæ dissidium Paulum inter et Petrum tollatur plures auctores acatholici contenderunt. At immerito. Ipse enim Paulus principium fundamentale de salute per gratiam Christi, non autem ex operibus Legis obtinenda, tanquam a S. Petro indubie admissum supponit, ipsique in memoriam revocat quid ipse Petrus in hac legalium quæstione publice pronuntiaverit (*Gal.* II, 15-16). Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 77 s. — Knabenbauer, *Comment. in Act. Ap.* Parisiis 1899, p. 261.

(3) Barnabas, contra ordinem consuetum, ante Paulum nominatur hic (v. 12) et in decreto (v. 25): hæc ordinis inversio suo modo genuinitati narrationis favet; erat enim christianis Hierosolymitanis magis notus adeoque aptior ad persuadendum. (*Act.* IV, 36 s.). Præterea ab Ecclesia Hierosolymitana Antiochiam missus fuerat (*Act.* XI, 22).

metropoli Syriæ disceptatio orta sit (cfr. *suprà* p. 571 s.). In *Syria* et vicina *Cilicia* erant Judæo-christiani plures et rituum mosaicorum tenaciores (1), eaque ratio fuit cur Ethnico-christianis illarum regionum epistolam specialiter inscripserint. In aliis regionibus pro opportunitate (attento vitæ commercio cum Judæis) decretum promulgabatur aut reticebatur (2).

24. Exponitur occasio et necessitas scribendi: *Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt* (3) *vos verbis, evertentes animas vestras* (falsa sua doctrina de necessitate circumcisionis et legalium), *quibus non mandavimus.* His verbis depingitur fraus (cfr. *Gal.* II, 4) Judaisantium qui, omni auctoritate destituti, ut perturbatores Ecclesiæ traducuntur.

25. *Placuit nobis collectis in unum* (γενομένοις ὁμοθυμαδὸν = postquam unanimes facti sumus) *eligere viros et mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo* — 26 *hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi;* i. e. qui non dubitarunt vitam suam omni periculo exponere (4) ut nomen et doctrinam Jesu Christi ubique annunciarent. Laus Pauli et Barnabæ haud obscure approbationem apostolatus eorum inter Gentiles perhibet.

27. *Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem* (quæ sc. his litteris continentur). 28. *Visum est enim Spiritui sancto et nobis* (conscii igitur sunt assistentiæ divinæ), *nihil ultra* (nullum onus Legis mosaicæ ritualis) *imponere vobis oneris quam hæc neces-*

---

(1) Utpote probabiliter a christianis Hierosolymitanis ad fidem conversi. Cfr. Wendt, *Die Apostelgeschichte,* Göttingen, 1899, p. 269.

(2) Cfr. Ceulemans, *Commentarius in Act. Ap.* Mechliniæ p. 182 — J. Thomas, *o. c.*, p. 94 ss. Cfr. præterea *Act.* XVI, 4.

(3) ἐτάραξαν: S. Paulus *Gal.* II, 7; V, 10 eodem verbo Judaisantium conatus in Galatas designat.

(4) Alludunt ad persecutiones Antiochiæ, Iconii et Lystris contra Paulum et Barnabam factas. Cfr. Knabenbauer, *Comment. in Act. Ap.* Parisiis, 1899, p. 270.

saria (sc. per accidens (1): ad vitandum scandalum Judæo-christianorum et propter vitæ commercium cum illis).

29. *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum,* gr. εἰδωλοθύτων, i. e. ab epulis sacrificalibus gentilium et a carnibus e gentilium sacrificiis residuis (2); *et sanguine et suffocato:* tum sanguine seorsim sumpto, tum carnibus animalium suffocatione occisorum sine sanguinis emissione i. e. carnibus cum sanguine; *et fornicatione* gr. πορνείας, np. concubitu extra matrimonium. Aliqui hîc intellexerunt præceptum abstinendi a matrimonio cum consanguineis intra gradus prohibitos, vel etiam a fornicatione spirituali seu idololatria (3): verùm intelligenda est fornicatio simplex, tùm quia est ordinaria vocis πορνείας significatio (4), tùm quia *ethnico*-christiani illam vocem de copula incestuosa vel de idololatria non intellexissent. Erat autem ratio specialis inculcandi ethnico-christianis hoc præceptum legis naturalis ac divinæ, quia tunc temporis fornicatio habebatur inter gentiles fere ut res indifferens (5), et ab eo errore Gentiles-conversi non videntur statim fuisse penitus immunes (*I Cor.* VI, 12-20).

A quibus custodientes vos, bene agetis gr. εὖ πράξεσθε i. e., secundum communem usum Græcorum, bene vos habebitis, felices eritis (6), nempe propter unionem et concordiam quæ in christianis communitatibus regnabit (7). *Valete.*

---

(1) Epulæ sacrificales gentilium tamen et fornicatio sunt *per se* prohibitæ lege naturali et divina. *I Cor.* X absolute prohibentur.

(2) Epulæ privatæ ex his carnibus per se licitæ sunt, quare a S. Paulo *I Cor.* VIII et X permittuntur, modo absit scandalum.

(3) Ità Hebræi, speciali pacto (quasi matrimonio spirituali) cum Deo conjuncti, idololatriam vocare solebant.

(4) Cfr. Grimm, *Lexicon græco-lat. N. T.* Lipsiæ, 1903, p. 370 — Knabenbauer, *o. c.*, p. 265.

(5) Cfr. Knabenbauer, *o. c.*, p. 266.

(6) Cfr. Grimm, *o. c.*, p. 178.

(7) Cfr. Van Steenkiste, *Comment. in Act. Ap.*, Brugis, h. l. — Zahn, *Einl. in das N. T.* Leipzig 1900 II, p. 433 s.

III. **Vis decreti.** Duplicem decretum complectitur partem: negativam sc. et positivam.

Pars negativa (v. 28) statuit *Ethnico-christianis non imponi observationem Legis mosaicæ ritualis, in specie circumcisionis* (*Act.* XV, 1 coll. *Gal.* II, 3). Porro hæc pars solummodo negativa esse apparet quoad formam: de facto enim *immunitatem* Gentilium a Lege sancit, saltem quoad praxim. Verùm libertas illa Ethnicorum (1) practice agnita, nonne significabat Legis observationem ad justificationem et salutem jam non esse requisitam? Equidem de Judæo-christianis nihil decretum statuit: semel tamen ac principium a S. Petro positum « per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi » Gentilibus practice applicatum fuit, nonne logice et necessario libertas omnium christianorum, etiam Judæorum, brevi ex eo deducenda erat? Licet dictum principium non iteretur in decreto, hujus tamen parti negativæ seu immunitati Ethnicorum fundamentum præbet, necnon universalitatem ac perennitatem suppeditat.

Pars positiva contrà, quatuor complectens præscriptiones suprà explicatas, quoad vim obligandi (excepta fornicationis prohibitione) *transitoria erat et localis:* simul cum adjunctis quorum intuitu opportune fuit statuta, sensim sine sensu evanuit (2). Conventus Hierosolymitanus quatuor illa præcepta, duce Jacobo, ab Ethnico-christianis observanda sancivit ad pacem et unionem Judæos inter et Ethnicos in mixtis communitatibus comparandam: avertendo nempe apud Gentiles tùm ea quæ Judæis scandalo fuissent (idolothyta (3) et

---

(1) Immerito auctores quidam — et post ipsos aliqui circuli — tenent decreto apostolico *omnium* christianorum immunitatem a Lege fuisse proclamatam, imo Legis observationem vi hujus statuti evasisse non tantum mortuam seu inutilem ad justificationem, sed mortiferam seu nocivam. Sola Ethnicorum libertas — et quidem per modum concessionis — explicite est declarata.

(2) Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 92, 96 ss.

(3) Esum carnium e sacrificiis idololatricis residuarum Lex mosaica severe damnabat (*Exod.* XXXIV, 15).

fornicatio) (1), tùm ea quæ commercio vitæ domesticæ ac socialis (v. g. mensis seu conviviis communibus) fuissent impedimento (esus sanguinis et suffocatorum a quibus Judæi (2) vehementer abhorrebant) (3).

Prudenter autem imposita est « abstinentia » ab illis rebus, ut eo facilius rueret « medius paries maceriæ » inter Judæos et Ethnicos in unam Ecclesiam coadunandos. Illa præcepta (excepto non fornicandi præcepto) nequaquam injungebantur tanquam ad salutem absolute et necessario requisita; secus enim S. Paulus decreto calculum adjicere minime potuisset (4), neque hujusmodi necessitatem principium a S. Petro (v. 11) positum et a S. Jacobo probatum secum patitur. « Necessitas » igitur de qua in decreto, erat mere per accidens, sc. propter rerum temporumque adjuncta. Mutatis enim adjunctis et crescente numero Ethnico-christianorum, præcepta de idolothytis, suffocato et sanguine pedetentim abrogata fuerunt, manente prohibitione fornicationis propter rationes intrinsecas (5).

---

(1) Cfr. *Deut.* XXIII, 17.

(2) Cfr. *Levit.* XVII, 13, 14; *Gen.* IX, 4; *Levit.* III, 17; XVII, 10 ss. — *Deut.* XII, 16, 23 etc.

(3) Ratio autem cur Ethnico-christianis quatuor illa præ cæteris servanda præscripserint Apostoli et Seniores, juxta plures Auctores esse videtur quia eadem jam ab aliquo tempore Judæi servanda postulaverint a proselytis portæ, vel potius (cfr. Wendt, *o. c.*, p. 265) a *timentibus Deum* (σεβόμενοι vel φοβούμενοι τὸν Θεόν; cfr. *Act.* X, 2, 22; XIII, 16, 26, 43, 50; XVI, 14, 26; XVII, 4, 17; XVIII, 7). Communitatibus Judæorum, præsertim Diasporæ seu Dispersionis, jamdudum plures Ethnici incircumcisi sese adjunxerant qui Deum Judæorum adorabant, sabbatum et leges rituales mosaicas circa cibos observabant. Cfr. Schürer, *Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*, V. III (1898) p. 123 ss. Præcepta hujusmodi fuisse a Judæis imposita *timentibus Deum* negat Porter apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, V. IV (1902) p. 136. — *De facto* tamen a plerisque observata fuerint. — Non sunt proprie præcepta « noachica », Cfr. Fouard, *S. Paul, ses missions*, Paris, 1892, p. 85.

(4) Cfr. Wendt, *o. c.*, p. 266. — Denney apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, V. III (1900) p. 77.

(5) « Tandisque saint Paul, avec tous les autres apôtres, maintient fortement et pour des raisons intrinsèques l'interdiction de la fornication,

Decretum igitur apostolicum *modum vivendi practicum seu disciplinarem* sancivit potius quam definitionem theoreticam et dogmaticam. Practice agnoscebatur immunitas Ethnico-christianorum a Lege, ex quo logice libertas Judæo-christianorum brevi consecutura erat. Præcepta positiva Ethnicis conversis imposita quosdam usus prohibebant Judæis maxime invisos. Ità opportune viam sternebant qua Judæi ac Gentiles pacifice in unam Ecclesiam coalescere possent, donec, mutatis adjunctis ac remoto scandali periculo, plena libertas omnium christianorum a Lege, ex præmissis in decreto apostolico positis deducta, omnibus jam consentientibus explicite proponeretur.

A. C.

II

Q. *Quid censendum de opinione quorumdam theologorum qui, ad explicandam rationem* voluntarii *in peccato originali, statuunt* hominum voluntates, vi decreti divini, voluntati Adami alligatas fuisse in ordine ad observationem vel violationem impositi præcepti.

R. Rejicienda est hæc sententia (1): nam 1/ gratis fingitur, 2/ contradictionem involvit, 3/ nec ibi ponit explicationem dogmatis ubi ponenda est.

1. *Gratis fingitur:* Nullum in favorem illius sententiæ adducitur serium argumentum ex documentis Revelationis. Quidam recurrunt ad verba Apostoli et Doctorum: « *in quo omnes peccaverunt* »; « omnes nos fuimus in Adamo »; « omnes unus ille erant ». « Sed si quis

---

sur la question des viandes immolées et des aliments il distingue s'il y a, ou s'il n'y a pas scandale, et fonde l'obligation de s'abstenir sur la charité chrétienne. (*I Cor.* VIII, 8; *Rom.* XIV) » — Thomas, *o. c.*, p. 95.

(1) Hanc propugnant, inter alios, Frassen, *Scotus Academicus*, Tract. 3, disp. 3, art. II, q. 2; Billuart, Tract. *de peccatis*, dissert. VI, art. 2, § 1; Casajoana, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ*, Barcinone, 1894, vol. IV, p. 235; proponitur etiam hæc sententia in « *Mechelschen Catechismus met uitleggingen op iedere vraag*, Mechelen, 1842, p. 35.

examinat quo sensu Patres illas locutiones intellexerint, patet illos omnes voluisse inculcare existentiam in Adamo, per originem seminis, per propaginem carnis, secundum originem seminalem ; nunquam vero illud explicavisse per inclusionem voluntatis nostræ in voluntate Adami » (1).

2. *Contradictionem involvit*: infantes enim nequeunt ullum actum *liberum* exercere, non igitur valent *committere* suam voluntatem alteri ita ut alterius electionem faciant *suam* et *sic* in altero peccante reapse peccent ; consequenter alterius culpa nequit ipsis *imputari ad culpam;* quod neque Dei voluntas efficere potest, quum contradictionem contineant hæc : non posse libertatem exercere et esse reum *actus* peccaminosi (2). — Nec etiam potest Deus habere infantes tamquam vere peccatores nisi quatenus illi realiter sint peccatores.

Nec objiciat quis : respublica et Princeps possunt, in ordine ad certos actus aut effectus morales eorum jurisdictionem non excedentes, suorum subditorum etiam non consentientium voluntatem ita alligare voluntati alterius, ut quod hic physice voluerit, censeantur moraliter velle ; sicut de facto voluntates minorum alligantur voluntati tutorum : inde, a fortiori sequitur Deum, qui ratione supremi dominii in omnes creaturas, hominum voluntates magis habet in sua potestate quam ipsi suas, posse in ordine ad quosvis effectus et consequenter etiam in ordine ad consecutionem aut amissionem bonorum supernaturalium, voluntatem cujusvis hominis (saltem necdum sui juris per plenum rationis usum) alligare voluntati alterius (3).

Respondetur negando paritatem : nam licet voluntates minorum alligentur voluntati tutorum, hæc alli-

---

(1) Lambrecht-Haelterman, *De Deo Creatore,* Gandavi, 1893, p. 741 ; cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 497.

(2) Cf. De Baets, *De ratione ac natura peccati originalis,* Lovanii, 1899, p. 74.

(3) Cf. Casajoana, op. c., p. 237.

gatio non efficere potest ut culpa tutoris sit *culpa* minorum; sed hæc alligatio huc tantum spectat ut ad *extrinsecos* quosdam effectus *censeantur* minores facere id quod facit tutor: est quædam fictio juris. — Si *decreto divino* alligarentur voluntates infantium voluntati Adami mere in ordine ad consecutionem vel amissionem bonorum supernaturalium, et si tunc consequenter ad peccatum Adami amitterent bona supernaturalia non *ideo* constituerentur vere peccatores: nam, secundum hanc explicationem, hæc privatio gratiæ non esset *voluntaria:* cf. suprà, p. 434.

Art. 39. Tous les trois ans, le gouvernement fera rapport aux chambres sur l'exécution de la présente loi.

Disposition additionnelle.

Art. 40. Les deux premières phrases du numéro 1° de l'article 3 de la loi du 28 mars 1868 sont remplacées par la disposition suivante :

« Faculté de contracter, de disposer et d'acquérir à titre onéreux, d'ester en justice, sauf les restrictions déterminées, s'il y a lieu, par arrêté royal. »

---

(1) Voir le *Rapport* de M. Claeys Boúúaert, p. 77.

Note. Le but de cet article est de *simplifier la procédure* réglée par la loi du 28 mars 1868, rendue applicable à toutes les caisses communes d'assurance agréées. Il n'y aura plus lieu de demander l'autorisation de la députation permanente, ni de recourir éventuellement au Roi. Cette disposition additionnelle reconnaît aussi plus de droits à la personnalité juridique créée par la loi (1).

Promulguons la présente loi, ordonnons qu'elle soit revêtue du sceau de l'Etat et publiée par le *Moniteur*.

Donnée à Laeken, le 24 décembre 1903.

LÉOPOLD.

Par le Roi :

Le Ministre de l'industrie et du travail,
FRANCOTTE.

Le Ministre des finances et des travaux publics,
P. DE SMET DE NAEYER.

Vu et scellé du sceau de l'Etat :

Le Ministre de la justice,
J. VAN DEN HEUVEL.

(1) *Ibid.*, p. 79.

Varia dubia de Jubilæo.

1° Quoad ecclesiam visitandam.

Fideles, qui volunt lucrari jubilæum, debent ter visitare « *ecclesiam cathedralem, si sit eo loci, vel parochialem aut, si parochialis desit, principalem* ». Ita determinat ipse Pontifex in litt. encycl. *Ad diem illum* d. d. 2 februarii 1904 (1). Porro quæritur utrum illa determinatio afficiat *ipsum locum*, an vero *incolas loci:* aliis verbis, an habitantes v. g. Brugis *debeant* visitare cathedralem et non possint satisfacere visitando alienam ecclesiam parochialem, sitam in loco qui materialiter non contineat urbi episcopali (2); similiter an habitantes extra civitatem Brugensem *debeant* adire ecclesiam parochialem propriam, si existat in loco in quo habent domicilium vel quasi-domicilium.

Pro indulgentiis *universim* a S. C. Indulg. die 28 Nov. 1759 declaratum fuit opera injuncta præstari posse « etiam extra domicilium »; hoc etiam *speciatim* pro indulgentia jubilæi vario tempore declaratum est (3). Unde recepta videbatur doctrina visitationes pro jubilæo lucrando non esse necessario instituendas in loco domicilii, quemadmodum diximus suprà p. 537.

At pro præsenti jubilæo videtur non posse urgeri istud principium. Etenim S. P. ipse determinavit verbis statim relatis ecclesias visitandas, ita quidem ut quoad hanc designationem nullam reliquerit Ordinariis potestatem (4). Verba quidem illa, prout jacebant, non derogabant aperte isti principio, uti legenti patet; sed

---

(1) Cfr *Collat. Brug.*, hoc tomo IX, p. 148.

(2) Certocertius non satisfaciunt visitando ecclesiam parochialem propriam, distinctam a cathedrali, vel non propriam, sitam in urbe episcopali. Cf. *suprà* p. 536.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 268, et hoc tomo IX, p. 537.

(4) S. Pœnit. 3 Aprilis 1904 ad V et 23 Martii 1904 ad II.

novissime declarata fuerunt a S. Pœnitentiaria sensu restrictivo libertatis fidelium. En tenor dubii: quæritur np. 2°: « Debetne Episcopus in iis locis, in quibus non est ecclesia cathedralis, sed plures sunt ecclesiæ parochiales, designare unam ex istis, quæ visitetur, an *ab omnibus et singulis est visitanda propria ecclesia parochialis?* » Resp. ad 2: « *In casu juxta Litteras Apostolicas visitandam esse ecclesiam parochialem propriam uniuscujusque fidelis.* » Dicitur *juxta Litteras Apostolicas:* harum igitur verba simpliciter *declarantur*, videlicet omnes et singuli debent visitare *ecclesiam parochialem propriam*, in iis locis in quibus non est ecclesia cathedralis, sed est parochialis, etiamsi plures sint ecclesiæ parochiales (1). Vide etiam S. Pœnit. 3 Aprilis 1904 ad II, ubi occurrit eadem designatio: propria ecclesia parochialis uniuscujusque fidelis.

Notari potest 1/ *navigantes et iter agentes*, in quorum gratiam prorogatur tempus jubilæi, posse tamen acquirere indulgentiam visitando ecclesiam parochialem vel, si desit, principalem loci, in quo versantur, modo jubilæum ibi sit apertum (suprà, p. 536-537).

2/ Ecclesiam cathedralem non designari relate ad omnes diœcesanos, sed tantum pro incolis loci, in quo extat: unde per se hi tantum satisfaciunt visitando eam.

3/ Commutari posse visitationem ecclesiæ parochialis *propriæ* in visitationem ecclesiæ parochialis *alienæ*, sed tantum in gratiam eorum qui propriam visitare *nequiverint*. Quomodo hoc sit intelligendum explicavimus suprà p. 542 sq. Signanter non sufficit quod quis notabiliter propius ad ecclesiam parochialem non suam habitet, quam ideo solet adire, vel in qua, ex licentia sui

---

(1) Hoc, saltem tamquam tutius, scribentes pro fidelibus statuimus in opusculo: *De Jubelafdaat van 1904* (Rollarii apud De Meester), p. 42: « Iedereen moet *zijne* parochiekerk bezoeken... ». Sic intelligenda est restrictio posita *ibid.* p. 41: « en men de bepaalde kerken bezoeke ». Cf. etiam suprà hoc tomo IX, p. 536.

parochi, præceptum communionis paschalis adimplere consuevit.

2° **Quoad jejunium.**

a/ *Dies jejunii:* Uti diximus suprà p. 539, potest eligi quilibet dies intra trimestre designatum, exceptis solis diebus ex præcepto ecclesiastico reservatis jejunio vel abstinentiæ stricti juris. Unde possunt fideles pro jubilæo jejunare in feria VI communi, cum tunc ex præcepto ecclesiæ non sit jejunium, imo nec abstinentia stricta; ipsis tunc licet quoque uti ovis et lacticiniis, ubi Ordinarii usi sunt facultate de qua suprà p. 538 (1).

Sicut confessio et communio *per solam regulam* præscriptæ non sunt dicendæ ideo insufficientes ad lucrandum jubilæum, ita et jejunium (suprà, p. 535 et p. 540 cum nota 4ª). Sic Sodales Tertii Ordinis S. Francisci, vi regulæ jejunantes in Vigilia Immac. Conceptionis B. M. V., ita satisfacere possunt pro jubilæo acquirendo.

b/ *Commutatio jejunii* in gratiam eorum qui annum 21ᵐ nondum compleverunt vel 60ᵐ jam excesserunt (suprà p. 539). Non potest dici pro eis generatim posse commutari jejunium, *præcise eo quod* non habeant 21 annos vel jam 60 annos adepti sint, uti obtinet pro jejunio ecclesiastico, a quo adolescentes quasi eximuntur ex consuetudine et senes de facto excusantur (2); at ipsis applicari debent principia generalia (suprà, p. 542 sq.), eo vel magis quod jejunium pro jubilæo non simpliciter imponatur, sed tantum consequenter ad liberam voluntatem acquirendi indulgentiam jubilæi. Confessarius tamen, ut monuimus supra, agat sine scrupulo: de facto

(1) Nonnulli autumarunt doctrinam, suprà p. 539 propositam juxta S. Pœnit., 3 Aprilis 1904 ad I, parum cohærere cum declaratione Revᵐⁱ Episcopi Brugensis (*Dispositif pour le Jubilé*, III, 4): sed hæc supponit fideles uti ovis et lacticiniis, et tunc non licet sumere diem jejunii jam præcepti. — Liceat hic notare ad notam 1ᵐ p. 539 (et in opusc. nostro p 46) Episcopum Leodiensem post editas litteras de Jubilæo usum esse facultate circa ova et lacticinia.

(2) Cf. Illᵐⁱ ac Revᵐⁱ Waffelaert, *De Temperantia* (Brugis 1889), n. 63 et 81.

enim longe pluribus privilegium commutationis concedi poterit.

3° **Quoad potestatem commutandi.**

Ut plurium dubia solvantur, juvat hic referre declarationem S. Pœnitentiariæ d. d. 3 Aprilis 1904, ad VIII: « Quæritur utrum in hoc jubilæo possit unus idemque pœnitens pluries éligere confessarium, et erga illum confessarius confessariive pluries uti facultatibus jubilæi, *quamdiu dictus pœnitens opera omnia jubilæi nondum perfecerit?* » Resp. *Affirmative.* Quamdiu igitur ultimum opus jubilæi non adimpleverit, potest pœnitens obtinere commutationem adeundo, pro tutiori in confessione, sive eumdem confessarium sive diversum *(confessarius confessariive).* Sic in casu aliquo proposito: Petrus instituit confessionem pro jubilæo, in qua non petiit commutationem in jejunio; sed die qua incœpit jejunare, experitur se non posse jejunare et de facto non jejunat. Nunc, post aliquod tempus, petit in nova confessione commutationem. Potest confessarius erga ipsum uti facultate commutandi.

H. M.

Ex S. Congregatione Concilii

De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, p. 595 et seq.).

Ad IV/.

Triplicem articulum hucusque interpretatum in hunc finem vidimus directum ne intentiones missarum nimium retardentur ac oblivione negligantur. Quapropter rite determinantur limites temporis pro exoneratione relicti, quorum limitum stricta ratio est habenda in accipiendis et quærendis missarum stipendiis : qua ratione aditus præcluditur abusui quo privata persona majorem quam par est numerum missarum, licet sponte oblatarum, in manus congerat, quam congeriem uti præcipuum fontem retardationis ac neglectus missarum semper habuit S. Congregatio.

Quem missarum cumulum ut efficacius adhuc impediret S. Sedes, urget et explicat decretum *Vigilanti Studio*, in hac re latum anno 1893 (1), in quo, ad tramites Constitutionum ac decretorum Urbani VIII et Innocentii XII (2), decernitur ut « in posterum omnes

---

(1) Integrum decretum *Vigilanti* fuit insertum in Epistola circulari Episcopi Brugensis ad clerum diei 1 Dec. 1903. *Collect. Epist. Pastor.*, tom. XV, p. 328 et seq.

(2) Ad eadem statuta, simul et ad Bened. XIV opera (*De Synodo diœces.*, l. V, c. 8 et seq.; *Instit.*, LXI; *De sacrif. missæ*, l. III, c. 21 et seq.) jam remisit decretum S. C. C. 9 Sept. 1874, sub nº 8 et 9, ubi quærebatur a/ « an et quid agendum ab Episcopis, ne in... sanctuariis plures missarum eleemosynæ congerantur, quam quæ ibi infra præscriptum seu breve tempus absolvi queant »; et b/ An et quid agendum ab Episcopis ut missæ, sive quæ singulis sacerdotibus, sive quæ ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandæ committuntur, accurate et fideliter persolvantur.

Porro in dicta Constitutione Innocentii XII, providetur ut rectores

et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, *in fine cujuslibet anni* missarum onera, quæ reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, *propriis Ordinariis* tradant juxta modum ab iis definiendum ».

Jamvero concors non erat auctorum sententia in determinando anno in cujus fine missarum onera sunt Ordinario tradenda : aliis sumentibus finem anni civilis (a 1ª Januarii ad 31ᵐ Decembris) quo currente missæ fundatæ sunt celebrandæ, vel manuales sunt acceptæ, aliis vero spatium duodecim mensium inde a die susceptæ obligationis manualis vel a die exonerandæ missæ fundatæ. Cf. Santi-Leitner, *Prælectiones Juris Canonici*, 1899, l. V, p. 46-47 ; Vermeersch, *De Religiosis institutis et personis, Supplementa periodica,* Serie 1ª, nº 2, p. 49. Accurate autem et sublata omni ambiguitate, enucleatur mens S. Sedis volentis ut *pro missis fundatis* aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi incipiat *a fine illius anni* (civilis) intra quem onera impleri debuissent : pro missis vero *manualibus* obligatio eas deponendi incipiat *post annum a die suscepti oneris*.

---

ecclesiæ « teneantur conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum ; et quorum implemento, si moraliter et infra psæscriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, aliàs missas sive perpetuas sive temporales sive manuales per se vel per interpositas personas quoquo modo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant ; et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse ».

In decreto autem Urbani VIII injungebatur ecclesiæ rectori ut auferret in casu capsulas cum inscriptione : *Eleemosyna pro missis*, vel alia simili. Cf. tenorem ex integro relatum apud Gasparri, *Tractatus canonicus de SS. Euchar.*, II, pp. 436 et seq. ; cf. etiam apud eumdem auctorem, op. cit., tom. I, n. 579 et 580, similes cautelas jam præscriptas a S. C. Conc. 13 Junii 1626 et 8 Martii 1659.

Quocirca nota: 1°/ Quod nonnullis, uti Santi, l. c., dubium videbatur, nunc inhæsitanter est asserendum, præsentem nempe dispositionem, ex decreto *Vigilanti* excerptam, applicari missis tam *manualibus* quam *fundatis;*

2°/ *Proprius Ordinarius*, cui in fine anni concredenda jubentur missarum onera quibus nondum est satisfactum, est *Episcopus*, si missas excipias in Regularium (1) ecclesiis celebrandas: hæ namque in manus *Superioris regularis,* utpote proprii Regularium Ordinarii, sunt remittendæ, nisi agatur de missis quæ persolvendæ committuntur opera et sumptibus confraternitatis laicorum existentis in ecclesia regularium, vel de missis celebrandis a sacerdote sæculari, ab hærede legatario deputato pro adimplemento oneris missarum, quæ, juxta mentem fundatoris vel testatoris, exonerari debent in ecclesia Regularium. Quæ omnia dilucidè exposita videsis in *Causa*, die 21 Maii 1904 acta coram S. Congr. Concilii, quam causam exhibet *R. th. fr.*, 1904, p. 458 et seq., signanter attentis dictis p. 460.

3°/ Finis anni in quo tradendæ sunt missarum obligationes non adimpletæ, non est sumendus mathematice, sed cum aliqua latitudine morali.

4°/ In ipso tenore præsentis decreti memoratur exceptio sedulò attendenda ac directe afficiens missas manuales. Nimirum non valet præfata dispositio nisi in quantum non obstant præscriptiones præcedentes vel contraria voluntas oblatorum.

Et ita ex una parte missæ quæ, juxta legem supra statutam vel positivam donatorum intentionem, exonerandæ sunt infra spatium anno brevius, non possunt usque ad finem anni servari sed, si infra tempus utile

---

(1) « Profecto hic non habetur ratio de diœcesanis religiosorum congregationibus, quæ a respectivis Episcopis pendent, sed de regularibus stricte sumptis, qui apostolico exemptionis privilegio fruuntur ». Cf. *Causam* 21 Maii 1904.

non sunt celebratæ, debent, transacto tempore utili, illico ad Ordinarium transmitti ; ex alia parte non cadunt sub lege missæ quarum celebratio, de consensu explicito vel implicito eleemosynam erogantis, ultra annum potest differri, juxta superius dicta p. 605.

Applicatur ergo memorata clausula, præterquam ad missas fundatas, etiam ad missas manuales, sed ad illas dumtaxat quarum exoneratio, sive ratione numeri, juxta computum supra propositum determinandi, sive attenta voluntate offerentium, non urget ante finem duodecimi mensis inde a receptione nec etiam moraliter ultra annum differri potest: qua ratione a præscriptione non attinguntur missæ quæ passim offeruntur ut celebrentur in ecclesiis, in quibus noscuntur ultra annum procrastinandæ, cum censeatur consensus in tantam dilationem implicite accedere.

5°/ Additur in fine articuli hanc præscriptionem, quemadmodum et illas quæ præcedunt, obligare *sub gravi;* adeo ut quicumque limites, pro missarum oneribus adimplendis vel ad Ordinarium transmittendis delineatos, *notabiliter* excedere præsumeret, gravis reatus piaculum non effugeret (1).

Ad V/.

Illi qui possunt de aliqua missarum copia disponere, possunt eas, sive manuales sint sive fundatæ, curæ transmittere proprii Ordinarii aut S. Sedis, vel eas tradere celebrandas sacerdotibus personaliter notis ac probatis omnique exceptione majoribus.

Ad hoc autem ut dicta libertate uti possint, oportet ut agatur de missis quæ, attenta voluntate donatorum aut fundatorum, non sunt adnexæ determinato loco, et

---

(1) Utrum autem *grave* peccatum inducat *unius* missæ procrastinatio notabiliter major quam oportet, solutam præsupponit quæstionem, quam hic prætermittimus, utrum nempe gravem injuriam committat qui *unam* missam ex stipendio debitam omittit; quam quæstionem in sensum rigidiorem solutam invenies apud S. Alph., l. VI, n. 317; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, II, n. 199; Gasparri, op. cit., I, n. 584 et Lahousse, *De Euchar.*, n. 215.

quarum tempus utile pro exoneratione nondum præteriit: quo pacto missæ fundatæ non videntur posse confratribus tradi post transactum annum intra quem onera erant persolvenda, neque, uti jam innuimus sub IV, missæ manuales quarum tempus legale evanuit; quæ omnes missæ, juxta præcedentis articuli dispositionem, apud Ordinarium essent deponendæ.

In hunc sensum mandat Episcopis Metensis: « Les messes manuelles pour lesquelles le temps utile est écoulé (art. 2 et 4 du décret), ne peuvent plus être envoyées à des confrères, mais elles doivent être transmises immédiatement à l'Ordinaire ». Cf. *Communications officielles de l'Evêché* du 22 Juillet 1904, apud *Revue écclés. de Metz,* 1904, p. 481 et seq. In eumdem sensum instructionem pro clero dedit Episcopus Argentinensis, apud *Strassburger Diözesanblatt*, 1904, p. 225.

Cæterum in tenore decreti non limitatur libertas missas confratribus distribuentium ad confratres ejusdem diœceseos, nec ulla habetur restrictio pro casu quo Episcopus missas exteris sacerdotibus distribuendas prohiberet, ita ut auctores nonnulli, inter quos Boudinhon, *Canon. Contemp.,* 1904, p. 460-461 et Vermeersch, l. c., p. 49, sub 7°, Gasparri, op. cit, I, n. 583, in hanc sententiam inclinent, juxta quam Episcopus non posset in hac re libertatem subditorum a S. Sede intactam servatam restringere ac coarctare.

Tandem nota providè monitum a laudato Episcopo Metensi, l. c.: « En transmettant, soit à l'ordinaire, soit à un confrère, les intentions de messes que l'on ne peut acquitter soi-même, on aura soin de faire connaître les jours auxquelles elles doivent être acquittées, si elles sont fondées ou à jour fixe; pour les autres ou indiquera les jours auquels les messes ont été offertes par les donateurs ».

Ad VI/.

Hic notatur distinctio facienda, *quoad obligationis*

extinctionem, inter duplicem hypothesim articuli præcedentis: prout aliquis missas acceptas curæ commiserit proprii Ordinarii seu S. Sedis, vel fidei dederit confratris in sacerdotio.

Nimirum in *prima* hypothesi ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia declaratur relevari; in *altera* vero hypothesi manet missarum translator obligationi obnoxius, donec de executione certitudinem sit assecutus: adeo ut, si missarum celebratio quacumque ex causa negligatur, sive morte sacerdotis, sive aliter, defectui supplere ipse teneatur (1). Quæ obligatio defectui supplendi subsisteret etiam in casu quo sacerdos missas, quas accepit translatas, tertio sacerdoti tradiderit, et neque hic tertius sacerdos neque intermedius susceptæ obligationi steterint.

Tutior via ad certitudinem assequendam de missarum celebratione peracta a sacerdote, cui missæ sunt traditæ, est in exigendo documento in quo ipse testetur oneri suscepto factum esse satis: quæ via ab ipsa S. Congr. expresse est indigitata, non est tamen jure communi uti obligatoria habenda quotiescumque alio modo necessaria certitudo obtineri potest.

Quæ severa disciplina ostendit quantopere sollicita sit Ecclesia de missarum fideli et accurata exoneratione, et quantopere intersit ut unusquisque sedulò curet onera suæ fidei commissa: quod valet non tantum de rectore ecclesiæ in qua missæ sunt celebrandæ, sed etiam de privato sacerdote.

Quod autem attinet *rectores ecclesiæ*, huc spectat monitum præsentis decreti in penultimo alinea recensitum: officii scilicet esse singulorum Ordinariorum (Episcopi vel Prælati regularis) curare ut in singulis ecclesiis habeatur 1/ tabella inscripta referens onera perpetua seu fundationes, 2/ liber in quo manuales missæ quæ a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna re-

---

1) Notatam distinctionem jam memorat Gasparri, op. cit., I, n. 582.

censeantur, ac 3/ libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Quam cautelam adhibendam olim jam proposuit Innocentius XII (1), eamque, in quantum spectat onera fundata, non semel in memoriam revocarunt Episcopi Brugenses (2).

Ad hunc autem locum notat Boudinhon, l. c., p. 462: « Rien n'empêche, en ce qui concerne les messes manuelles, que le régistre d'inscription serve également à noter la célébration. Le texte n'exige pas que ce soit le prêtre lui-même qui écrive la décharge en notant la célébration qu'il vient de faire ». Strictam tamen decreti observantiam urgent Episcopus Metensis in memoratis litteris 22 Julii 1904, l. c., necnon Episcopus Argentinensis, l. c. p. 226.

---

(1) « Iidemque (ecclesiæ rectores) teneantur pariter in sacrario duos libros retinere; ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte ac diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione et diligentia, tam præfati a quibus rationes debent reddi, quam Superiores quibus reddendæ erunt, describere sive annotare, sive describendas vel annotandas curare ».

(2) Ita inter ordinationes diei 1ae Aprilis 1835, nº 2, legitur: « Ne scopus a piis fundatoribus intentus, per oblivionem vel ignorantiam suo frustretur effectu, deinceps curent Pastores et Deservitores ut in suis sacristiis affixus sit elenchus fundationum annue exonerandarum, cum designato cuilibet die ». *Collect. epist. pastor*, tom. I, p. 168.

In Congregatione Prosynodali anni 1872 præceptum est « ut tabella fundationum in sacristia appensa singulo quadriennio renovetur, appositis data renovationis et signatura R. D. Pastoris ». *Collect. Epist Pastor.*, tom. XII, p. 97. Tandem in congr. prosyn. anni 1873 (ibidem, p. 153) statutum est ut « præter tabellam quæ in sacristia appensa esse debet, quadriennio singulo renovanda, habeatur in archivio pastoratus registrum in quo tituli originales fundationum quarumlibet fideliter describantur, et reductiones, si quæ sint, in extenso adnotentur.

Ut vero omne periculum prætermittendi officia fundata caveatur, (injungitur) ut, in speciali libello, singulæ fundationis exoneratio, simul ac obtinuerit, consignetur ».

Circa curam habendam *a privato sacerdote* de notanda missarum acceptatione ac exoneratione, nihil expresse statuendum censuit S. Congr., sed sufficienter innuit similem methodum opportune servandam; quod rursus suis sacerdotibus inculcat Præsul Metensis addito monito: « Tous les autres prêtres (vicaires, professeurs, prêtres habitués etc. seu omnes non rectores ecclesiæ) doivent tenir un régistre personnel d'inscription des messes manuelles conforme au modèle A, et dans lequel ils noteront en outre le jour où ils ont acquitté chaque messe » (1).

Ad VII/.

Indicantur hic nonnullæ normæ ab Ordinario observandæ circa missas quæ, in fine anni relictæ, debent apud ipsum deponi vel quæ, vi articuli 5i, ipsi sponte committuntur. Nimirum

1°/ Debet illas in librum cum respectiva eleemosyna ex ordine referre;

2°/ Debet pro viribus curare ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quæ ad instar manualium sunt, seu quæ, juxta notionem superius datam, in aliqua ecclesia fuerunt fundatæ vel beneficio adnexa, sed quæ in propria ecclesia vel a proprio beneficiario non potuerunt celebrari;

3°/ In distributione servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos quos eis indigere noverint; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extradiœcesanis, dummodò sibi noti sint omnique exceptione majores ».

4°/ attendendam habent dispositionem juris circa obligationis extinctionem, de qua sub art. VI, sese

(1) « Le prêtre, ait Boudinhon, l. c., p. 462, est obligé en conscience, et de nombreux statuts lui en font un devoir, de tenir exactement les comptes des honoraires de messes qui lui ont été remis directement et de noter soigneusement leur célébration ».

nempe ab omni obligatione liberari respectu missarum S. Sedi aut alii Ordinario traditarum, obligationi autem manere obnoxium pro missis ad sacerdotes translatis, donec actæ celebrationis fidem obtinuerint: quod documentum exigendum jam voluit decretum *Vigilanti*.

Hucusque *pars prior* decreti, quæ tota quanta, in variis suis dispositionibus, ad hoc tendit ut missarum tempestivæ exonerationi provideatur earumque oblivioni ac frustrationi ex incuria ac negligentia Sacerdotum efficacius occurratur. Sequetur *altera pars* severius cohibens omne mercimonium ope missarum exercendum vel turpe lucrum capescendum.

A. D. S.

(Sequetur).

E Sacra Congregatione Rituum

I

DUBIUM

Consuetudo non adhibendi conopeum, quo operitur tabernaculum SS. Sacramenti, servari nequit.

Ab hodierno cæremoniarum magistro cujusdam ecclesiæ cathedralis expostulatum fuit: An servari possit consuetudo non adhibendi conopeum quo tegi debet tabernaculum ubi asservatur SS^mum^ Eucharistiæ Sacramentum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ, respondendum censuit: *Negative et serventur Rituale Romanum et Decreta.*

Atque ita rescripsit. Die 1 Julii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Adnotationes. — Rituale Romanum, tit. IV, cap. 1, *De SS. Eucharistiæ Sacramento*, n. 6, expressis verbis præscribit ut SS. Sacramenti « tabernaculum conopeo decenter opertum » sit.

Cujus præscripti obligationem pluries S. R. C. inculcavit. Ita notatim rescripsit: « Tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum, conopeo cooperiri debet, ut fert Rituale ». (1)

Ab illa obligatione generali non est immune tabernaculum « argento, auro vel alia pretiosa materia confectum » (2). — Nec excusat usus etiam antiquus tabernaculum « intus tantum velo pulchriori serico,

(1) Dec. S. R. C. *Briocen.*, 21 Jul. 1855, n. 3035, ad 10, 2/.
(2) Dec. S. R. C. *Auxitana*, 7 Aug. 1880, n. 3520.

sæpe etiam argento aut auro intexto ornandi ». Respondit enim S. R. C. « usum veli prædicti tolerari posse; sed tabernaculum tegendum est conopeo, juxta præscriptum Ritualis Romani » (1). — Pariter reprobatus est usus « loco conopei, apponendi ad ostium tabernaculi, in quo SS. Eucharistia asservatur, tabulam quandoque ex metallo, quandoque ex tela acu picta, vel etiam ex moderni temporis charta dicta oleographica, in qua apparent symbola: SS^a Eucharistia, vel SS^m Nomen Jesu aut alia hujusmodi, imo aliquando imago Beatæ Mariæ Virginis ». (2)

Excusat autem moralis impossibilitas, puta ubi tabernaculum est tantæ magnitudinis, aut altaris retabulo ita inhæret, ut superior altaris structura vix non integra esset conopeo circumducenda. Hoc sane nec intendit Rubrica, nec congrue fieri posset. Quare nonnullæ Urbis Basilicæ majores, probantibus auctoribus (3), tabernaculo conopeum non superimponunt. Eadem de causa plures ecclesiæ in nostra quoque diœcesi excusandæ sunt. Pro ceteris autem ecclesiis, nonobstante consuetudine contraria, manet in pleno vigore, ut patet ex responso prælaudato, Ritualis Romani præceptum, cui attendendum est ab iis etiam qui altare aut tabernaculum novum erigendi curam suscipiunt.

Conopeum confici potest ex serico, aut etiam « ex panno sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto » (4).

Ad colorem quod attinet, potest esse semper coloris albi, utpote convenientis SS° Sacramento; potest etiam esse ejusdem coloris cujus sunt pallium altaris et cetera paramenta, pro temporis festique ratione, præter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exsequiis

(1) Dec. S. R. C. *S. Jacobi de Cile*, 28 Apr. 1866, n. 3150.

(2) Decr. S. R. C. *Mexicana*, 10 Sept. 1898, n. 4000, ad 1.

(3) Cf. *Ephem. liturgicæ*, T. VI, 1892, p. 29; T. VIII, 1894, p. 360; Ill. Van der Stappen, *De administrat. Sacramentorum*, q. 154, VI.

(4) Dec. S. R. C. *Briocen.*, 21 Julii 1855, n. 3035, ad 10, b/.

defunctorum. Prior modus sane facilior est, alter vero magis conformis votis S. R. Congregationis (1).

Abs re forte non erit in memoriam revocare præceptum esse Ritualis Romani ut pyxis quoque sit « *albo velo cooperta* » (2).

II

De genuflexione facienda in transitu ante altare inter Consecrationem et Communionem Missæ.

RHEMEN.

Hodiernus Canonicus cæremoniarum magister ecclesiæ metropolitanæ Rhemensis, de consensu sui R^mi^ Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione humillime proposuit, videlicet:

I. Utrum Canonici, ante altare in quo Missa celebratur transeuntes a consecratione usque ad communionem, genuflexionem duplicem nempe utroque genu efficere debeant, an genu dexterum tantum usque in terram flectere?

II. Utrum idem modus genuflectendi servari etiam debeat a quolibet sacerdote qui, sive ad altare procedit Missam celebraturus, sive redit celebrata Missa, transit ante aliud altare in quo tunc Missa celebratur et est inter consecrationem et communionem?

III. Utrum eodem modo genuflectere debeant ceroferarii qui ab altari discedunt post consecrationem, cum intorticia in sacristiam referunt et cum statim ad loca sua prope altare redeunt?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Negative et serventur Rubricæ De ritu celebrandi, tit. II, n. 1.*

---

(1) Ibid. ad 10, c/. Cf. *Nouv. Rev. Théol.*, XIII, 1881, pp. 176 ss. Cf. *Coll. Brugen.*, p. 288.

(2) Rit. Rom., tit. IV, cap. I, n. 5.

Ad III. *Genuflectant unico genu:*
Atque ita rescripsit, die 20 Maii 1904.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotationes. *Ad primum et tertium.* — A S. R. Cong. sancita fuit regula generalis ut « quando SS. Eucharistiæ Sacramentum publice discoopertum — aut etiam in pyxide patenter (1) — exponitur, omnes ante illud transeuntes (2), cujusvis conditionis et ordinis sint, seu ad illud accedentes et ab eodem recedentes semper *utrumque genu* flectere debeant » (3).

Quam regulam plures auctores extendebant ad casum SS. Sacramenti super mensa altaris depositi a consecratione ad communionem Missæ, quia SS. Sacramentum, aiebant, tunc est tanquam publicæ venerationi solemniter expositum.

De duplici casu speciali interrogata S. R. C. nunc respondet a/ canonicos transeuntes ante altare in quo missa celebratur a consecratione ad communionem et b/ ceroferarios post consecrationem ab altari recedentes ad sacristiam et inde ad altare redeuntes *unicum tantum genu* flectere debere. Hæc responsa innituntur sane huic rationi SS. Sacramentum, in mensa altaris infra sacrificium depositum, ab iis qui non sunt in altari (4), non esse habendum ut publice et patenter expositum sed potius quasi esset in tabernaculo inclusum. Et revera, pro iis qui non assistunt ad latera celebrantis, abscon-

(1) Dec. S. R. C. *Varsavien*, 7 Maii 1746, n. 2390, ad 4.

(2) Nota hic non agi de casu quo celebrans vel ministri infra missam quæ celebratur cum expositione SS. Sacramenti, transeunt ante altaris medium, ad illud accedunt aut ab eo recedunt in functionibus quæ ad altare fiunt. Tunc enim semper genuflexio simplex est facienda.

(3) Dec. S. R. C., *Urbis*, 19 Aug. 1651, n. 937, ad 6.

(4) De genuflexionibus faciendis in altari a diacono et subdiacono, Sacramento exstante super altari, vide dec. S. C. R. *plurium diœcesium*, 9 Junii 1899, n. 4027; cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 263.

ditur Sacramentum a persona celebrantis, fere uti occultatur ostio tabernaculi.

Unde, ni fallamur, deducere licet regulam generalem, ut qui, inter elevationem et communionem missæ, transeunt ante altare aut ab illo recedunt, aut ad illud accedunt, coram SS. Sacramento in mensa altaris deposito unicum tantum genu flectant.

Ad secundum. — Sacerdos, de quo in hoc dubio, *nullam genuflexionem aut reverentiam* facere debet, quamvis aliter docuerint multi auctores. Non debet genuflectere eodem modo ac canonici de quibus ad I, h. e. unico genu; neque utroque genu, quia non tenetur majorem reverentiam facere quam ministri inferiores, ut ceroferarii de quibus ad III. Ceterum, pro transitu admodum frequenti de quo hic quæritur, nulla reverentia præscribitur in Rubrica *De ritu celebr.*, tit. II, n. 1, ad quam remittit S. R. C. et in qua tractantur minutim diversi casus qui occurrere solent. « Si contigerit celebraturum transire *ante altare majus,* capite cooperto faciat ad illud reverentiam [capitis inclinationem profundam]. Si *ante locum Sacramenti* [ante altare ubi permanenter asservatur SS. Sacramentum], genuflectat [unico genu, capite cooperto]. Si ante altare ubi celebretur missa in qua *elevatur* vel *tunc ministratur,* similiter genuflectat [utroque genu] et detecto capite illud adoret, nec ante surgat quam celebrans deposuerit calicem super corporale » (1).

Manet igitur ut in præfato transitu servet illud quod eadem rubrica (eodem numero) præscribit, ut nempe celebraturus « procedat *oculis demissis,* incessu gravi, erecto corpore », et finita Missa « eo modo quo venerat redeat ad sacristiam, interim dicens antiphonam : *Trium...* » Et in hoc præscripto invenitur ratio et

(1) Quoad S. Communionis distributionem declaravit tamen S. R. C. quod « sacerdos missam celebraturus transiens ante altare ubi fit populi communio, non debeat permanere genuflexus quousque terminetur communio ». Dec. *Collen.*, 5 Julii 1698, n. 2002, ad 14.

explicatio totius quæstionis præsentis, ut nempe sacerdos debitam servare possit recollectionem. Celebrans enim supponitur, quin circumspiciat, optime novisse ubinam sit altare majus et locus SS. Sacramenti et facile percipere, campanulæ sonitu vel populi concursu, ubinam fiat elevatio vel distributio S. Communionis. Sed quomodo posset *oculis demissis* procedere, si teneretur inquirere utrum missæ, quæ forte celebrentur ad diversa altaria ante quæ transit, sint inter elevationem et communionem?

Indirecte urget ita S. R. C. rubricam, quam eheu! non adeo pauci parvipendunt et negligunt, quum tamen ejus observantia tam egregie conferat ad propriam celebrantis devotionem et ad populi ædificationem, et in textu rubricarum fere toties expressis verbis inculcetur, quoties celebrans se vertere debet ad populum: *oculis in terram demissis* (v. g. V. 1; VII, 7; XII, 1).

III

Extenditur privilegium missæ votivæ de Immaculata Conceptione.

Decretum S. R. C. *Urbis et Orbis*, 22 Junii 1904 (1), hæc statuit:

Summus Pontifex... missam votivam de ipsamet Immaculata Conceptione qualibet die octava uniuscujusque mensis vel dominica sequenti una cum Ejusdem commemoratione, indultam per Decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* die 14 Augusti 1903, extendere dignatus est ad singulos dies triduanæ vel novenariæ festivitatis quæ in quibusvis ecclesiis seu oratoriis, approbante loci Ordinario, in honorem Virginis Immaculatæ intra hunc vel proximum annum instituetur, servatis tamen ceteris clausulis et conditionibus quæ in memorato decreto præscriptæ sunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

(1) Quod vide integrum ap. *Nouv. Revue Théol.*, 1904, p. 553.

Nota: 1/ Privilegium valere ex nunc usque ad finem anni 1905;

2/ Concedi non pro die octava cujusque mensis aut Dominica immediate sequenti, ut factum est per annum 1904, sed pro singulis diebus cujuscumque tridui vel novenæ quæ, approbante loci Ordinario, celebretur in honorem Virginis Immaculatæ;

3/ Extendi utramque concessionem decreto 14 Augusti 1903 (1) factam, nempe a/ cantandi vel legendi unicam missam votivam de Immaculata Conceptione, et b/ addendi, servatis tamen in omnibus rubricis, commemorationem Immaculatæ Conceptionis, ad instar festi duplicis simplificati, ceteris missis quæ præfatis diebus in iisdem ecclesiis aut oratoriis celebrantur.

4/ Servandas esse restrictiones et clausulas in decreto 14 Augusti 1903 expressas, ita ut missa votiva, quæ dicenda est cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione, dici nequeat quando occurrit « festum duplex primæ classis, aut dominica item primæ classis, aliquod festum ejusdem B. Mariæ Virginis, feria, vigilia aut octava ex privilegiatis: in quibus solummodo commemoratio (2) fieri poterit per orationem missæ votivæ post orationem missæ de die, sub unica conclusione ».

C. C.

---

(1) *Collat. Brug.*, p. 123 ss.

(2) Ut patet, hæc ipsa commemoratio Immaculatæ Conceptionis omittenda erit in missis festivis de B. Maria Virgine.

Ex S. Congr. S. R. et U. Inquisitionis

Coram Supremo Tribunali propositum fuit sequens dubium: Episcopus N., Vicario Generali destitutus, alium sacerdotem delegaverat ad exequendas dispensationes matrimoniales a S. Sede elargitas, super cujus delegationis ac dispensationis executionis valore interrogata S. Pœnitentiaria responderat *negative*. Porro idem Episcopus postulat a Congr. S. Officii quomodo hæc S. Pœnitentiariæ solutio sit componenda cum decreto ejusdem S. Officii 14-17 Decembris 1898, juxta quod Episcopus potest « subdelegare, absque speciali concessione, suis Vicariis Generalibus aut aliis ecclesiasticis... facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas, dummodo id in facultatibus non prohibeatur neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctetur ». Cf. *Collat.*, VI, p. 127 in nota.

Jamvero respondit C. S. O., die 1ª Junii 1904: « Præfatam responsionem S. Pœnitentiariæ haud opponi resolutioni fer. IV, 14 Dec. 1898: illa enim respicit purum ministerium; hæc veram et propriam dispensandi potestatem ».

Adnotationes.

Nimirum in negotio dispensationum matrimonialium sedulò distinguendæ sunt duæ hypotheses, ab Episcopo consulente non satis attentæ: prior ubi Episcopus seu potius Ordinarius delegatur ad dispensationem executioni mandandam, quam ipsa S. Sedes in forma commissoria concessit in gratiam alicujus personæ in individuo determinatæ; altera vero ubi Episcopus vera facultate munitur, qua, infra limites in indulti tenore indicatos, uti possit, pro arbitrio suo, ut ipse dispenset super uno alterove impedimento.

In *priori* casu Episcopus, relaxando impedimentum, vero sensu non dispensat sed mere exequitur dispensationem jam impertitam, ac *purum exercet ministerium* (1),

(1) In dispensationis Romanæ executione, quemadmodum, apud *Collat.*, VI, p. 125, monuimus, exercetur nudum ministerium in absolu-

seu particulare mandatum ipsi a S. Sede personaliter concreditum: quod proinde, nisi id fuerit expresse concessum (1), nequit subdelegari. Quo pacto dispensationes Romanæ, quas, tom. VI *Collat.*, p. 124 et seq., vidimus semper committi Ordinario, ab ipso Ordinario, seu ab Episcopo vel Vicario Generali (aut ab alio qui, ad tramites decreti 20 Febr. 1888, venit sub nomine Ordinarii), sunt executioni mandandæ, quin possit ad hoc, sub pœna nullitatis, alium sacerdotem committere. Unica fit exceptio, nempe relate ad alium Ordinarium quem potest Ordinarius executor, sic expresse providente decreto 1888, sibi pro executione substituere.

Altera hypothesis verificatur pro facultatibus quibus gaudere solent Episcopi Belgii, sive quinquennalibus sive annalibus, quibus, pro opportunitate, uti possunt cum subditis quibuscumque. In usu hujusmodi facultatum non exercet Episcopus merum ministerium sed veram *jurisdictionalem potestatem*, ac nihil impedit quominus aliis delegentur. Nec obstat quod et ipsa potestas Episcopi sit delegata; est enim delegata a S. Pontifice et, juxta vulgatum adagium juris, delegatus a Principe subdelegare potest. Quod cæteroquin authentice confirmavit laudatum decretum 1898, uti jam notavimus apud *Collat.*, VI, l. c.

A. D. S.

---

tione danda, in pœnitentia injungenda, in impedimento relaxando ac prole legitimanda, non autem in informationibus prævie capiendis, quæ instituuntur per modum jurisdictionis adeoque ad quas subdelegare potest Ordinarius.

(1) Hæc specialis concessio passim occurrit in Rescriptis Romanis pro absolutione danda. Cf. *Collat.*, VI, p. 37.

Ex S. Congr. Indulgentiarum

Invocatio: « Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis ».

SS. D. Pius PP. X per decretum Urbis et Orbis, datum ex Secretaria S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, die 17 Junii 1904 « universis e christiano populo, qui *una cum ipso Sacerdote*, post *privatam* Missæ celebrationem precibus jam indictis præfatam invocationem addiderint, Indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum*, defunctis quoque applicabilem, benigne elargiri » dignatus est (1).

Adverte fideles hanc indulgentiam non lucrari, nisi trinam illam invocationem recitent *una cum ipso Sacerdote* post privatam Missæ celebrationem.

Recentius declaravit eadem S. C. d.d. 19 Augusti, ad I, quod « ad lucrandas Indulgentias sufficiat, ut Sacerdos dicat tantum: « *Cor Jesu Sacratissimum* », et populus respondeat: « *Miserere nobis* ». Ad quæstionem verò utrum præfatæ invocationis recitatio post privatam Missæ celebrationem sit obligatoria, respondit (ad II): « Quamvis obligatio proprii nominis a Summo Pontifice imposita non sit, vult tamen Beatissimus Pater, ut conformitati consulatur, ac proinde singuli Sacerdotes ad eam invocationem recitandam adhortentur » (2).

(1) Decretum integrum exhibent *Analecta ecclesiastica*, a. 1904, p. 301.
(2) Decretum exhibent *Ephemerides liturgicæ* a. 1904, p. 595.

Libri dijudicantur.

Les Bases de l'Apologétique. — Pages de Philosophie par le CHANOINE APPELMANS, *professeur de philosophie au petit séminaire de Malines*. Seconde édition — Malines, Dierickx-Beke fils, 1904. Pr. 2,50 fr^s.

Hoc in opere, quod tribus constat partibus, exponit cl. A. tres quæstiones summi momenti. In prima parte demonstratur *Dei existentia:* ex hoc quod scientiarum naturalium cultores demonstraverunt in natura reapse non contingere *generationem spontaneam* recte concludit A. ad existentiam alicujus Viventis qui sit causa viventium in terra nostra, pp. 15-40; deinde ex entibus qua *contingentibus* deducitur existere ens necessarium, pp. 41-47; tandem ex *ordine* mundi ostenditur existere intellectus ordinans, pp. 48-76 (1).

In secunda parte agitur de animæ *spiritualitate*: post traditam definitionem, pp. 83-90 (2), spiritualem esse animam humanam propugnat A. ex appetitu rerum immaterialium, ex libertate, ex reflexione perfecta, ex cognitione rationum *universalium*. Optima certe argumenta et generatim clare ac solide explicata ab auctore. Attamen duo hîc occurrunt asserta quæ, saltem quoad modum loquendi, probanda non sunt: « Pour qu'une

(1) In nota ad p. 53 legitur: L'aphorisme « le hasard est l'incognito de la Providence » n'est guère heureux; du moment que la Providence s'en mêle, il n'y a plus de place pour le hasard, à moins qu'on ne veuille voir partout l'action directe de la Providence, ce qui serait manifestement exagéré Non apparet cur hoc sit exaggeratum: etenim « Quum nihil aliud sit Dei providentia quam ratio ordinis rerum in finem, ut dictum est, necesse est *omnia, in quantum participant esse*, in tantum subdi divinæ providentiæ » S. Thomas, I, Q. XXII, a 2.

(2) Quædam minus clara occurrunt pp. 88, 89, 93. — In ordine *ontologico* operatio dependet a natura operantis: operari enim sequitur esse: ideo qualis natura talis operatio; non e converso. Sed in ordine *logico* sæpe ex cognitione operationis acquirimus cognitionem naturæ operantis.

connaissance se produise l'objet à connaître doit agir sur le sujet connaissant » p. 100. Hoc universaliter dictum, et supposito quod agatur de influxu physico, verum non est: intellectus enim humanus, vi abstractionis et ratiocinii, cognoscit objecta quæ, *ut cognoscantur*, non physice influunt in intellectum: ita v. gr. cognoscit *possibilia*, *Deum*. Alterum assertum sic sonat: « Tous nos objets de connaissance sont concrets, individuels » p. 104: hoc non accurate dicitur: licet enim omnia entia existentia sint singularia, tamen cognoscimus etiam rationes *universales*, imo *objectum* proprium ac specificativum intellectus humani, secundum præsentem statum unionis ad corpus, est *quidditas*, in materia corporali existens, sed *abstracta* a concretione materiæ (1). Multas deinde difficultates, quæ moventur contra animæ spiritualitatem, exhibet A. ac solvit, pp. 118-148.

In tertia tandem parte, pp. 151-198, *positivismi* exhibetur doctrina ac rejicitur.

Perutilis sane erit prælaudati operis lectio, iis præsertim qui profundiori philosophiæ studio incumbere non potuerunt, tum aliis etiam qui, absoluto philosophiæ cursu, fundamentalium apologiæ thesium expositionem quærunt lingua factam vernacula et modo ad polemicam apto; hoc porro notatu dignum est quod cl. A. præcipuas collegit objectiones quæ variis ex fontibus sæpissime *hodie* proponuntur contra illas veritates; tandem et jucunda erit illorum lectio *paginarum* quippe quæ stylo conscriptæ sunt dilucido, conciso ac nervoso.

J. V. D. M.

*
* *

(1) Cf. Mercier, *Psychologie*, Louvain, 1899, p. 341, n. 161; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii. 1900, p. 367, n. 416.

Bereide Catechismuslessen voor kinderen die zich nog niet bereiden tot de Eerste Communie door L. Mercelis, *Diocesanen Schoolopziener* — Lier, Van In en Cie, 1904. Pr. 1,30 fr.

In diœcesi Mechliniensi in usu est libellus cujus titulus: *Vragen en antwoorden uit den Mechelschen Catechismus voor de kinderen die zich nog niet bereiden tot de Eerste Communie*: harum quæstionum ac responsionum explicationem continet opus de quo agitur. Optimam rationem docendi exhibet A.: vult enim ut pueri sensum intelligant responsionum antequam illas memoria addiscant: ad hanc autem tradendam explicationem methodo utitur *synthetica* seu *historica* ac *intuitiva*: ubi exponenda materia hoc fert, procedit A. ab interpretanda imagine picta, ante oculos alumnorum ponenda, quæ factum historiæ sacræ repræsentat quod in connexione est intima cum veritate docenda; alias aliquod factum vel exemplum præponit ipsi vocabulorum catechismi explicationi; modus etiam interrogandi continuo exhibetur.

Catechistæ omnes magna utilitate illud opus ad præparandas lectiones adhibebunt: ibi enim medium invenient facilius ac perfectius fungendi munere, utique laborioso, docendi prima christianæ doctrinæ elementa pueros, qui nondum legere valent, necnon et exhortandi illos ad virtutes exercendas ea ratione quæ ipsorum ætati æqua est.

J. V. d. M.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1905

—

I

Explica Philip. III, 2-7.

II

Quomodo intelligendum est Concilium Tridentinum declarans: « totum Adam, per illam prævaricationis offensam, *secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse:* » (Sess. V. *Decretum de peccato originali.*)

III

Explica conditiones requisitas ut valida et efficax sit condonatio restitutionis.

IV

Quandonam condonationem restitutionis præsumere licet? Proba responsum.

V

Quandonam a restitutione excusat impotentia moralis debitoris? Adde rationem.

VI

Quomodo et quandonam in missa privata facienda est inclinatio corporis a/ profunda, b/ mediocris?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Plures Rationalistæ authentiam decreti apostolici (Act. XV, 28-29) impugnant 1°/ ex silentio S. Pauli de illo decreto in ep. ad Gal. II, 1 ss.; 2°/ ex controversia inter S. Petrum et S. Paulum Gal. II, 11 ss. quam post dictum decretum ut plane inintelligibilem proponunt. — Utramque difficultatem solve.*

R. ad I^m^. Contra authentiam decreti apostolici plures Rationalistæ arguunt imprimis ex silentio S. Pauli in ep. ad Gal. II 1 ss., *argumento* nixi quod *negativum* vocari consuevit. Inquirendum igitur est utrum in casu argumentum negativum efficax seu positivo æquivalens ex silentio S. Pauli deducatur.

Jamvero, consentientibus viris criticis (1), circa usum argumenti negativi, sequens *regula* a doctissimo P. De Smedt statuitur (2): « Ex silentio alicujus scriptoris tunc valide argui potest adversus veritatem facti ubi, inspectis conditionibus omnibus loci, temporis, aliisque sive ad ipsum factum, sive ad scriptorem pertinentibus, omnino judicandum apparet: a/ factum hujusmodi esse ut ab hoc scriptore omnino ignorari non potuerit, et b/ eumdem scriptorem certe de eo facto locuturum fuisse, si illud non ignorasset. — Ubi hæc duo manifeste simul adsunt, tunc perinde est factum a scriptore

---

(1) Cfr. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode, und der Geschichtsphilosophie*, Leipzig 1903, p. 497 s.

(2) *Introductio generalis ad Historiam ecclesiasticam critice tractandam.* Gandavi, 1876, p. 29 s.

taceri ac negari... et etiam ex unius scriptoris silentio argumentum istud conficitur ».

Ad priorem autem conditionem memoratam quod attinet, clarissime apparet eam in casu adesse, cùm S. Paulus concilio Hierosolymitano interfuerit et decretum apostolicum approbaverit (1).

Verùm altera conditio minime verificatur: inspectis enim variis adjunctis tùm ad ipsum factum seu decretum (*Act.* XV, 28-29), tùm ad S. Paulum pertinentibus, nullo modo constat Apostolum in sua ad Galatas epistola de decreto sibi optime noto mentionem facere debuisse. — *Manet igitur ut dicta illa adjuncta accurate exponamus, e quibus patebit quæstionem in epistola ad Galatas agitatam diversam fuisse a quæstione in decreto soluta, neque rationem affuisse Paulo dictum decretum commemorandi.*

Decretum apostolicum, ut vidimus (*suprà*, p. 624 ss.) immunitatem Ethnico-christianorum a Lege, saltem practice sancierat ipsisque usus quosdam Judæo-christianis maxime invisos interdixerat. De ipsis Judæo-christianis nihil statutum fuit: tota quæstio practice potius quam theoretice soluta est, et inde factum est ut lis de legalibus non penitus evanuerit, sed sub nova forma plures ecclesias, in specie, ecclesias Galatiæ (2) a S. Paulo fundatas, perturbaverit.

Quod asseruerant Judaisantes Antiocheni « *nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari* » (*Act.* XV, 1), id utique post decretum apostolicum non amplius asserere potuerunt. Verùm mitigata quædam Judaismi species brevi apparuit, postquam Paulus in secundo suo itinere dictum decretum ecclesiis Galatiæ

---

(1) Cfr. *Act.* C. XV, ac *suprà* p. 566 ss., 620 ss.

(2) Meridionalis, seu provinciæ romanæ Galatiæ, Cfr. Cornely, *Comment. in S. Pauli epistolas*, V. III, (Parisiis 1892) p. 359 ss. — Weber, *Der Katholik* 1898, I, p. 193 ss. — Zahn, *Einl. in das N. T.* T. I, Leipzig, 1900, p. 124 ss. — Jacquier, *Hist. des livres du N. T.* T. I, Paris 1903, p. 171 ss. — Dods apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, V. II (1899) art. (Ep. to the) Galatians.

promulgasset (1). Judaisantes nempe neophytis non circumcisis salutem haud negabant, eos verò inferiorem in Ecclesia gradum (2) tenere contendebant, jactabantque eos majorem assecuturos fuisse perfectionem ac privilegia Abrahæ posteris promissa obtenturos, si circumcisioni se subjicerent (3). Plures fideles Galatiæ falso pseudo-doctorum evangelio seducti fuerant (4); Petrus, Barnabas aliique Judæo-christiani a familiari cum Ethnico-christianis conversatione se retrahebant et, monente Paulo « gentes cogebant judaizare » ipsis moralem imponentes necessitatem Legem mosaicam observandi (*Gal.* II, 14).

Jamvero S. Paulus in sua ep. ad Gal. hanc novam Judaismi formam impugnat. Ad hanc autem refutationem nec decretum ipsum, nec illa quæ in publica concilii sessione (*Act.* XV) *erant gesta, conferre quidquam poterant.* Quæstio enim in concilio et decreto tractata ea sola erat: num Ethnici conversi absque circumcisione *salvari* possent. De hac autem quæstione in ep. ad Gal. non agitur. Cùm Judaisantes Ethnicis incircumcisis salutem non negarent, neque impugnarent decretum apostolicum vel in dubium vocarent, nulla Paulo ad Galatas scribenti decretum commemorandi ratio aderat (5). — *Imò imprudenter decretum allegasset S. Paulus,*

---

(1) Cfr. *Act.* XV, 41 — XVI, 7; — Cornely, *o. c.*, p. 365; — Zahn, *o. c.*, p. 434.

(2) Et revera pars positiva decreti argumentum præbere videbatur quo Ethnico-christianos inferiorem locum obtinere assererent. Quum enim quatuor præcepta ipsis imposita iis consonarent quæ Judæi a proselytis vel potius (v. *suprà* p. 625 nota 3) a « timentibus Deum » incircumcisis postulaverint, quin tamen talia observantes pro veris et perfectis populi electi membris habuerint, facile apud *Judæo*-christianis opinio exoriri potuit, neophytos non circumcisos similem in Ecclesia locum obtinere neque perfectos esse christianos. Cfr. Cornely, *o. c.*, p. 364; — Thomas, *Mélanges d'hist. et de littér. relig.* Paris 1899, p. 44, 173 s.

(3) Vide *Gal.* I, 11 ss.; II, 1-ss.; III, 6 ss.; V, 3; VI, 13 etc. — Findlay apud Hastings, *Dictionary of the Bible,* Edinburgh, T. III (1900) p. 709.

(4) Cfr. *Gal.* IV, 9; V, 2 s.; VI 12, s.

(5) Cfr. Cornely, *ll. cc.;* — Id. *Introd. spec. in libros N. T.* Parisiis 1886.

quatenus Judaisantium Pharisæorum cavillationibus ansam præbuisset. Objicere enim potuissent eum ultra decreti tenorem esse progressum, dum Legem plane inutilem esse doceret ad *omnium* etiam *Judæo*-christianorum salutem, de quibus tamen nihil statutum fuerat (v. suprà p. 624). Revera Apostolus litteram decreti prætergressus, juxta spiritum ipsius, ex principiis in concilio admissis (1), legitimâ consequentiâ inutilitatem Legis ad salutem ejusque abrogationem universalem deducebat aperteque proclamabat.

Unde contra novam Judaisantium erroris speciem opportuniori quo potuit modo S. Paulus Galatas præmunivit: directe scil. vindicando intrinsecam veritatem dogmatis de plena ac perfecta justificatione omnium christianorum per fidem vivam in Christum, non autem per circumcisionem et legalia ad salutem deinceps inutilia (2). Cùm autem ut doctrinam suam stabilirent Judaisantes nihil non faciebant ut Pauli auctoritatem apostolicam minuerent, hanc ipsam auctoritatem simul ac evangelium suum Paulus vindicat, ostendens suam doctrinam cum doctrina aliorum apostolorum (3) apprime consentire, seque a « columnis Ecclesiæ » in conventu Hierosolymitano tanquam Apostolum gentium fuisse agnitum (4), necnon in sua cum Petro de legalibus controversia victorem fuisse.

---

p. 322 ss., 386 s., 422 ss ; — Sieffert, *Der Brief an die Galater*, Göttingen, 1899, p. 107 s.; — Thomas, *o. c.*, p. 43 s.; — Knabenbauer, *Comment. in Act. Ap.* Parisiis 1899, p. 271 ; — K. Schmidt, *Realencyclopädie für protest. Theol. und Kirche*, Leipzig T. I (1896) p. 709 (Art. Apostelkonvent).

(1) V. *suprà* p. 621, 626 ; « Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari quemadmodum et illi ».

(2) « In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura (i. e. creatio), seu fides quæ per charitatem operatur ». *Gal.* VI, 15 ; V, 6. Cfr. etiam II, 10 s. III, 27 ss. etc. Hac argumentatione clare apparebat nec Legem integram nec circumcisionem quidquam perfectionis afferre.

(3) Auctoritatem enim primorum apostolorum, qui ritus mosaicos observare non cessaverant, Judaisantes prætendebant.

(4) Cfr. *suprà* p. 567 s. S. Paulus e gestis in concilio Hierosolymitano

E quibus abunde elucet immerito argui e silentio S. Pauli in ep. ad Gal. II, 1 ss. contra authentiam decreti apostolici *Act.* XV, 28 s. relati.

R. ad II^{m}. *Controversia quæ haud diu post* (1) *concilium Hierosolymitanum inter S. Petrum et S. Paulum locum habuit iis tantum inintelligibilis apparet, qui falso supponunt objectum istius controversiæ idem esse quod decreto apostolico jam discussum fuerat atque statutum* (2). Tunc revera non intelligeretur S. Petrum de violatione decreti quod ipse probaverat ac ediderat, fuisse reprehensum. Cui præposteræ interpretationi ansam præbuisse videtur Pauli ad Petrum apostrophe a contextu suo divulsa : « quomodo gentes cogis judaïzare » (II, 14), vel etiam decretum apostolicum prave intellectum. Cùm sensum ac vim decreti suprà (p. 624 s.) explicavimus, remanet tantum ut, inspecto contextu, controversiæ objectum ipsamque apostrophen rite interpretemur (3).

Petrus, qui jam olim gentilem Cornelium adiverat (*Act.* X-XI) et immunitatem Ethnicorum agnoverat a Lege (*Act.* XV), postquam, Antiochiæ degens, cum Gentilibus conversis *ederat* seu *gentiliter vixerat* (*Gal.* II, 12, 14), quasi coactus suam rationem gentiliter vivendi imprudenter deposuit. Aliqui discipuli, Jacobi

---

ea commemorat in ep. ad Gal. quæ ad suum peculiarem scopum faciebant. Pariter ad rem notat II, 3. « Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi ». Quod factum apostolicam Pauli libertatem simul ac inutilitatem circumcisionis ostendebat, simulque ipsum « non in vacuum cucurrisse » significabat.

(1) Auctores quidam inter quos Belser (*Einl. in das N. T.* Freiburg i. B. 1901, p. 436) et Zahn (*o. c.*, T. I, p. 139 ss.) controversiam *Gal.* II, 11-14 concilio anteriorem esse immeritò tenent. Cfr. Cornely, *Comment. in S. Pauli epist.* V. III, Parisiis, 1892, p. 440 s.; — Thomas, *o. c.*, p. 104.

(2) Harnack (*Die Mission und Ausbreitung des Christenthums in den drei ersten Jahrhunderten*, Leipzig 1902, p. 42) decretum apostolicum gratuito ad Gal. II refert et a concilio Hierosolymitano sejungit.

(3) Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 104-124; — Schmidt, *art. cit.*, p. 710 s.; — Sieffert, *o. c.*, p. 132 s.; — Wendt, *Die Apostelgeschichte*, Göttingen, 1899, p. 267 ss.

Hierosolymitani familiares (1), Antiochiam venerant qui, sicut ipse Jacobus, æmulatores seu observatores Legis erant (*Act.* XXI, 20). Quia in sua ecclesia, quæ fere unice Judæis conversis constabat, Legem constanter servari videbant, hanc quoque ab Ethnico-christianis, ad majorem saltem perfectionem observandam contendebant. Incircumcisos igitur christianos ad communitatem cultus non autem ad vitæ commercium, in specie ad communes mensas admittebant (*Act.* X, 28; XI, 3). Eo erroris facilius devenerant quod concilium solùm statuerat *Gentiles* conversos a Lege immunes esse, quin de Judæo-christianis aliquid diserte decreverit. Familiarem Petri cum Gentilibus conversationem ægre ferebant, eaque de causa Petrus ab illo convictu *subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant* (*Gal.* II, 12). Timebat nempe ne Judæo-christianos, quorum erat Apostolus (II, 9) a se averteret sibique laborum campum occluderet.

Jamvero, S. Paulus ipsi vitio vertit quod sua agendi ratione *simulabat* (v. 13), quatenus scil. ejus agendi ratio ab interno ejus judicio discrepabat. Etenim ne ipsos Judæos quidem Lege ligari cum Paulo et verbis et factis (2) professus erat. A Gentilium autem convictu recedens, agebat ac si Judæi mosaicis ritibus adhuc ligati essent. Postquam *Petri simulationi consenserunt cæteri Judæi, ità ut et Barnabas duceretur in eamdem simulationem* (v. 13), Paulus hoc argumento ad hominem publice Petrum compellavit: « *Si tu,* Cepha, *quum Judæus sis*, utpote in judaica religione natus et educatus, *gentiliter vivis* (3) *et non judaice*, ut antea faciebas,

---

(1) Non dicitur eos a Jacobo fuisse deputatos, ac multo minus eos missos fuisse ut Petrum reprehenderent. Cfr. Thomas, *o. c.*, p. 125 ss ; — Duchesne, *Les Origines chrétiennes*, Paris (autogr.) p. 30.

(2) Cfr. *Act.* XV, 11; *Gal.* II, 6 ss., 12, 14.

(3) Præs. ζῆς Paulus innuit Petrum non semel tantum ethnicam istam vivendi rationem tenuisse, sed semper ubi occasio sese offerebat et adhuc offert. Cornely, *o. c.*, p. 449.

neglecta Lege cum Gentilibus edendo, *quomodo gentes cogis judaizare*, i. e. quomodo fieri potest ut nunc Ethnico-christianos mutata agendi tua ratione moraliter cogas (1) ad Legem observandam? Ipsi enim a tuo atque Judæo-christianorum convictu tanquam immundos sese excludi cernentes, facile sibi persuadebunt legalium observationem, quamvis ad salutem non necessaria fuerit declarata, nihilominus majorem dignitatem perfectionemque conferre, ac proin sibi quoque ut Judæis in Ecclesia æquales fiant, ea esse observanda ».

Ipsum igitur controversiæ objectum, a quæstione decreto apostolico solutâ penitus diversum fuit, ac decretum præsupponit.

Sane si solum Petrum ad Gentilium convictum reducere voluisset, Paulus interrogationi suæ qua infelicem mutatæ vivendi rationis sequelam ci proposuit, nihil addidisset. Pauli enim argumentatio ostendit Petrum persuasum fuisse Judæos nullo modo amplius Lege teneri. Sed in gratiam Judæo-christianorum qui cum Petro simulaverant quosque publice alloquebatur (v. 14), Paulus Legem nihil ad salutem conferre docet ejusque abrogationem etiam pro Judæo-christianis proclamat, v. 21 : « Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est ».

A. C.

II

Q. *Quænam est peccati originalis* pœna *quæ in hac terrestri vita luitur.*

R. **Prænotanda**. Consequenter ad Adæ peccatum homines omnes, qui naturali generatione ex illo procedunt, (nisi de speciali constet privilegio), nascuntur privati gratia sanctificante et bonis simpliciter supernaturalibus cum illa connexis, videlicet virtutibus infusis

(1) Cfr. Findlay, *l. c.*; — Sieffert, *o. c.*, p. 137 ss.

et donis Spiritus Sancti; privati etiam immunitate a concupiscentia, scientia infusa, immortalitate, et ideo obnoxii sunt multis illis ac variis malis quæ genus humanum nunc afficiunt (1). Inquirendum autem nobis est utrum et cur illæ privationes habeant *pœnæ* rationem.

Pœna definitur: privatio alicujus boni delectabilis quam ratione culpæ contra naturalem appetitum suæ voluntatis patitur creatura (2).

Pœna dividitur in *concomitantem* et *inflictam:* concomitans dicitur illa boni privatio quæ ab intrinseco connaturaliter sequitur ex peccato; *inflicta* vero illa quæ ab extrinseco, nempe a judice, infertur. « Et omnis ratio differentiæ inde est repetenda quod pœnæ concomitantis sufficiens causa est peccatum, non modo meritoria, verum etiam effectiva et quasi exsecutiva; pœnæ vero inflictæ causa efficiens non est nisi Deus (3), large nunc sumendo rationem effectionis prout se extendit etiam ad eas privationes quarum aliquis est auctor, non quidem agendo, sed potius non agendo » (4).

I. Ut autem intelligatur quæ pœna respondeat peccato originali attendendum est ad ipsam rationem hujus peccati: secundum hoc enim quis est puniendus secundum quod est culpæ reus.

Inde statui potest hæc generalis propositio: *pœna originali peccato debita est subtractio bonorum humanæ naturæ indebitorum.* Etenim, ut ex supra dictis constat, originale peccatum formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis ex voluntario actu principii naturæ propagandæ: proinde peccati originalis reatus consistit in aversione *mere privativa* a Deo et porro personas afficit, non ex aliquo ipsarum actu seu operatione, sed

---

(1) Illæ sunt *sequelæ* peccati originalis, ut omnes docent theologi: cf. Jungmann, *De Deo Creante*, n. 315.

(2) Cf. *Collat. Brug.* T. VII. p. 464.

(3) Sermo hîc est de peccato formaliter considerato quod a solo Deo punitur.

(4) Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ, 1894, p. 72.

ex hoc tantum quod *naturam* humanam participant (1): « ideo peccato originali debetur pœna directe afficiens naturam qua talem, non vero naturam ut individuatam in hac persona, quæ voluntate *sua* nihil contulit ad peccatum » (2).

Jamvero omnis pœna, quæ habetur per inflictionem alicujus contrarii et positive cruciantis, sicut quando quis flagellatur vel in ignem mittitur, immediate afficit *personam*, seu naturam ut individuatam in tali supposito: passiones enim sicut et actiones sunt suppositi seu personæ, quia id, *quod* est, et agit et patitur: tales igitur privationes non sunt veluti inhærentes communi naturæ quam singuli homines a progenitoribus accipiunt, sed ipsam *personam* afficiunt: ideoque non conveniunt peccato originali quippe quod est peccatum, non personæ, sed naturæ. Remanet igitur ut pœna peccati originalis sit mera privatio alicujus boni: sed non erit privatio alicujus boni naturæ debiti: reatus enim culpæ originalis formaliter consistit in privatione rectitudinis *supernaturalis* voluntaria voluntate primi parentis: per hoc igitur nihil in naturæ principiis habetur quod ipsam inclinet ad finem ipsi contrarium, non habetur aliqua positiva inordinatio: ideoque peccato originali non debetur privatio boni naturæ debiti. Relinguitur ergo ut pœna conveniens proprie peccato originali sit *ablatio bonorum naturæ indebitorum*.

II. Quapropter in hac terrestri vita, pœna originalis peccati complectitur a/ privationem gratiæ sanctificantis et donorum *simpliciter* supernaturalium; b/ privationem immortalitatis, immunitatis a concupiscentia, scientiæ præclaræ, felicitatis: quæ sunt bona *secundum quid* supernaturalia; c/ quia præcise ex illorum bonorum ablatione consecuta sunt multa mala physica, ideo *hæc etiam mala* habent rationem pœnæ (3): etenim licet

(1) Cf. suprà, pp. 372, 434, 494.
(2) Billot, op. c. p. 76.
(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 470.

mors et concupiscentia sint naturales sequelæ compositi humani, tamen in præsenti Providentiæ ordine illæ sequelæ non sunt nisi quia dona *secundum quid supernaturalia* fuerunt ablata propter originale peccatum; præterea omnia mala quæ nunc sequuntur ex mortali conditione hominis et ex concupiscentia etiam sunt *pœnæ,* propter eamdem rationem, scilicet quia proveniunt ex ablatione donorum naturæ humanæ indebitorum. Nec obstat quod illi defectus non sunt *æquales* in omnibus, licet originale peccatum sit in omnibus æquale. Nam, remotis donis naturæ indebitis, relicta est sibi natura corporis humani; porro secundum diversitatem naturalis complexionis, quorumdam corpora pluribus defectibus subjacent; quorumdam vero paucioribus (1).

III. Remanent quædam explicanda quæ objici possint contra doctrinam supra expositam.

1. Pœna definitur: privatio..... quam contra *naturalem* appetitum suæ voluntatis patitur creatura; atqui ablatio bonorum quæ *naturæ sunt indebita* non est contra naturalem appetitum, voluntatis; ergo horum privatio non est pœna.

R. Conc. Maj.; nego min. Quando in definitione *pœnæ* dicitur : *naturalem* appetitum suæ voluntatis, intelligitur voluntas *ut natura* per oppositionem ad: voluntas *ut ratio.* « Voluntas *ut natura* est motus voluntatis qui sequitur considerationem objecti secundum se, prout absolute conveniens vel afflictivum est; ad hujusmodi enim apprehensionem naturaliter oritur in appetitu prosecutio vel fuga » (2). Igitur omne quod *secundum se* et *absolute* consideratum est conveniens alicui hoc est objectum *naturalis* appetitus voluntatis. Porro bona naturæ indebita *perficiunt* naturam ipsam,

(1) Ita docet S. Thomas, I-II, Q. LXXXV, a. 5.

(2) Billot, *De Verbo Incarnato.* Romæ, 1900, Thes XXVII, p. 280. Hujus distinctionis expositionem vide in *Collat. Brug.*, T. V, p. 409.

consequenter sunt objecta appetitus naturalis et illorum privatio est contra *naturalem* appetitum voluntatis. — Notemus etiam ad rationem pœnæ non requiri ut aliquid sit contra *actualem*, sed sufficit ut sit contra *habitualem* appetitum : ita qui ignorat se privari aliquo bono delectabili non patitur aliquid contra *actualem* appetitum ; attamen hæc privatio habere potest rationem pœnæ quia est contra habitualem appetitum ipsius : si enim sciret se posse obtinere hoc bonum, appeteret hoc actu ; et si sciret se hoc bono privari, doleret actu de hac ablatione.

2. Suprà demonstratum est *peccatum* originale essentialiter consistere in privatione gratiæ sanctificantis (1) ; atqui idem nequit esse et peccatum et pœna peccati ; ergo privatio gratiæ sanctificantis nequit esse pœna peccati originalis.

R. Conc. Maj.

Dist. min. idem *secundum idem* seu sub eadem ratione nequit..... *conc.*

idem *sub alia et alia ratione* nequit..... *nego.*

Contrad. consequens.

Explicatur distinctio : « Cum culpa de sui ratione sit voluntaria deviatio a fine universi (h. e. ab ultimo fine, scilicet a Deo), pœna vero importet detrimentum quo quis invitus suo proprio bono privatur : impossibile sane est ut idem secundum idem sit pœna simul et culpa, quia idem secundum idem non potest esse voluntarium et contra voluntatem, neque etiam idem secundum idem privat ordinem finis universi et tollit privatum bonum peccatoris. Sed secundum diversa, nihil prohibet quominus idem sit pœna et culpa, sicut nihil impedit quin idem, sub alia atque alia consideratione, et simpliciter voluntarium existat, et simul involuntarium secundum quid (2). A fortiori, minime repu-

(1) V. suprà p. 373.
(2) Cf. S. Thomas, I-IIæ, Q. VI, a. 6.

gnat quin culpa secum ipsa pœnam concomitanter afferat; imo vero in peccantibus necesse est id evenire. Et re quidem vera, fieri omnino nequit ut quis tendat in commutabile bonum tanquam in finem ultimum, quin incurrat in seipso deformitatem et privationem perfectionis sibi maxime debitæ; hæc autem deordinatio habet omnes pœnæ conditiones, tum quia privat propriam animæ rectitudinem quæ est unicuique delectabilis, tum quia etsi indirecte simpliciter voluntaria, semper tamen est involuntaria secundum quid; si enim peccator posset frui bono quod concupiscit, non incurrendo illam, profecto illam non vellet. Et simili modo, omnes passionum anxietates sunt in peccantibus contra *naturalem tendentiam* voluntatis eorum (h. e. voluntatem *ut naturam*); nam iracundus eligit sic insurgere in punitionem alterius, ut ipse ex hoc nullam molestiam, nullum laborem pateretur; unde cum in ista incidit, pœnale ei est, idemque dic de conscientiæ remorsu, aliisque ejusmodi » (1).

Hinc vides privationem gratiæ sanctificantis, sub alio et alio respectu pertinere tum ad culpam, tum ad pœnam concomitantem, tum ad pœnam inflictam : quatenus consideratur hæc privatio ut verificans rationem *aversionis* a Deo, sic est constitutiva *peccati*, nempe est unum ex elementis essentialibus peccati (2); quatenus consideratur ut inquinamentum et macula inhærens animæ, sic est *pœna concomitans;* quatenus consideratur ut physica destitutio principii supernaturalis beatitudinis, quæ quidem destitutio provenit a Deo quatenus non influit gratiam, sic est *pœna inflicta* (3).

J. V. D. M.

---

(1) Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, p. 71.

(2) Alterum elementum est *voluntarietas;* v. suprà, p. 374.

(3) Cf. Billot, op. c., p. 73. — In catechismo nostro innuitur hæc duplex ratio, *peccati* scilicet et *pœnæ*, quæ in privatione gratiæ verificatur. Etenim in 37ª lectione, q. 4: *Wat is* de ertzonde? Eene afgekeerdheid van God en *berooving van de rechtveerdigheid;* deinde q. 5 : Wat *kwaad* doet ons de erfzonde? Dat zij ons de *rechtveerdigheid beneemt*.....

III

Q. *Quoad obligationem restituendi titulo rei acceptæ, distinguendum est inter possessorem bonæ, vel dubiæ fidei. Quisnam hic intelligitur rei alienæ possessor bonæ fidei?*

R. I. **Prænota** A. Licet radix remota restitutionis sit unica, nempe violatio juris stricti, tamen theologi merito plures proximiores radices seu titulos restitutionis statuunt. Cum sententia communiori (1), distinctione adæquata, duos hujusmodi titulos assignamus: titulum *rei acceptæ* i. e. rei alienæ sive formaliter sive materialiter injuste detentæ, et titulum *injustæ acceptionis* i. e. ablationis rei alienæ per furtum aut rapinam, vel simplicem damnificationem. — In hac et 2 seqq. resp. agitur de titulo rei acceptæ.

B. Aliquis potest rem alienam bona, mala vel etiam dubia fide detinere.

II. **Respondetur**: 1/ *In hac quæstione semper intelligitur ille qui habet* **bonam fidem theologicam** *scil. persuasionem juris sui quocumque modo prudenter formatam,* et 2/ *in ordine ad certos legis positivæ favores ille qui* **præterea** *habet* **bonam fidem juridicam** *in materia possessionis requisitam.*

III. **Explicatur.** 1/ Notio **bonæ fidei theologicæ** in omni materia est eadem. Est nempe *persuasio* quam habet possessor rei alienæ se rem juste possidere ut suam, persuasio autem *prudenter formata*, quovis modo illud judicium practicum fundetur. Fundari autem potest tale judicium vel in argumento directo, puta titulo colorato, quo moraliter certo constare videtur possessori se rem tam materialiter quam formaliter juste possidere; vel in argumento indirecto, puta principio possessionis, quo eidem possessori moraliter certo

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. II, p. 524 s. — Ill^{s} ac Rev^{s} Waffelaert, *De Justitia*, Brugis 1886, T. II, p. 230.

constare videtur se, practice loquendo, rem ut suam saltem formaliter juste possidere, quidquid sit de dubio speculativo forsan remanente an etiam materialiter justa sit possessio. Illa persuasio, quæ nunquam præsumitur sed semper de facto existere debet in conscientia possidentis, apud ipsum simpliciter excludit peccatum injustitiæ; requiritur ut sit inculpabilis vel saltem non notabiliter culpabilis. Venialis culpa (1) fidem theologicam impedire non videtur: qui enim reus est tantum negligentiæ venialis potest nihilominus dici diligens seu prudens, eo vel magis quod secus jus possessionis innumerabilibus dubitationibus et scrupulis obnoxium foret (2).

Ad fruendum jure seu effectu per *legem naturalem* concesso, sufficit hæc bona fides theologica, quia ea posita, jam tollitur radix restitutionis.

2/ Verùm ut possessor frui possit juribus seu effectibus a *lege civili* concessis, requiritur quidem in conscientia bona fides theologica modo descripta, uti patet: sed hæc non suficit nisi **præterea** adsit **bona fides juridica** in determinata materia a lege requisita: etenim ille tantum frui potest justæ legis beneficio qui versatur intra conditiones ab illa præscriptas. Quæritur ergo quænam bona fides juridica *in materia possessionis* a lege nostra civili requiratur?

Jamvero, in materia possessionis (3) bona fides juri-

---

(1) e. g. negligentia venialiter culpabilis in discutiendo dubio admissa a possessore cui tale dubium de sua possessione supervenit.

(2) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, n. 231; — Carrière, *De Justitia et Jure*, Parisiis 1839, T. II, n. 466. — Marres, *De Justitia*, Ruræmundæ, T. I (1879) Lib. I, n. 385: « prudens judicium non tollitur culpa quæ, spectata humana fragilitate, tam facile et tam sæpe admitti potest ».

(3) Dicimus « *in materia possessione* ». Non enim eadem est bona fides juridica in ordine ad *præscriptionem* requisita, siquidem ad præscribendum postulatur possessoris de jure suo persuasio fundata in *titulo reali colorato* quem validum existimat. Quoad differentias cum bona fide juridica in præsenti materia, (i. e. invalido tantum ex defectu juris in eo qui rem tradidit), cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, p. 171 ss.

dica, juxta art. c. civ, 550 est *persuasio possessoris se rem possidere vi tutuli translativi proprietatis cujus ignorat vitia*. Quam definitionem sic breviter explicamus. Dicitur:

a/ *vi tituli translativi proprietatis*. « Il faut entendre par titre, ait optime Thiry (1), non pas un écrit, un *instrumentum*, destiné à constater l'existence d'un droit, mais bien la cause génératrice du droit, cause susceptible de transférer la propriété sans les vices qui l'entacheraient et que le possesseur a ignorés. Par ex. : une vente, un échange, une donation, un testament. Un écrit n'est pas toujours nécessaire, par ex. : dans la vente, l'échange. C'est au possesseur à prouver l'existence du titre ». — Probabiliter etiam sufficit titulus *putativus* i. e. existimatus qui errore inculpabili adesse creditur (2), uti jurisperiti communius contra Laurent (T. VI, nº 209) docent. Hæc autem communior sententia merito tenere videtur *titulum* in art. 550 intelligi debere *justum titulum* seu *justam causam* in jure romano et antiquo jure gallico requisitam ; confirmatur præterea ex art. 138 c. civ. (3). Non requiritur ergo, sicut in materia præscriptionis, titulus realis, distinctus a bona fide, ipsamque velut elementum ingrediens.

b/ *cujus ignorat* sc. ignorantia sive juris sive facti : cùm lex non distinguat inter utramque ignorantiam, admittendum est, cum communissima jurisperitorum

---

(1) *Cours de Droit Civil*, Paris-Liége, 1892-1893, T. I, p. 704.

(2) Cfr. Thiry, *l. c.*, « Par exemple, une chose a été léguée (au possesseur) par un testament, mais un autre testament, encore inconnu, avait révoqué le legs. Le possesseur avait donné mandat d'acheter une chose, il croit que le mandataire l'a achetée, tandis qu'en réalité il ne l'a pas fait, mais il a fabriqué une fausse vente; encore quand l'héritier possède en cette qualité une chose qu'il croit appartenir à l'hérédité mais qui, en réalité, n'en fait point partie ».

(3) Itâ Pothier, Arntz, Demolombe, Valette, Baudry, Opzoomer, Voorduin, Thiry, Mabille, etc. — Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, T. I, p. 49. — Marres, *o. c.*, n. 388.

sententia (1), utramque bonæ fidei fundamentum præbere posse. Merito dicitur in fine art. 550: « le possesseur cesse d'être de bonne foi du moment où ces vices lui sont connus ».

c/ *vitia* sc. omnia, quævis sint; nam lex iterum non distinguit. Ad rem Thiry (*l. c.*): « Peu importe qu'ils (les vices) soient des vices de forme ou de fond p. ex.: si le possesseur a acheté la chose *a non domino* ou d'un incapable, ou que le consentement du vendeur ait été vicié par l'erreur etc., ou s'il l'a obtenue par un testament nul en la forme. La loi ne distingue pas. Il en est autrement en matière de prescription (art. 2267). Si la loi se montre plus difficile en cette matière, c'est qu'il s'agit de l'acquisition de la propriété, tandis qu'ici, il ne s'agit que de l'acquisition des fruits ».

Bona fides — quanquam aliqui (2) contradicunt — præsumitur, nec a possessore probari debet, nisi fundetur in errore juris, aut nonnisi putativus titulus allegetur (3).

Ex dictis patet bonam fidem juridicam a quibusdam juristis strictius, a plerisque tamen latius sumi, ità ut cum bona fide theologica fere coincidat.

A. C.

---

(1) Ità Arntz, Demolombe, Marcadé, Demante, Aubry et Rau, Baudry, Valette, Laurent, Thiry, Mabille, Diephuis, Van Hall, Schuller, Opzoomer, etc.

(2) Cfr. Thiry, *o. c.*, p. 706. — Mabille, *Programme du Cours de droit civil*, Louvain (autogr. T. I, p. 313); ait « Dans l'opinion la plus générale, on admet cependant que le possesseur ne devra pas fournir cette preuve, on lui applique la règle écrite dans l'article 2268, en matière de prescription « la bonne foi est toujours présumée et c'est à celui qui allègue la mauvaise foi à la prouver ».

(3) Ità Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, p. 50.

IV

Q. *An et quare qui rem furtivam emit, potest eam furi reddere ad pretium solutum recuperandum?*

R. Distinguendum est emptorem bonæ fidei inter et emptorem malæ fidei.

I. **Quoad emptorem bonæ fidei**. Ut quæstio accurate solvatur, certa ab incertis secernenda sunt.

1° *Emptor bonæ fidei certo non potest, etiam cum jactura pretii, rem emptam furi reddere, si dominus eam vindicet seu repetat.* Dominus enim rem suam sibi vindicare potest ubicumque eam repererit, cùm habeat jus in re et res clamet domino. Emptor tamen recursum ad furem venditorem habet; quodsi pretium a venditore recuperare nequit, ejus jacturam tanquam infortunium considerare et patienter ferre debet. Ità omnes (1); consonat etiam jus civile (art. c. civ. 2279; attendatur tamen limitatio in art. 2280 addita, de qua in Resp. seq. In hoc casu necesse non esset reddere furi, cùm a domino pretium repeti possit).

2° *Certo potest, si dominus rem a fure facile recuperare possit*, sive petendo, sive impetrando judicis auctoritatem, sive alia via legitima. Tunc enim sibi consulit quin domino noceat. Hoc a fortiori licet si *certo* restituturus sit fur, cujus ità famæ consulitur.

3° *De aliis casibus, ubi res periclitatur domino si furi reddatur, — supposito possessorem aliter pretium furi datum recuperare non posse* (2) — *multum disputatur* (3);

---

(1) Cfr. De Lugo, *De Just., et Jure*, Disp. XVII, s. I, n. 1; — Billuart, *Tract. de Jure et Just*, Diss. VIII, art. X; — Carrière, *De Justitia et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1042; — Marres, *De Justitia*, T. I (Ruræmundæ 1879) L. II, n. 26; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia*, Brugis 1886, T. II, n. 238; — Theol. Mechl., *Tract. de Jure et Just. et de Contr.* 1896, p. 85; — Noldin, *De Præceptis Dei et Eccl.*, Œniponte, 1904, n. 435.

(2) Nam si aliud medium pretium recuperandi existeret, ad illud adhibendum teneretur emptor bonæ fidei: nam contra justitiam ageret, eo quod rem domini jam in tuto collocatam sine justa causa iterum periculo exponeret. — Cfr. Noldin, *l. c.*

(3) Cfr. De Lugo, Billuart, Carrière, *ll. cc.*; — S. Alphonsus, *Theol. Mor.*, Lib. IV, n. 569.

at certò tùm intrinsece, tùm extrinsece probabilis est sententia liceitatem propugnans. Etenim

a/ *Probatur ratione.* Licet ponere causam, bonam aut indifferentem, cujus duplex sit effectus æque immediatus, unus bonus alter malus, modo agens solum effectum bonum intendat, et adsit ratio proportionate gravis effectum malum permittendi (1). Atqui hæc regula in casu ad amussim applicari posse videtur. Nam rem furi reddere ut pretium recuperetur nihil aliud est nisi rescissio contractûs de se licita in casu erroris substantialis. Illa rescissio, uti patet, habet effectum bonum pro emptore, malum pro domino, æque immediate sequentem. Damnum autem proprium avertendum ratio est proportionate gravis ut emptor æquale (2) damnum domini probabiliter vel etiam certo oriundum permittere possit. Charitas enim erga proximum non obligat cum tanto gravamine.

b/ *Probatur auctoritate.* Licet optimæ notæ Theologi (3) censeant rem furi reddi non posse, arbitramur tamen sententiam affirmantem et antiquitus fuisse satis communem (4) et nostro tempore esse communiorem (5).

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. II, p. 287 s.

(2) Putamus enim non ponitus abstrahi posse a statu fortunæ emptoris et ipsius domini, seu a damno quod amissio rei furtivæ vel ejus pretii allatura esset in casu particulari: requiritur nempe ex ordine charitatis ut damnum proprium avertendum quadam proportione late sumpta damno proximi æquiparari possit.

(3) Cajetanus, Soto, Molina, Sylvius, Billuart, Antoine, Collet, Daelman, Lacroix, Bouvier, Henno, Carrière, etc. Plures tamen hanc restrictionem ponunt: licet contractum rescindere et rem fieri permittere, si, emptione conclusa, res nondum sit tradita.

(4) Navarrus, Sylvester, Angelus, Gabriel, Alexand. Hal. quos refert et sequitur Lessius. *De Just. et Jure*, L. II, c. XIV, n. 14); Malderus, Turrianus, Diana et « recentiores communiter » ut suo tempore dicebat De Lugo (Disp. XVII, s. II, n. 29) qui ipse calculum adjicit; Salmanticenses, et auctores apud ipsos citati (*De restit.*, c. I, n. 83): Prado, Bonacina, Bannez, S. Antoninus etc., Sporer, Wiggers, S. Alphonsus (*l. c.*), Richard etc.

(5) Ipsi favent Marres, *l. c.*; — Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, V. III (Prati, 1890, p. 335; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. c.*; — Theol.

Rationes a patronis sententiæ negantis allatæ apud De Lugo (*l. c.*, n. 30 ss.) solutæ reperiuntur. *Palmare illorum argumentum* est hoc : « sicut fructus omnes rei alienæ pertinent ad dominum ipsius, licet casu producantur, ità melior status quem res ipsa habet, pertinet ad utilitatem domini, undecumque ille melior status provenerit : non poteris ergo sciens jam rem esse alienam, reducere eam a bono statu in quo nunc reperitur, ad deteriorem quem prius habebat quando erat in possessione furis ». — Ad quod apte respondet De Lugo (*l. c.*) : « Respondeo concedendo, me non posse positive rem alienam ejicere ex bono statu quem habet, in statum deteriorem : possum tamen ad vitandum meum damnum permissive me habere circa rem alienam, non conservando positive ejus bonum statum cum tanto detrimento meo.... Fatemur ergo, non licere rem alienam semel a periculo ereptam iterum positive in periculum reducere : licebit tamen aliquando permittere ut redeat in periculum, quando continuanda est liberatio cum magno dispendio nostro » (1).

II. **Quoad emptorem malæ fidei.** *Dicta sub I, 1° et 2° hic etiam applicanda veniunt. — 3° Quod attinet ad alios casus in quibus res periclitatur domino si reddatur furi, non consentiunt Auctores.*

Negant hujusmodi emptorem rem furi reddere posse, non tantum omnes qui illud emptori bonæ fidei denegant, sed etiam plures ex iis qui id emptori bonæ fidei concedunt, uti Lessius, plures Theologi quos referunt et sequuntur Salmanticenses (*l. c.*, n. 87). Ratio est, quia rem mala fide emere perinde est ac rem iterum a domino furari, vel saltem furtum continuare, ità ut emptione obligatio furis rem domino reddendi transferatur.

Mechl., *l. c.*; — Lehmkuhl, *Theol. mor.*, Friburgi B. V. I, n. 646 ; — Noldin, *l. c.*; — Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, Romæ, 1893, T. I, n. 1343 ; — Génicot, *Theol. mor. Instit.*, Lovanii, 1896, T. I, n. 514.

(1) Alia argumenta videsis apud de Lugo, Billuart et Carrière, *ll. cc.* ; — Wiggers, *Comment. de Jure et Just.*, Tract. III, c. III, n. 7 s.

Opinantur tamen Sporer (1), Elbel (2), De Lugo (*l. c.*, n. 37), alii plures quos affert et quorum sententiam probabilem habent S. Alphonsus (*l. c.*, n. 570) pluresque Auctores moderni (3) illud licitum esse. Haud improbabiliter docent emptorem, rescindendo contractum invalidum vel saltem rescindibilem, nullum damnum inferre domino, cùm res tantum in pristinum statum restituantur, in quo damnum jam illatum exstabat per acceptionem furis.

Nota. Cùm viri doctissimi de casibus sub 3° (I et II) inter se disputent, patet fideles plerumque bona fide in his agere, nec obligationem incertam a confessario imponi posse (4).

A. C.

V

Q. *An idem emptor, si a fure pretium recuperare nequit, potest rem illam alteri vendere, aut in proprios usus convertere ut se indemnem servet? Adde rationem.*

R. *Generatim negative, nisi tamen dominus emptori bonæ fidei in casu art. c. civ. 2280 pretium erogatum solvere recuset.*

Quæstio enim hæc multum differt a præcedenti: rem domini vendendo aut in proprios usus convertendo emptor, sive bonæ sive malæ fidei, non tantum recedit a contractu invalido, sed *jus domini lædit et injuriam stricte dictam domino infert.* Debet igitur rem alienam quæ, in quibusvis manibus devenerit, domino clamare pergit, domino cognito restituere, etiamsi hic ignorantiæ causa eam non reclamet. Et hæc quidem obligatio emptoris urget, etiam cum jactura pecuniæ ab ipso

(1) P. IV, c. II, n. 130.
(2) *De Restitut.*, n. 39.
(3) Ballerini-Palmieri, *l. c.*, n. 200 s.; — Noldin, *l. c.*, n. 441.
(4) Ità Marres et Ills ac Revs Waffelaert, *ll. cc.*

solutæ: non enim emptoris damnum ratio est cur dominus rem suam altari concedere debeat. Ita Auctores communiter (1).

Dictum est *generatim* non licere. Etenim possessor *bonæ fidei* non tenetur rem gratis reddere, sed potest a domino pretium solutum repetere si res in nundinis, in foro mercatorio, in auctione publica, aut ab hujusmodi rerum mercatore empta fuit. Unde si dominus pretium erogatum solvere nollet, emptor, ut se compenset, tuta conscientia rem ipsam aut iterum vendere aut illam consumere posset (2).

Ratio exceptionis est quia possessor bonæ fidei jus strictum habet in illud pretium ex privilegio a jure civili juxta art. c. civ. 2280 concesso. Etenim a *legislator* in hac dispositione non solum domino actionem civilem coram judice in re sua recuperanda negare, sed *verum dominium in rem possessam transferre voluit*. Nam articulo 2280 juxta mentem legislatoris applicandum est principium in art° 2279 enunciatum. « En fait de meubles, la possession vaut titre », i. e. dominium rei mobilis acquiritur ipsa possessione bona fide et animo domini habita. Art. 2280 enim nihil aliud est quam limitatio quædam exceptionis in 2° alin. art. 2279 circa res furtivas et amissas principio in 1° alin. enuntiato appositæ. Ergo possessio bona fide et animo domini habita quoad res in art. 2280 enumeratas reputatur

(1) Cfr. Marres, *De Justitia*, T. I (Ruræmundæ 1879) L. II, n. 27; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia*, Brugis 1886, T. II, n. 240; — Theol. Mechl., *Tract. de Jure et Just. et de Contract.* 1896, p. 84. — *Notandum* tamen juxta art. c. civ. 2279 res furtivas elapso triennio a secundo possessore per possessionem civilem bona fide habitam, acquiri etiam in conscientia. Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, n. 247 ss.

(2) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, n. 249 asserit « nulla ratio a contrarium sentientibus allegatur, quæ convincat eas dispositiones (art. scil. c. civ. 2279 et 2280) juri naturali aut positivo Dei vel Ecclesiæ repugnare ». Quæ a Ballerini opponuntur, fuse ab eodem Ill° ac Rev° Auctore refutantur in opere: *Etude de théol. mor. sur l'oblig. en conscience des lois civiles*, Tournai 1884, p. 241 sss. Ballerini præpostere legem intellexisse apparet.

titulus dominii adeo perfectus, ut instantanee dominium transferat in emptorem (1).

b *Nihil obstare videtur, quominus hoc legis civilis præscripto in conscientia uti liceat*, quia potestas civilis in materia sibi subjecta, sicut in cæteris de præscriptione legibus, jure suo transferendi dominium usa est intuitu boni communis et propter graves rationes: ut nempe commercium mobilium, quæ tam facile de manu ad manum transferuntur, securum reddatur et pactiones bona fide peractæ stabiles evadant. Præterea jus domini congrue ac sufficienter tuetur lex ipsi actionem personalem in casu art. 2280 concedendo: « il est, à son tour, autorisé à répéter le prix qu'il a payé au possesseur actuel, tant contre celui par le fait duquel il a été illégalement privé de sa chose, que contre celui qui le dernier l'a vendue, sans l'avoir acquise dans les conditions indiquées par l'art. 2280 » (2).

Hanc sententiam amplectuntur plerique Theologi (3) illarum regionum quarum recentiora jura mutuata sunt dispositiones in art. c. civ. 2279 et 2280 contentas (4). Unde apparet eam solide probabilem esse et practice tutam.

A. C.

---

(1) Cfr. Marres et Ill.ac Rev.s Waffelaert, *ll. cc.* — Ita censent plerique jurisperiti. Arntz, Laurent, Aubry et Rau, Baudry apud Thiry, *Cours de Droit Civil*, Paris-Liége 1892-1893, T. IV, p. 560.

(2) Cf. Aubry et Rau, *Cours de Droit civil français*, Paris 1869-1878, § 183.

(3) Ita apud nostrates: Vandervelden, *Principia theol. mor.*, Trudonopoli, 1854, p. 333 ss.; — Editor belgicus *Compendii* Carriere, p. 159; — *Mélanges théol.*, Série II, p. 527 s.; — Ill.ac. Rev. Waffelaert, *ll. cc.*; — Theol. Mechl., *o. c.*, p. 58, 63 s.; — Vandermoeren, *Tract. de just.*, Gandavi, 1887, p. 6 s.; — Génicot, *Theol. mor. Instit.*, Lovanii, 1896, V. I, n. 482; — Vermeersch, *Quæstiones de Justitia*, Brugis 1901, n. 285 s.

(4) Quoad « les objets engagés aux monts de piété » cfr art. 21 et 22 legis 30 Aprilis 1848.

VI

Q. *Quid significat, in rubricis missæ privatæ, vox a/ clara, b/ mediocris, c/ secreta? Quænam preces hac triplici vocis diversitate sunt pronuntiandæ?*

R. I. 1/ Vox *clara*, quæ etiam *intelligibilis*, *conveniens et intelligibilis* vocatur, ea est quæ secluso impedimento, commode a fidelibus, non nimium ab altari remotis, intelligibiliter audiri potest. Hanc pronuntiationem sollicita cura describunt *Rubr. Generales*, tit. XVI, 2 : « Sacerdos maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat : non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit ; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat ; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant ; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri (1) et gravi, quæ et devotionem moveat et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant. »

2/ Vox *secreta* illa est qua sacerdos « ita *pronuntiet* ut », secluso impedimento extrinseco, « et ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur » *Rub. Gen.* ibid. Ad *pronuntiationem* autem quam exigit rubrica et quæ est de essentia omnis orationis vocalis, requiritur et sufficit ut verba *voce articulata* producantur ; eo ipso vox erit ex natura sua *audibilis*. Huic recitationi applica quæ de omni oratione vocali clare exponit Ex. D. Dignant : « Inde non oraret vocaliter a/ qui verba oculis tantum legeret aut mente conciperet ; nec b/ qui ore immoto sonitum de gutture emitteret ; sicut nec c/ qui sine aeris exspiratione linguam ac labia tantum moveret. (2) »

3/ *Mediocris* censetur vox quæ a ministris et a paucis

---

(1) Hoc verbum *explicat* vocem *claram ;* non sumitur, ut infra, in sensu *opposito* voci claræ.

(2) *Tractatus de virtute religionis*, Brugis, 1896, n. 64.

proxime astantibus tantum intelligibiliter percipi potest. De ea quidem in *Rubricis Generalibus*, XVI, nulla occurrit mentio, sed in *Ritu celebrandi* et in *Ordine Missæ* pluries designatur ut vox *mediocris*, vox *aliquantulum*, *paululum*, *parum elata* seu *elevata*.

II. Quænam in missa privata hac diversa voce sint pronuntianda, eruitur ex *Rubr. Gen.* XVI, 1, collatis tamen respectivis locis in *Ritu celebr.* et *Ordine Missæ*, ubi sensus *Rubricarum generalium* magis accurate determinatur.

1 « *Clara* voce dicuntur antiphona et psalmus [*Judica*] ad introitum, Confessio et quæ sequuntur [usque ad *Oremus* inclusive], excepta oratione *Aufer a nobis* et *Oramus te Domine per merita Sanctorum* etc. Item Introitus, *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis* etc., *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *Flectamus genua*, *Levate* [quoties hæc recurrunt], Oratio vel Orationes, Prophetiæ [et Lectiones], Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia [non *Munda cor*], Evangelium, *Credo*, Offertorium,... (1) Præfatio incipiendo a verbis *Per omnia sæcula* usque ad *Sanctus* exclusive ... Item *Per omnia sæcula sæculorum* etc. cum *Pater noster*, *Per omnia sæcula sæculorum* cum *Pax Domini*, *Agnus Dei*... Communio, Oratio vel Orationes post Communionem, *Humiliate capita vestra Deo*, *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, Benedictio et Evangelium *In principio* vel aliud Evangelium. »

2 *Mediocri* voce, juxta *Ritum celebrandi*, dici debent: *Orate fratres*, sed hæc duo verba tantum; totum trisagion *Sanctus* et *Benedictus*; tria verba *Nobis quoque peccatoribus*; quatuor verba *Domine non sum dignus*, ter repetita (2).

---

(1) In hoc textu Rubrica non facit distinctionem inter ea quæ dicenda sunt voce *clara* et ea quæ recitari debent voce *mediocri*: hæc ultima nos heic omittimus.

(2) Præterea in *Rit. celebr.*, VII, 7 et X, 1 et in respectivis locis *Ordinis Missæ* injungitur ut sacerdos *submissa* voce respondeat *Amen*, tum ad

3/ « Alia omnia dicuntur *secreto* ».

III. Hæc vocis diversitas omnino congruit cum ipsa sacrificii natura et ab antiqua liturgia derivatur (1).

1/ Ex una parte solus sacerdos est immediatus sacrificii minister. Non mirum igitur ipsum secreto recitare verba nonnulla quæ directe respiciunt ritum quemdam quem solus peragit (2), necnon et omnes illas orationes quæ immediate circumstant et afficiunt ipsas partes præcipuas missæ, oblationem nempe, celebrantis (3) communionem, et maxime consecrationem cujus totus canon secreto recitatur. Magis apparet quanta sit, in sacrificio offerendo, sacerdotis præ assistentium fidelium dignitas et excellentia, dum ipse secreta recitatione quasi « segregatus a peccatoribus », mediator Deum inter et homines, super plebem elevatus solus in silentio peragit

---

responsum ministri *Suscipiat Dominus* post *Orate fratres*, tum ad responsum ministri *Sed libera nos* in fine *Pater noster*. Auctores communiter ita interpretantur hanc præscriptionem ut hoc *Amen* dicendum sit *secreto*. Nihilominus, a/ hoc *Amen* est pronuntiandum per modum respondentis et concludentis; et b/ sine dubio verbum *submissa* in rubricis identidem determinat vocem non secretam, quæ audiri non possit, sed vocem ita demissam ut a ministro vel diacono responsuro aut colegenti (v. g. in missa solemni) audiatur. Quare non damnandus videtur qui illud *Amen* eadem demissa voce pronuntiaret.

(1) De his, quæ hic accurate determinari et evolvi nequeunt, cf. Dom Claude de Vert, *Explicat. simple, littérale et historique des cérém. de l'Église*, Paris, 1706, t. I; P. Lebrun, *Explicat. des prières et des cérém. de la Messe*, Liége-Paris, 1778, t. I et II, coll. dissertatione XV; *Sur l'usage de réciter en silence une partie de la messe*, ibid., t. VIII; N. Gihr, *Le S. Sacrifice de la Messe* (trad. de L. Moccand), Paris, 1895, præsertim t. II; L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1889; D. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, Paris, 1900; P. Wagner, *Ursprung und Entwichlung der liturgischen Gesangsformen*, Freiburg, 1901; H. Van den Berghe, *Ordo Missæ*, Brugis, 1900.

(2) Ita v. g. *Aufer a nobis* et *Oramus te*, quia solus celebrans ingreditur « ad sancta sanctorum »; *Munda cor*, quia soli sacerdoti (vel diacono) orandum est « ut sanctum evangelium digne valeat nuntiare »; idem dici potest de *Lavabo*, item de aliis nonnullis orationibus quæ dicuntur in singulari; oratio *Placeat* primitus recitabatur a solo celebrante dimisso jam populo per verba *Ite, missa est*.

(3) Dicimus *celebrantis* communionem: omnia enim verba quæ proferenda sunt in ritu communionis *fidelium*, elata voce pronuntiari debent.

altissimum mysterium. Ceterum hac secreta recitatione melius consulitur reverentiæ debitæ præcelso consecrationis mysterio, dum verba sacra irreverentiali usui populi subtrahuntur (1) et mens plebis sæpe rudis et ignaræ mysterioso silentio non parum solet commoveri et ad recollectionem excitari (2).

2/ Ex alia parte celebrans nomine totius Ecclesiæ et maxime fidelium assistentium sacrificium offert. Quare decet fideles præsentes, non intentione dumtaxat sed et sedula attentione et congruis sensibus, se sociare sacerdoti oranti et celebranti. Ideo, in tota priori parte, quæ dicebatur missa catechumenorum (3), quæque erat publica sacerdotis et assistentium præparatio ad sacrificium, necnon et inter partes missæ præcipuas, solebant præsertim in antiquitate, populus (per se vel per chorum) et celebrans orationes et sensus alta voce miscere.

Ita celebrans per se aut per diaconum identidem adstantes admonebat vel alloquebatur (4); fideles instruebantur per lectiones ex prophetis, epistolis et evangelio, quas lectiones pro majori varietate separabant canendo graduale, versum alleluia et tractum (5); per alternantem aut simultaneam recitationem precum et confessionis ante gradum altaris, *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, præfationis et *Sanctus* (6), *Pater noster* cum

---

(1) Hæc ratio prophylactica contra abusus a doctissimo A. Franz, *Die Messe im deutschen Mittelalter*, Freiburg in B., 1902, p. 620 ss., censetur, non tamen probatur, fuisse causa movens cur inductus fuerit usus verba canonis recitandi secreto eaque populo abscondendi.

(2) Cf Gihr *op. cit.*, T. II, p. 241 ss.

(3) Usque ad *Offertorium* exclusive.

(4) V. g. *Orenius, Orate fratres, Flectamus genua, Levate, Humiliate capita vestra Deo, Dominus vobiscum, Pax Domini sit semper vobiscum, Sursum corda, Gratias agamus Domino Deo nostro, Ite, missa est.*

(5) *Graduale* cantabatur inter lectionem propheticam, quæ hodie nonnisi in quibusdam missis servata est, et epistolam; *Alleluia* cum versu vel, pro tempore, *Tractus* cantabatur inter epistolam et evangelium.

(6) Præfatio cantabatur a solo celebrante, cujus voci se jungebat populus vel chorus ad verba *Sanctus* etc. Initio celebrans incipiebat tantum canonem post absolutum cantum *Sanctus... Benedictus*. Decursu

præfatiuncula sua, *Agnus Dei*, manifestabant et nutriebant celebrans et assistentes sensa pia et congrua; orationibus communibus cantatis collectæ et postcommunionis participabant assistentes respondendo *Amen;* imo et orationes secretæ, canonis et embolismi seu *Libera nos* (1) quas secreto recitabat sacerdos, absolvebat tamen alta voce : *Per omnia sæcula sæculorum* (2), ut astantes respondentes *Amen* (3) hac voce omnia ratificare possent; tandem dum celebrans et ministri aliquam cæremoniam protrahere debebant, populus aut chorus cantare solebat versus psalmi cum antiphona (4).

Regula autem erat primitus ut, in missa solemni, celebrans non recitaret quæ a diacono, ministris, choro aut populo canebantur aut legebantur. Postea vero, quando usus missarum privatarum invaluit, inductum est simul ut hæc omnia etiam a celebrante recitarentur alta tamen voce in missa privata, submissa vero voce

---

autem temporis, cœpit ille cantus a choro longiori modulatione proferri et celebrans interea *recitabat* eadem verba ut pergere posset in celebratione : inde factum est ut hæc verba non jam omnino elata et ab omnibus intelligibili voce proferrentur sed mediocri voce tantum.

(1) Hæc oratio quæ *embolismus* dicitur, hoc est additio, superaugmentum, est quædam repetitio et expositio ultimæ petitionis *Pater noster : Sed libera nos a malo.* Videtur olim alta voce fuisse prolata, ut adhuc fit in Parasceve, sed usus ille mutatus est, juxta quosdam, ut appareret magis eam esse additionem ab Ecclesia factam orationi ab ipso Domino propositæ.

(2) Hæc enim verba non per se stant sed constituunt conclusionem orationis præcedentis.

(3) In ipso canone occurrit etiam pluries illa vox *Amen*, quæ tamen medio ævo tantum videtur inserta, non a fidelibus aut ministris pronuntianda, sed quia opinabantur hac voce ab angelis responderi ad verba conclusionis : *Per Christum Dominum nostrum.*

(4) Cantabatur *Introitus* dum pontifex et ministri introibant a secretario seu sacristia ad altare; *Offertorium* dum fideles et ministri celebranti ad altare offerebant panem et vinum aliaque oblata; *Communio* dum distribuebatur communio fidelibus. Solebant autem cantare versus alicujus psalmi cæremoniæ convenientis, repetendo sæpe antiphonam, quæ in hodierna liturgia generatim sola permansit. Servatus est tamen adhuc versus psalmi cum *Gloria Patri* in *Introitu.*

in missa solemni (1). Qui mos factus est lex universalis in Missali Romano.

3/ Quoad ea quæ *mediocri voce* dicenda sunt, talia sunt quæ merito audiantur ab astantibus ad excitandos sensus pietatis (*Orate fratres*) et humilitatis (*Nobis quoque peccatoribus; Domine non sum dignus*). Non tamen pronuntiantur voce omnino elata, sive quia dicenda sunt dum a choro alia cantantur (2), sive forte ne minus congrue rumpatur silentium dum alia omnia circumjacentia dicuntur secreto (3).

C. C.

---

(1) *Rubr. gen. Missalis*, tit. XVI, n. 3 in fine.

(2) Hoc sane valet pro *sanctus* (cf. supra p. 707, n. 6) et forte etiam pro *Domine non sum dignus* quæ pronuntiantur dum a choro repetitur *Agnus Dei*; Offertorium et *Benedictus* sæpe non absolvuntur antequam celebrans dicere debeat *Orate fratres* vel *Nobis quoque*.

(3) *Orate fratres*, *Nobis quoque*, et *Domine non sum dignus* occurrunt mediis in orationibus secreto dicendis. Ob idem forte motivum dicuntur tantum priora verba, non tota phrasis, ut fideles simpliciter moneantur de sensibus in corde nutriendis. Quod speciatim spectat *Orate fratres*, sola hæc duo verba inveniuntur in antiqua liturgia; cetera videntur glossa explicativa, medio ævo introducta, et secreto recitanda dum minister jam respondet.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Janvier 1905.

Les conseils de fabrique s'assembleront en séance ordinaire le 1er Janvier, premier dimanche du mois prochain.

L'avertissement de cette séance sera publié *le dimanche précédent*, au prône de la grand'messe (art. 10, décret de 1809) ; la convocation faite le jour même de la réunion est insuffisante (A. R. 15 Juillet 1881).

Conformément à l'arrêté royal du 2 Août 1819, à l'article 6 de celui du 12 Mars 1849, il doit être pourvu au remplacement des conseillers et marguilliers décédés, démissionnaires etc., dans la séance du conseil, qui suivra la vacance, en suivant à cet égard les formalités prescrites par l'art. 8 du décret de 1809, pour les renouvellements partiels des administrations fabriciennes. Les membres ainsi élus complèteront seulement le terme pour lequel leurs prédécesseurs étaient nommés.

Le conseil peut décider, à la simple majorité des membres présents, qu'il délibérera sur telle question de sa compétence, qu'il juge opportune. Voir sur les fonctions des conseils de fabrique De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, edit. 7a, T. II, n° 1020, p. 311-312.

E Sacra Congr. Concilii

Archiepiscopus Pragensis sequens exposuit dubium : « Juxta leges ecclesiasticas pro ordinatione candidatorum, in alia diœcesi tanto tempore commorantium, ut ibidem impedimentum canonicum contrahere potuerint, *litteræ testimoniales* ab Ordinario illius diœcesis necessariæ sunt. Tempus, quo candidati aliquod impedimentum juxta communiter contigentia contrahere potuissent, respectu servitii militaris, trimestre, secus autem — saltem juxta plures — semestre statuitur, quamvis non desint, qui brevius statuant temporis spatium.

« Jam vero dubium est, utrum litteræ testimoniales pro ejusmodi candidatorum ordinatione nonnisi tunc sint necessariæ, cum requisitum temporis spatium per continuam eorum in alia diœcesi commorationem fuerit adimpletum, an etiam tunc, cum idem ipsum temporis spatium non quidem per continuam, tamen vero per iteratam in respectiva diœcesi ex parte candidatorum commorationem, completum fuerit. »

Quod dubium resolvit S. C. die 25 Junii 1904 : « *Ordinarium non teneri sub pœna suspensionis ad testimoniales exquirendas, nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis, salvo jure Episcopi inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro minori vel discontinua commoratione, aut exigendi juramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit.* »

Adnotationes:

Notum est in Constit. *Apostolicæ Sedis* sanciri quod « suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes... subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus », attestantibus de idoneitate candidati et absentia impedimenti canonici ad ordines.

Porro tempus ad contrahendum impedimentum aptum

passim habent auctores spatium *sex mensium* (1), nisi agatur de candidatis qui militiæ fuerint adscripti: pro hisce namque, id expresse declarante S. Sede (2), sufficit *trimestre*, cum facilius impedimentum contrahere posse præsumantur (3).

Jamvero in præsenti decreto S. Congr. implicite admittit interpretationem Auctorum de commoratione per semestre necessaria ut Episcopus, sub pœna suspensionis, teneatur ad testimoniales exquirendas super ordinandis qui militiæ nunquam fuerint addicti.

Insuper accuratius determinat eadem S. Congr. semestre vel trimestre respective requisitum, urgendo ut agatur de trimestri vel semestri *moraliter continuis*, ac declarando moralem sufficere interruptionem ad hoc ut commoratio per semestre vel trimestre jam non sit ab Episcopo ordinante sub pœna suspensionis attendenda. Dicitur autem *moralis* interruptio, quia non impedit interruptio unius alteriusve diei vel etiam uti notat *Monitore Eccles.*, Aug. 1904, p. 248, integræ hebdomadæ: attendendo brevius sufficere spatium interpositum ut trimestre censeatur moraliter discontinuum quam semestre.

Tandem additur in responso Romano quod, si candi-

---

(1) Argumenta quibus nititur communior sententia exposita videsis apud Gasparri, *Tractatus canonicus de S. Ordinatione*, 1894, II, n. 730.

(2) In Instructione S. C. super disciplina regulari, 27 Nov. 1892, sub nº V, statuitur quod pro omnibus « qui, expleto servitio militari unius anni aut longioris temporis, perseverent in sancta vocatione (religiosa).... necessariæ erunt litteræ testimoniales Ordinariorum in quorum territorio saltem *per tres menses* commorati fuerint », Quod statutum pro regularibus latum ad omnes candidatos ordinandos, olim militiæ adscriptos, extendit S. Congr. Concilii, die 9 Sept. 1903, declarans: « litteras testimoniales esse necessarias quoties promovendus moratus fuerit in aliqua diœcesi saltem *per trimestre* ». Cf. Gasparri, l. c.; et N. R. th., XXV, p. 24, XXVII, p. 9 et seq. Quæ disciplina confirmata est a S. C. C. die 26 Januarii 1895, quod decretum refert N. R. th., XXVII, p. 364.

(3) Cf. *Folium* in Causa *Urgellen.*, soluta a S. C. Concilii 26 Januarii 1895: « Adactis, per iniquas leges, clericis ad militare servitium, persentita fuit necessitas attentius invigilandi et inquirendi in mores illorum qui, emenso militari curriculo, in sancto proposito perseverarent ». N. R. th., XXVII, p. 360 et seq.

datus commoratus sit in aliena diœcesi per tempus semestri vel trimestri brevius, vel per semestre aut trimestre moraliter discontinuum, non debet quidem Episcopus ordinans, sub pœna suspensionis, litteras expostulare testimoniales, manet tamen ipsi jus integrum illas exigendi, ubi id opportunum judicaverit; imo potest, si peculiaris impedimentum suspicandi ratio datur, ad id, absque censuræ comminatione, obligari.

Continget etiam quod testimonium Ordinarii loci alieni in quo commoratus est ordinandus non sit plenum, puta si est negativum tantùm, seu affirmans nihil nec in bonum nec in malum testimonium de clerico constare, quod natum est fieri cum militibus quum in populosis civitatibus precario morantes pene omnibus sint ignoti (1). Tunc, uti monet S. Congr., provideat Episcopus, prævie ad hoc impetrata facultate apostolica, per juramentum suppletorium (2), juxta normam adhibitam pro probando statu libero nupturientium casu quo deficiunt probationes legales. Cf. *Collat.*, III, p. 236 et seq.

Nota. Hac occasione juvat memorare decretum S. C. Concilii diei 13 Maii 1899, declarans non esse repetendas pro unaquaque ordinatione litteras testimoniales, sed sufficere testimonium præstitum pro anteriori ordinis susceptione, dummodò deinceps ad alienam diœcesim non diverterit ibique habitaverit per moram sufficientem ad contrahendum impedimentum (3).

A. D. S.

---

(1) Cf. Folium laudatæ causæ *Urgellen.*, l. c.

(2) Hæc norma admittendi ordinandos ad juramentum suppletorium, supposita facultate a S. Sede obtinenda, quotiescumque impossibile est opportuna et sufficientia testimonia ab Episcopo impetrare, hæc, inquam, norma jam fuit ab eadem S. C. C. proposita, in decreto jam citato diei 26 Januarii 1895, ubi monetur « quatenus Ordinarii litteræ plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per juramentum suppletorium ». Cf. N. R. th., XXVII, p. 364, collatis p. 366 et tom. XXVI, p. 317.

(3) Ad quæstionem: « utrum informationes et monitiones quæ fiunt de

Libri dijudicantur.

Regulæ vitæ sacerdotalis neopresbyteris compendiose propositæ, auctore L. J. MIERTS, S. Theol. Doct., eccl. metrop. Mechl. Can. hon., Sem. archiep. Præs. — in-24 pag. 224 (1,70 fr.) — Mechliniæ, apud H. Dessain, Editorem.

Libellus hic compendiose refert exhortationes seu instructiones quas Eximius Seminarii Mechliniensis Præses ad alumnos suos sacro presbyteratu recens auctos habere consuevit, docens eos quomodo postea oporteret in domo Dei conversari atque præcelsi sui muneris officia adimplere. Complectitur tria capita quibus exhibetur ratio vivendi vere sacerdotalis secundum triplex genus officiorum sacerdotis ergà Deum, erga proximum, erga seipsum. Circa singula proponit Auctor nonnullas considerationes breves quidem sed stringentes valde, quibus lector de cujusque officii præstantia ac necessitate instruitur, atque ad illius perfectam observantiam excitatur; sequuntur regulæ practicæ, consilia et monita quæ in eisdem muniis obeundis directionem præbent optimam, et a periculis in ministerio sacerdotali occurrentibus docent præcavere ac sine propriæ sanctitatis dispendio artem regiminis animarum exercere.

Erraret qui opinaretur opusculum illud ad solos spectare sacerdotes juniores, ministerium animarum

---

vita et moribus eorum qui ad suscipiendos majores ordines sunt parati, fieri debeant tantummodò in iis locis ubi post acceptas ultimas informationes ad ordinem quem jam susceperint commorati sint, an vero pro unaquaque ordinatione etiam in aliis omnibus locis, in quibus aliquando ordinandi in toto vitæ decursu domicilium habuerint », respondit S. C.: « affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Cf. *Analecta Eccles.*, 1901, p. 253, ubi refertur simile decretum diei 5 Aprilis 1897; cf. etiam Gasparri, op. cit., II, n. 720.

primùm aggredientes: contrà, uti fert approbatio Eminentissimi Cardinalis Goossens, « aptissimam prabet normam non tantum neopresbyteris sed et omnibus in vinea Domini laborantibus, *ut digne ambulent vocatione qua vocati sunt cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* » Ephes. IV, 1, 2, 3. — Revera pauca ibi leguntur neopresbyteris exclusive propria, plurima verò perutilia omnibus.

H. V. D. B.

*
* *

Dom P. Bastien, O. S. B., *Méthode élémentaire de Chant Grégorien*. Rome.-Tournai, Desclée, Lefebure et Cie, 1904, XII-114 p. F. 1.

Les actes solennels de S.S. Pie X, ramenant à sa pureté et beauté primitives le chant liturgique grégorien, devaient forcément donner aux éditions bénédictines un surcroît de faveur. Établies critiquement d'après les documents les plus sûrs de la tradition, elles ont à juste titre, été honorées dernièrement de l'approbation de la S. Congrégation des Rites, qui les a déclarées conformes aux prescriptions du *Motu proprio* sur la musique ecclésiastique. Depuis ce moment, elles ont été introduites en Belgique dans nombre d'églises et d'institutions religieuses, où l'on rivalise de zèle, pour exécuter le plus parfaitement possible, ces chants vénérables.

Mais s'il ne manquait point de travaux de valeur exposant théoriquement et pratiquement les principes d'exécution des mélodies grégoriennes (1), le besoin se

(1) Le clergé trouvera tous les renseignements désirables dans : Dom Kienle, O. S. B., *Théorie et pratique du chant-grégorien*, traduit de l'allemand par Dom Janssens, 2e édit., Tournai, Desclée, 1895 à compléter quant à la question de l'interprétation rythmique par Dom Birkle, *Katechismus des Choralgesanges*, Gratz, Verlagsbuchhandlung Styria, 1903.

faisait sentir de posséder une méthode élémentaire appliquée aux éditions de Solesmes, à l'usage des paroisses, des collèges et des pensionnats (1). C'est pour ces églises et établissements que le R. P. Bastien de l'ordre de St Benoit a publié son ouvrage, dans lequel il entend « exposer d'une façon claire et simple autant que complète les principes élémentaires, dont la connaissance permettra d'atteindre peu à peu à une parfaite exécution du chant grégorien. » (préf. p. V). Ce livre répond donc à une nécessité. Aussi a-t-il rencontré dans la presse et les périodiques un accueil des plus favorables et il le mérite. C'est un exposé méthodique et substantiel de la théorie bénédictine puisée aux meilleurs auteurs (2), exposé fait par un homme qui a pratiqué l'art du plain-chant et qui a consigné dans ces pages le fruit de ses observations.

Cette méthode comprend quatre parties. La première expose certaines notions élémentaires mais suffisantes et très pratiques sur l'écriture du plain-chant, la gamme, les intervalles, les modes, la formation du son et la prononciation. La seconde se subdivise en deux chapitres: le premier traite du rythme et de la proportion dans le rythme, proportion qui se retrouve dans les notes, les neumes et les pauses; le second, de l'exécution des formules. La Psalmodie et l'Hymmodie con-

---

(1) Ces lignes étaient écrites, quand parut l'ouvrage de Monsieur le chanoine Duclos, écrit dans la même intention. En voici le titre: *Introduction à l'exécution du chant grégorien d'après les principes des bénédictins de Solesmes,* Rome.-Tournai, Desclée, 1904. On y remarquera surtout un chapitre très intéressant quoique un peu trop technique, vu le but du livre, sur l'interprétation rythmique. C'est une des meilleures pages écrites sur la matière.

(2) On pourrait souhaiter un peu plus d'emprunts à la littérature allemande notamment à l'ouvrage précité de Birkle ainsi qu'à l'excellent travail de P. Wagner, *Einführung in die Gregorianische Melodien,* Freiburg-i-Schweiz, Veith, 1895. La première partie de la seconde édition a paru en 1901. Une traduction française faite par l'abbé Bour a paru chez Desclée. — Pourquoi ne pas ajouter une liste bibliographique des principaux auteurs?

stituent l'objet de la troisième partie. Enfin dans la quatrième, l'auteur émet certaines remarques sur la pratique du chant et établit certains principes généraux et certaines règles liturgiques concernant l'accompagnement.

Il est clair que l'auteur a voulu écrire un manuel, c'est-à-dire un traité de chant grégorien, destiné à être mis entre les mains des élèves et qui exige comme explication nécessaire, l'enseignement oral du maître. Mais même envisagé comme tel, l'ouvrage est-il suffisamment complet? Le premier chapitre ne devrait-il pas comprendre certaines notions élémentaires sur les sons ou les tons et sur la transposition? Pourquoi ne pas s'étendre sur certaines formes des mélodies grégoriennes que les chantres et les fidèles devront exécuter : sur certains récitatifs, les antiennes, l'ordinaire et le propre de la Messe ; tout en appliquant les règles données à des exemples caractéristiques de chaque forme? Les principes généraux d'exécution des formules ne peuvent combler cette lacune.

Ensuite sans m'arrêter aux fautes d'impression, dont une liste a été donnée par M. Scherrier dans la *Revue ecclésiastique de Metz* (1) et qu'on pourrait allonger, sans faire remarquer certaines impropriétés de termes, certaines inversions à faire dans l'exposé, pour que l'ordre soit plus logique, on peut se demander si la méthode du R. P. Bastien ne pêche par parfois par manque de clarté et d'exactitude. L'auteur nous avertit dans sa préface qu'il écarte intentionnellement toute question purement scientifique et cependant s'il avait fait usage des points acquis par les travaux des spécialistes, il aurait fixé et éclairé d'avantage son enseignement en aidant la mémoire par l'intelligence et en donnant la raison de ses affirmations. Puis certaines notions et explications manquent de netteté, ainsi les notions

(1) T. XV, 1904, p. 528-529.

d'altération, de syncope, d'arsis et de thésis (comparez p. 29 avec p. 47-48); la règle quant à la formation du son, la manière d'accentuer etc. En traitant de la question du rythme dans les mots et dans les neumes et de l'exécution des formules, l'auteur a voulu condenser et simplifier, l'enseignement déjà très concis qu'on trouve dans les préfaces aux livres usuels et manuels de Solesmes. On peut toutefois se demander si un maître de chant après avoir médité ces pages, serait capable d'indiquer d'une façon suffisamment exacte, les divisions rythmiques d'une mélodie ornée, le rôle de la longueur et de l'intensité dans l'ordonnance du mouvement, l'influence de la tonalité dans le rythme, l'enchaînement des neumes dans la phrase musicale. Ajoutons qu'un peu plus d'exemples aurait facilité la compréhension de ces paragraphes.

D'un autre côté, l'auteur en voulant être méthodique et simple, l'a été quelque peu, au détriment de l'exactitude. Beaucoup d'assertions sont trop absolues et partant inexactes. Je cite: la théorie des altérations, de la prononciation de certaines consonnes, de la nature de l'accentuation, des modifications apportées au mètre classique dans la poésie chrétienne.

Nonobstant ces quelques remarques, peut-être très subjectives et inspirées uniquement par le désir de voir parfaire dans une future édition le travail du R. P. Bastien, nous ne doutons nullement du succès de cette méthode élémentaire. Elle rendra de sérieux services à quiconque s'occupe des chœurs des paroisses, collèges et pensionnats. Elle apportera dans une large mesure sa quote-part à l'œuvre de la restauration du chant grégorien et coopérera à rehausser les offices liturgiques, « l'œuvre de Dieu, auquel, dit St Benoit, rien ne doit être préféré » (préf. p. VII).

A. D. M.

***

P. Robertus van Brugge, O. M. Cap. **Catechismus voor de Derde-Ordelingen van den H. Franciscus van Assisië.** Brugge, K. Ryckbost, 1904. In-32, 337 bl. — 0,60 fr.

Jam prodiit olim nuntiata versio flandrica majoris Catechismi, gallice prius editi ab eodem Auctore (1). Revera est *versio* textus gallici: unde iisdem laudibus dignum est hoc manuale, quibus celebrata est in hoc periodico (T. VIII (1903), p. 136) editio gallica, nisi quod hic inde nimis prodatur translatio servilis. Brevitatis tamen causa, quædam partes in textu flandrico omissæ sunt: ita vita S. Francisci infeliciter, ut nobis videtur, quoad majorem partem excidit (*Catéchisme*, p. 20-30); item quæstiones de opportunitate Tertii Ordinis a Leone XIII adeo commendati (*Catéchisme*, p. 47-54), et responsa ad objectiones quæ proferri vulgo solent (*Catéchisme*, p. 59-67). Contra, comparatio Tertii Ordinis cum Congregationibus fusius nunc evolvitur (p. 35 sqq.). Auctor deinde nuperrimis decretis feliciter usus est (2).

Hoc manuale tum rectoribus tum sodalibus Tertii Ordinis S. Francisci instanter commendamus, utpote aptissimum ad cognoscendum atque adeo induendum spiritum istius Instituti.

H. M.

---

(1) *Le Catéchisme du Tertiaire de S. François d'Assise.* Bruges. Ch. Ryckbost, 1902. In-32, pp. 354. Prix, 0,70 fr.

(2) Auctor (*Catéchisme*, p. 198; *Catechismus*, p. 179) dicit preces recitandas esse *in* ecclesia visitanda: hoc tamen non exprimitur in *Summario*, Cap. I, sub III, sed dumtaxat sub V (*Collat. Brug.*, T. VI, p. 612 sq.).

INDEX

Documenta Romana

Pag.

Lettre de S.S. Pie X au Cardinal Vicaire de Rome sur la restauration de la musique sacrée (8 Déc. 1903). 106

Motu proprio de S.S. Pie X sur la musique sacrée (22 Nov. 1903) 111

Encyclica SS. D. N. Pii pp. X de quinquagesimo a definita immaculata conceptione B. M. V. anniversario (2 Febr. 1904). 137

Litteræ apostolicæ SS. D. N. Pii pp. X de academicis in S. Scriptura gradibus a *Commissione biblica* conferendis (23 Febr. 1904) 225

Litteræ encyclicæ SS. D. N. Pii pp. X occasione decimi tertii ab obitu S. Gregorii M. centenarii (12 Martii 1904). 289

Motu proprio S.S. Pii X de Ecclesiæ legibus in unum redigendis (19 Martii 1904) 307

Ex Secretaria Brevium. — Conceduntur indulgentiæ occasione quinquagenarii a dogmate immac. concept. B. M. V. definito (7 Decemb. 1903). 196

Unio sæcularium sacerdotum a S.S. Pio X laudatur et indulgentiis ac privilegiis ditatur (28 Decemb. 1903). — *(Cum adnotationibus)* 396

Ex S. R. et Univ. Inquis. — Dubium circa validitatem delegationis ad exequendas dispensationes matrimoniales (1 Junii 1904). — *(Cum adnotationibus)* 675

Ex S. Congr. Concilii. — De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione (11 Maii 1904). — *(Cum adnotationibus)* . . . . . 595 et 659

Dubium circa necessitatem exigendi *litteras testimoniales* super ordinandis, qui in aliena diœcesi aliquandiu morati sunt (25 Junii 1904). — *(Cum adnotationibus)*. . 711

Ex S. Pœnitentiaria. — Moderatur indultum Ordinario Brugensi concessum cumulative dispensandi super impedimentis matrimonii 393

Ex S. Congr. Episc. et Regul. — In radice sanantur receptiones, tyrocinia et professiones Sodalium Tertii Ord. Sæc. S. Francisci variis ex vitiis invalidæ (3 Febr. 1904). 349

Ex Sacra Congr. Indulgentiarum. — Indulgentiæ a S.S. Pio X conceduntur fidelibus pia objecta ab ipso benedicta retinentibus (28 Augusti 1903) 60

Pag.

Indulgentiæ recitationi latinæ parvi Officii B. M. V. adnexæ, ad ejusdem vulgarem recitationem privatam extenduntur (28 Augusti 1903) 64

Invocatio: *Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis,* post missam privatam recitata (17 Junii et 19 Augusti 1904). 677

Ex Sacra Congreg. Indicis. — Decretum varia opera prohibens (4 Decembris 1903). 127

Lettre du Cardinal Secrétaire Merry del Val au Card. Archevêque de Paris relative à la condamnation de certains ouvrages de A. Loisy (19 Décembre 1903). . 128

Elenchus librorum prohibitorum inde a publicato a. 1900 novo Indice. 129

Damnantur varia opera atque duorum auctorum nuntiatur submissio (3 Junii 1904) 549

Ex S. Congr. Rituum. — Decr. *Urbis et Orbis* circa obligationem *Motu proprio* de musica sacra (8 Jan. 1904). 122

Decr. *Urbis et Orbis* indulgens missam votivam aut commemorationem de B. M. V. immaculate Concepta pro qualibet die octava mensis (14 Aug. 1903). — Indicatur practica applicatio hujus decreti pro singulis diebus permissis 123

Duplex Decretum applicans propositis casibus *Motu proprio* S.S. Pii X 22 Nov. 1903 et Decretum S. C. R. 8 Jan. 1904 super musicam sacram (8-29 Januarii 1904). — *(Cum adnotationibus circa valorem juridicum ejusdem Motu proprio)* 465

Decr. in *Ceneten.* circa absolutionem defunctorum, cantum epistolæ in missa cantata non solemni et habitum sacerdotis celebraturi S. communionem distribuentis ante Missam (11 Maii 1904). — (*Cum adnotationibus*). 592

Decr. servari prohibens consuetudinem non cooperiendi conopeo tabernaculum (1 Julii 1904). — (*Cum adnotationibus*) 668

Decr. in *Rhemen.* de genuflexione facienda in transitu ante altare inter consecrationem et communionem Missæ (20 Maii 1904). — (*Cum adnotationibus*). . . . 671

Decr. *Urbis et Orbis* quo extenditur privilegium missæ votivæ de Immaculata Conceptione (22 Junii 1904). — (*Cum adnotationibus*) 673

—

Documenta episcopalia

Acta Congregationis Prosynodalis Brugis habitæ 17 Maii 1904. 409

Meditationes theologicæ

Pag.

Meditationes theologicæ ab Illmo ac Revmo G.-J. Waffelaert, Episcopo Brugensi, Clero suo dicatæ . . 5
65, 228, 353, 481, 533, 609.

—

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Scriptura Veteris Testam.

Explicatur Sap. X, 14 18
Explicatur Psalmus LXXVII (Vulg. LXXXVI) . . 77

Ex S. Scriptura Novi Testam.

Explicatur procemium Ev. S. Lucæ I, 1-4. . . . 153
Explanatur Luc. I, 76-79 239
Explicatur Luc. II, 29-35 311
Explicatur Luc. III, 3-6 367
Explanatur Luc. III, 16-17. 427
Explicatur procemium Act. Ap. I, 1-3 490
Exponitur causa *conventus Apostolorum ac Seniorum Hierosolymis* celebrati 566
Exponuntur *sensus ac vis decreti apostolici* in concilio Hierosolymitano lati (Act. XV, 23-29). 620
Refellitur *duplex objectio contra authentiam decreti apostolici* ex Gal. II, 1 ss.; 11 ss. mota. 682

Ex Theologia Dogmatica.

Ex Tractatu de Deo Creante.

Exponitur utrum et quare Deus *ab æterno* et *æqualiter* diligat omnia creata. 21
Ostenditur quomodo ex eo quod omnis operatio Dei sit æterna non sequatur mundum creatum esse ab æterno 81
Exponitur quænam fuerit causa *exemplaris* mundi. . 160
Demonstratur angelos evectos fuisse ad ordinem supernaturalem 244
Exponitur qua ratione angelus possit esse in loco . 316

Pag.

Explicatur definitio peccati originalis 372

Exponitur quisnam sit inter Adamum et ejus posteros *nexus* vi cujus privatio gratiæ sanctificantis in infantibus habeat rationem *voluntarii* 431

Explicatur quomodo peccatum originale recte dicatur peccatum *naturæ*. 494

Rejicitur sententia eorum qui ad explicandam rationem peccati originalis statuunt esse admittendum quoddam *pactum* initum a Deo cum Adamo. 574

Rejicitur sententia eorum qui docent hominum *voluntates*, vi decreti divini, voluntati Adami *alligatas* fuisse in ordine ad observationem vel violationem impositi præcepti 626

Exponitur quænam sit peccati originalis *pœna* in hac vita 688

Ex theologia morali.

Ex Tractatu de Justitia.

Exponitur notio *contractus* 23

Exponitur differentia quæ in jure nostro viget inter *actum inexistentem* et *actum nullum* 27

Exponitur quænam sit *in conscientia efficacitas* contractus sive actus a/ *nullius*, b/ *inexistentis* 31

Explicatur quid in jure nostro sit *donatio inter vivos* . 84

Datur notio *substitutionis* proprie dictæ in materia donationis vel testamenti 86

Vis in conscientia legum civilium *substitutionem* prohibentium a/ pro hærede, b/ pro gravato, c/ pro vocato seu substituto. 89

An et quare obligetur *hæres ab intestato* promissione facta testatori de solvendis legatis etiamsi testamentum irritetur. 164

An *hæres* solvere teneatur *legata pia*, consignata in schedula de qua dubitat utrum ultimam testatoris voluntatem contineat 167

Explicatur quid sit *venditio* prout in jure nostro definitur 170

Quænam sint juris nostri dispositiones circa *rescissionem venditionis in casu læsionis* et quomodo foro conscientiæ applicentur 248

Quandonam venditor *vitia rei venditæ* manifestare teneatur 250

Ad quid teneatur venditor *bona fide mercis venditæ vitia* ignorans 255

Pag.

Declarantur generales *obligationes heri erga domesticos suos et operarios ac vicissim* 321

Definitur *contractus ludi et conditiones* ad ludi justitiam ac honestatem requisitæ indicantur 327

Utrum licitum sit ex *negotiis aleatoriis* sibi brevi tempore ingens lucrum quærere 331

Indicatur species moralis et theologica *injuriæ* . . . 376

Explanatur distinctio *occisionis* sui vel proximi in *directam et indirectam* 378

An et cur licita sit *indirecta sui occisio* 380

An et cur licita sit *occisio malefactoris* 422

Exponuntur et vindicantur *generalia principia de occisione innocentis* 438

Explicatur et probatur licitam esse *occisionem injusti aggressoris,* servato tamen moderamine inculpatæ tulelæ, ad propriam vitam tuendam 448

Datur *notio famæ et honoris* 497

An et quare licita sit *revelatio criminis occulti* . . . 499

An et quare liceat *revelare crimen publicum* 502

Quandonam licita sit *manifesta recuperatio aut compensatio* 578

Quare *occulta compensatio* dicatur actus male sonans, sive per se illicitus 580

Exponuntur *conditiones requisitæ ad licitam compensationem occultam* 581

Determinatur quandonam *furta minuta* in unam materiam coalescant. 629

Quænam *ex furtulis coalescentibus materia gravis* censeatur 633

Quantum peccatum in singulis hujusmodi furtulis committatur. 635

Quisnam intelligatur *rei alienæ possessor bonæ fidei in materia restitutionis.* 694

An et quare qui rem furtivam emit, possit eam *furi reddere* ad pretium solutum recuperandum. 698

An idem emptor, si a fure pretium recuperare nequit, possit *rem illam alteri vendere aut in proprios usus convertere* ut se indemnem servet 701

Ex jure canonico-civili.

Dans quel cimetière il faut enterrer les morts d'après nos lois civiles 38

Pag.

Le caractère d'indemnité des traitements ecclésiastiques prouvé par les art. 13 et 14 du Concordat . 176

Les traitements des succursalistes et des vicaires sont-ils concordataires et pourquoi? 258

Le décret de 1809 est-il conciliable avec les articles de la Constitution Belge relatifs à la liberté de l'Eglise? 384

Quel est, au point de vue juridique, le caractère du décret de 1809? 452

Quelle est, au point de vue canonique, la valeur de la loi de Contrôle du 4 Mars 1870? 584

Ce qu'on entend par *fabrique d'église* 638

Ex S. Liturgia.

Quænam paramenta altaris, calicis, celebrantis et ministrorum pro celebratione missæ benedicenda sunt? A quo et quanam formula benedici debent? 93

An et qualis requiritur crux in altari in quo Missa celebratur? 333

Quænam cæremoniæ speciales servandæ sunt ad offertorium, consecrationem et communionem missæ privatæ, quando particulæ sunt consecrandæ? . . . 505

Quid significat in rubricis missæ privatæ vox a/ clara, b/ mediocris, c/ secreta? Quænam preces hac triplici vocis diversitate sunt pronuntiandæ? 704

—

Dissertationes

Le *Liber memorialis* des églises du diocèse de Bruges 43
265, 458.

De officio parochi et confessarii erga nupturientes . . . . . 98 et 184

Organisation d'un cercle diocésain d'études sociales pour les directeurs et aumôniers d'œuvres agricoles *(Proostenbond)* 280

A propos de l'origine du *Magnificat* 521

De Jubilæo anni 1904 530

Varia dubia de Jubilæo 655

—

Fabriques d'église

Pag.

Séance légale du mois de Mars 132
» » » » d'Avril 220
» » » » de Juillet 394
» » » » d'Octobre 548
» » » » de Janvier 1905 710

—

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église. — Compte : remises allouées au trésorier ; produit de collectes faites pour l'acquisition et le placement d'un maître autel ; indemnité au prêtre habitué ou auxiliaire. — A. R. du 25 décembre 1903. — *(Observations)* 212

Fabrique d'église. — Comte : blanchissage et raccommodage du linge. — A. R. du 10 Janvier 1904. . 214

Circulaire ministérielle concernant la conservation des tableaux placés dans les églises (7 Août 1903) . . 589

Fabrique d'église. — Subsides pour tabernacles en fer ou coffre-forts. — A. R. 26 Juin 1904. — *(Observations)* 590

Fabrique d'église. — Acquisition d'un immeuble destiné á servir de presbytère. — A. R. 19 Avril 1904 . 591

—

Jurisprudence des Cours et des Tribunaux

Presbytère. — Modifications apportées par le desservant. — Droit de jouissance. — Cassation, 1ère chambre, 4 Juin 1903. — (*Observations*) 215

—

Législation Sociale

Sociétés d'épargne, Sociétés coopératives de crédit agricole Sociétés mutualistes.

Arrêté du Conseil général de la caisse d'épargne et de retraite du 12 juin 1902, modifié par l'arrêté du 9 juillet 1903. *Notice explicative* 53

Pag.

Loi du 23 décembre 1903 sur la *réparation des dommages résultant des accidents du travail* Aperçu général. . 198
Texte et Commentaire 270
338, 512, 645.

—

Consultationes

De oratione cantanda post litanias Lauretanas, et de quodam modo eas litanias cantandi. 221
De modo dictas litanias concludendi in congregationibus B. M. V. 222
De colore stolæ pro administranda S. Communione extra missam 286
De quodam sacello quæritur utrum in eo quævis personæ satisfacere possint præcepto audiendi Missam . 350
Utrum parochus quidam valide assistere potuerit matrimonio in casu 472
Dubium circa absolutionem alicujus monialis post discessum a congregatione 473
An missa quotannis in feria III ejusdem hebdomadæ celebranda pro defuncto gaudeat privilegio anniversarii 475
De modo celebrandi anniversaria aut exequias in die qua non permittitur missa de requie 606

—

Libri Dijudicati

Dissertatio de formula « *G. v. d., Deus damnet me* » auct. Ed. Brahm. 133
Fr. Dryvers, *Meest gebruikte kerkzangen van lof en mis en andere gebeden* 135
P. Victorius ab Appeltern, *Compendium prælectionum Juris Regularis Adm. R. P. Piati Montani* 223
De acht zaligheden van het christendom en de beloften van het socialismus door Hermam J. Schmitz, vertaald door C. De Jonghe. 405
Kanonik Deweerdt, *Practisch onderwijs in den Mechelschen Catechismus* 406
Manuel social. La législation et les œuvres en Belgique, par A. Vermeersch, S. J. (2e édition) 407

Pag.

Fr. M. De Munnynck, O. P. *Prælectiones de Dei existentia* 477
Chanoine Le Roy, *Les Litanies du Sacré Cœur de Jésus* . 550
Chanoine Appelmans, *Les Bases de l'Apologétique* . . 678
L. Mercelis, *Bereide Catechismuslessen* 680
L. J. Mierts, *Regulæ vitæ sacerdotalis* 714
Dom Bastien, O. S. B., *Méthode élémentaire de Chant Grégorien* 715
P. Robertus van Brugge, O. M. Cap. *Catechismus voor de Derde-Ordelingen van den H. Franciscus van Assisië* . . 719

GTU Library
3 2400 00271 9528

Collationes Brugenses

v.9
1904 CBPaG

v.9
1904 25287

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709